* Lb 4. 5

R40487

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b21690182_0004

~~R. f. 6-10~~
6 7/24

Ex Libris Bibliothecæ

APPARATVS MEDICAMINVM

TAM SIMPLICIVM QVAM PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM CONSIDERATVS

VOLVMEN QVARTVM.

AVCTORE

IO. ANDREA MVRRAY D.

EQVITE ORD. R. DE WASA

CONSILIARIO R. BRIT. AVLAE PROFESSORE MEDIC. ET BOTAN. O. IN ACAD. R. GOTTING. PRAEFECTO HORTI R. BOTAN. SOCIETATVM SCIENTIARVM GOTTING. STOCKHOLM. VPSAL. GOTHENB. LVND. FLORENT. LVGDVN. DIVION. AVREL. ET BATAVO-FLESING. MEDICARVM PARIS. NANC. ET HAVN. ATQVE OECONOMICARVM BERN. CELL. GEORGOPHIL. ET PARIS. MEMBRO.

GOTTINGAE.

Apud IOANN. CHRIST. DIETERICH.

1787.

VOLVMEN QVARTVM.

STIRPES.

Dumoſae.
Trihilatae.
Tricoccae.
Oleraceae.
Scabridae.
Vepreculae.



ORDO XXXVII.

DVMOSAE.

RHAMNVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 194. *Gen. pl. p.* 105.

422.

Pharm. RHAMNI CATHARTICI ſ. SPINAE CERVINAE *Baccae; Cortex.*

Rhamnus catharticus; ſpinis terminalibus, floribus quadrifidis dioicis, foliis ouatis, caule erecto LINN. *Syſt. l. c.* Rhamnus catharticus, C. B. Icon: REGNAULT *Botanique*, Le Nerprun. Frutex altior, in dumetis et montanis vulgaris. Artem topiariam pro ſepibus viuis hortorum admittit.



ORDO XXXVII.

DVMOSAE.

RHAMNVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 194. *Gen. pl. p.* 105.

422.

Pharm. RHAMNI CATHARTICI ſ. SPINAE CERVINAE *Baccae; Cortex.*

Rhamnus catharticus; ſpinis terminalibus, floribus quadrifidis dioicis, foliis ouatis, caule erecto LINN. *Syſt. l. c.* Rhamnus catharticus C. B. Icon: REGNAULT *Botanique*, Le Nerprun. Frutex altior, in dumetis et montanis vulgaris. Artem topiariam pro ſepibus viuis hortorum admittit.

BACCAE ſubrotundae magnitudine piſi, nitidae, puncto eleuato in apice notatae, maturitate nigricantes, includunt pulpam ſuccoſam profunde viridem, odoris nonnihil ingrati, et ſaporis amaricantis; ſubacris nauſeoſi, feminibus quatuor ouatis ſubtrigonis. Vi aluum purgandi iam dudum claruerunt; id quod fruticis nomen iam ſignificat. Et haec quidem efficacia ſeſe adeo in carnem turdorum ſimiliumque auium, quae eas autumno auide ingerunt, transfert; qui enim iisdem tempore maturationis baccarum veſcuntur, crebriores alui deiectiones experiuntur (HOMBERG in *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris* 1712. *p.* 9.). In quibusdam hominibus haud ſine torminibus moleſtis ſeſe exſerit, niſi diluentia commoda ſuperbibantur, et comitatur effectum ſiccitas oris et faucium. Baccae recentes viginti circiter quibusdam ſufficiunt. Alii vtuntur eo fine ſucci earum expreſſi vncia vna (BOERH. *de viribus medic.* *p.* 308. SCOPOLI *Fl. Carniol. ed. I.* *p.* 590.) Puluis toſtarum etiam locum habet ad drachmam vnam; pro decocto autem drachmae duae commendantur (LINN. *Amoen. acad. Vol.* 7. *p.* 300). Sed noſtro tempore ſyrupus ex iis paratus fere vnice in dignitate eſt.

Vſui pictorio quoque inſeruiunt baccae, pro colore viridi vſitatiſſimo, Gallis *Verd de Veſſie*, Germa-

Germanis *Safftgrün*, dicto, qui ad chartas colorandas et imagines minutas pingendas praecipue placet. Succus ſcilicet iſtarum poſt perfectam maturationem ad mellis ſpiſſitatem denſatur, et ſolutione aluminis aquoſa admiſta intra veſicam caloris ope ſiccatur; accedat tum eiusdem ſolutio in aqua, colatio et ſubſequa euaporatio (DU HAMEL DE MONCEAU *Traité des arbres et arbuſtes tom. 2. p. 215.*). Omitto miſcelas alias, quibus pro variis coloribus ad tingendam lanam, corium, opportunus euadit; nec tango colorum diuerſitatem pro gradu maturitatis baccarum vario (Vid. LINN. *Fl. Suec. p. 72.*). Baccae *Rhamni infectorii* LINN. *Mant. I. p. 49.* Gallis *Graines d'Avignon*, a quibusdam in vſum iſtum pictorium et tinctorium praeferuntur (*Hiſt. de l'acad. d. ſciences 1772. p. 54.*)

CORTEX *medius* inſtar corticis Sambuci aluum fortiter mouet, ſed ſimul vomitum ciet (ALLIONI *Fl. Pedemont. Tom. 2. p. 130.*). Hodie deſueuit.

Non attinet, hic de corticis in tingendo praeſtantia pro colore luteo et purpuraſcente (V. LINN. *Oländſka och Gothländſka Reſa p. 59. 175. 209*) multis dicere.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRVPVS DE RHAMNO CATHARTICO ſ. DE SPINA CERVINA ſ. SYRVPVS DOMESTICVS *Ph. Würt. p.* 210. Ad huius normam ſucco baccarum maturarum multa aromata adduntur. Pauciora admiſcet *Pharmacopoea Lond. p.* 82. Additamentum hoc ſine dubio corrigere ſaporem et torminibus praecauere proſcopo habet, ingratus tamen ſyrupus manet. Simplex praeſtat (*Ph. Edinb. p.* 62. et *Cod. med. Pariſ. p.* 34.) ex ſucco defecato et ſaccharo coctis. Efficaciter aluum mouet, non absque incommodis, quae ſupra redargui; vnde concedere eundem nequeo ad meconium infantum recens natorum expellendum, quod quidem nonnulli ſuadent (e. c. *Ph. Würt. l. c.*). In hydrope nominatim, imo aſcite pro ſubducenda lympha collecta multis probatur, vel ſolus ad vnciam vnam (RIVER. *prax. lib. II. cap. 6. p.* 44.), ad duas (BOERH. *l. c.*), vel aliis purgantibus mixtus (CHOMEL *Uſuell. tom. I. p.* 19. SYDENH. *Oper. p.* 488.). Sed non effectum praeſtat, nec conducit, niſi corpore opportuno, quin adeo hydropem pertinaciorem reddit; id quod ingenue fatetur ſummus SYDENHAMUS, qui fiducia iuuenili in caſu ſingulari, quo voto reſpondit, deceptus, paullo poſt erroris agnoſcendi occaſionem ingra-

ingratam nactus eſt. Cautio igitur eadem hic redit, qua in vniuerſum in biuio inter diuretica et purgantia pro educenda lympha hydropicorum opus eſt.

ROB *Cod. Pariſ. p.* 47. Succus baccarum expreſſus ad ſpiſſitudinem mellaginis coquitur. Efficax et pretio exiguo quoque pauperibus commendabile. In pilulas puluere quodam redactum facillime capitur, vt adeo ſimplex cretae miſcela ſuffecerit. (*Gentleman's Magazine* 1759. *Sept. p.* 401.).

423.

Pharm. FRANGVLAE *Cortex; Baccae.*

Rhamnus Frangula; inermis, floribus monogynis hermaphroditis, foliis integerrimis LINN. *Spec. pl. p.* 280. Alnus nigra baccifera C. B. Frangula DODON. *Pempt. p.* 783. Icon: *Fl. Dan. tab.* 278. REGNAULT *Botan.* La Bourgene. Arbor minoris ſtaturae locis humidis creſcens.

CORTEX *medius* flauum colorem prae ſe fert; vnde manducatus ſaliuam inſtar Rhabarbari tingit, et aquam vti et ſpiritum vini inficit tinctura ſaturate lutea. Ad communem conſenſum violentius purgat inter tormina et nauſeam, nec raro vomitiones.

Vnde nonniſi hominibus fortioribus, quales rurii degunt, concedi poteſt. Sunt qui mitius de illo ſentiunt, inter quos MATTHIOLUS (*In* DIOSC. *ed.* C. B. *p.* 875.), qui aluum ſine vllo incommodo ſoluere et iecur belle expurgare ac roborare innuit. LINNEUS (*Amoen. Vol.* 7. *p.* 300.) inter praeſtantiora purgantia refert. Et hic quidem aridum deſiderat, ſine dubio ideo, quod recentem quidam vehementius corpus afficere ſuſtinent (DODON. *Pemnt. p.* 784.). Praeeunte igitur ill. viro infundendus vel decoquendus cortex cereuiſia ſecundaria ad tertiae partis iacturam, pondere vnciae dimidiae pro valentioribus, et drachmarum duarum pro debilibus. Sicque in chronicis quibusdam morbis hydragogi egregii nomen tulit. Inſueti tamen vſus. In conſtipatione boum certa medicina pronunciatur (LINN. *Fl. Suec. p.* 72.).

Cortex integer (hunc ſcilicet intellectum puto), qui ſaporem grate amarum et adſtringentem habet, egregium antiſepticum eſt, prout ſolutione extracti eius, methodo Garayana parati, conſtat. Haec enim carnem bubulam vel ſanguinem humanum congrumatum ſub iuſto coloris gradu efficacius adeo, quam ſal corticis Peruuiani eſſent. a putredine

dine defendit (BUCHOLZ *chym. Verſuche über antiſept. Subſtanz. p.* 82 *ſq.*)

BACCAE dulces ſunt, et pariter aluum efficacius mouent. Vix vnquam tamen a medicis praecipiuntur. Semina lotium pellunt (MÜLLER *Ruff. Geſch. 7 Samml. p.* 97.).

Tingentes particulae pluribus partibus huius arboris inſident. Nempe cortex lanam colore e flauo rubro imbuit, etſi non profundo, folia et baccae viridi.

424.

Pharm. IVIVBAE *Baccae* ſ. IVIVBAE.

Rhamnus Zizyphus; aculeis geminatis, altero recuruo, floribus digynis, foliis ouato-oblongis LINN. *Syſt. veg. p.* 196. Iuiuba ſylueſtris C. B. *β* Iuiubae maiores oblongae C. B. Ζίζυφος Graecis recentioribus, vt ACTUARIO, SIMEONI SETHO. Icon: REGNAULT *Botanique*, le Iujubier. Arbor exigua, ex Syria a SEXTO PAPINIO conſule in Italiam translata (PLINIUS *lib.* 15. *cap.* 14.). Hodie tam ibi, quam in Hiſpania, Gallia inferiori, aliis regionibus auſtralioris Europae ſponte in ſolo ſicco creſcit, cultura autem fructus, cuius

potiſſimum ratio habetur, praeſtantior fit. In noſtris hortis flores modo fert, per hiemem in hybernaculo ſeruata.

BACCA officinarum, quam eleganter quoad omnes partes depinxit ill. DU HAMEL (*Arbres et Arbuſtes tom. I. p.* 377.) eſt drupa oualis magnitudine et figura Oliuae, cuius epidermis rubra obueſtit parenchyma molle, ſed exſiccatione ſpongioſum et albidum, intra quod nux oblonga aſpera vtrinque acuta bilocularis feminibus duobus latet. Ζιζυφα vel voce nonnihil mutata baccae graecis dictae, Iuiubae Arabibus. Recentes in regionibus, vbi fructus matureſcit, eduntur. Nec apud nos, vbi nonniſi rugoſae Iuiubae comparent, dulcedine grata deſtituuntur cum mucilagine coniuncta. Et haec quidem iam ore ſeſe declarat, manifeſtius autem decoctione, quae ſi parciori iuſto aqua fit, liquidum ſpiſſitudine ſua faſtidium parit. Inuoluere acre, incraſſare humores, et lubricare atque relaxare fibras valent. In affectionibus pectoris ideo praeprimis, vt raucitate, ſputis languentibus, laudem tulerunt olim, item in ſtranguria aliisque doloroſis viarum vrinariarum malis. Quum vero Caricae, Paſſulaeque iisdem viribus inſtruantur, praefe-

praeferendae hae Iuiubis ſunt, vt quae extra patriam vix niſi aridae, corruptae vel vermibus exeſae ſuppetunt. Hinc et ſenſim vſus in infuſis et decoctis deſueuit. Supereſt hodie ex antiquioribus formulis officinarum vnice

SYRVPVS DE IVIVBIS *Ph. W. p.* 212. ad MESUËN referendus, etſi ſeriori tempore mutatus varie fuit. Nimis compoſitus eſt, et ob ſemina mucilaginoſa et Tragacanthàm additam eclegmatis potius, quam ſyrupi, ſpiſſitudinem habet.

ILEX.

LINN. *Syſt. veg. p.* 140. *Gen. pl. p.* 67.

425.

Pharm. AQVIFOLII *Folia.*

Ilex Aquifolium; foliis ouatis acutis ſpinoſis LINN. *Spec. pl. p.* 181. Ilex aculeata baccifera C. B. Aquifolium MATTHIOLI. Agrifolium DODON. *Pempt. p.* 658. Icon: MILL. *Fig. of Plants tab.* 46. REGNAULT *Botan.* le Houx. Elegans hic frutex in ſepibus ſyluisque Europae auſtralioris ſub vmbra aliarum arborum ſponte prouenit. Hac in regione arenoſa Cellenſia occupat. Frigus aſperius hiemale non fert. Translationem difficile admittit, optime vero in Auguſto medio res ſuccedit. Succreſcit quoque in arborem pedum quatuordecim vel viginti, aliquando multo proceriorem, cuius craſſities tamen altitudini vix reſpondet, vtpote anguſta nimis.

Ludit multis varietatibus, quae foliis absque ſpinis, echinatis, oblongis, ſubrotundis, variegatis colore aureo vel argenteo, baccis rubris luteis albis, et per alias notas diſcrepant, quas noſſe et colligere in lucorum oblectamentis dicatorum vſum, intereſt.

Nam

Nam hoſce perpetuo virore, florum alborum pulchritudine et baccis ſuis, quae in vulgari Aquifolio rubrae ſunt, ſtirps ornat. Sed ipſa vulgaris arbor oeconomis in pretio multis momentis eſt. *Sepes viuas* elegantes format, durabiles, denſas, ob ſpinas foliorum marginales pecori infeſtas, et tam proceras, vt aliquando pedum duodecim altitudinem attingant. *Lignum*, quod album eſt, excepto meditullio arborum procerarum bruno, duritie et glabritie ſeſe commendat pro cylindris, manubriis inſtrumentorum fabrorum, ſcriniariorum et tornatorum, item pro operibus teſſellatis. *Cortex* interior viſcum aucuparium tenacem ſuppeditat, dum in paſtam contuſus intra ollam in cellam transfertur vt putredinem ſubeat, qua facta lauatur et fila lignea demuntur, quo viſcus lenteſcere queat (DU HAMEL *Traité des Arbr. tom. I. p.*64.). *Folia* tenella pabulo ouium et ferarum inſeruiunt. *Baccis* delectantur aues variae.

Inter haſce laudes pauca modo de efficacia medica arboris innotuerunt, vnde et ſilentio plerique libri de materia medica Aquifolium praetereunt. Verum nec iſtas miculas ſine commodo diſpergi ſinam.

FOLIA

FOLIA febribus intermittentibus medentur in puluere ad drachmam vnam ante paroxyſmum dato. Multi hac ratione a medico experto (DURANDE in *Memoires de la Societé en Medec. à Paris vol. I. p.* 342.), qui vim iſtam ab homine artis ſalutaris rudi didicerat, ſanati ſunt. Quin in caſu quodam contra corticem Peruuianum rebelli ſuffecit. Mirum eſſet, niſi aliquando ſpem falleret, quod ingenuus ipſe fatetur. Sed, niſi iuuerit, noxium tamen effectum non attulit. Debilitate ſtomachi laborantibus e re fuit, puluerem in infuſione aromatica (Vid. *Gazette ſalutaire* 1779. *n.* 13. *p.* 4.) capere. Infuſum quoque proficuum fuit (*Gazette de Santé* 1777.).

Domeſticum conſtituunt contra arthritidem in in infuſo theaeformi, quo ipſo conualuit intra quatuor hebdomades foemina, cuius manus antea ex morbo incuruatae inſigniter riguerant, aliisque eiusdem exemplo incitatis idem auxilium obtigit. Sapor eius paullo magis adſtringens eſt, quam infuſi Theae Chinenſis (HEYER in FRITZE *medic. Annal. Vol. I. p.* 301.). Res ſane digna vlteriori experimento, duce ſcito medico, inſtituendo.

Nimis

Nimis ſuccincte mentio fit virtutis foliorum in colica, item ſucci expreſſi cereuiſia excepti in ictero (HALL. *ſtirp. helv. n.* 667.), quam vt alios ad imitationem inuitare poſſit. Nec vis cataplaſmatis ex viſco ſtupae illito, ad dolores podagricos leniendos, ſatis firmo fulcro nititur (CHOMEL *Uſuelles T.* 3. *p.* 40.).

SAMBVCVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 244. *Gen. pl. p.* 147.

426.

Pharm. SAMBVCI *Flores; Baccae; Semina; Cortex interior; Folia; Fungus ſambucinus.*

Sambucus nigra; cymis quinquepartitis, foliis pinnatis, caule arboreo MURR. in LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 295. Sambucus fructu in vmbella nigro C. B. Ἀκτὴ Graecis. Icon: *Fl. Dan. tab.* 545. REGNAULT *Botan.* le Sureau. Arbor humilior in ſepibus et ad pagos crebra; item locis ruderatis. Nullum igitur ſoli genus ſpernit. Diſſeminatur auibus, quae baccis delectantur. Surculis quoque radicum facile propagatur.

Specioſa

Specioſa arbor dum floret ob candorem florum congeſtorum, qui inter triſte virentia folia tanto magis enitet.

Admonet tam haec ſaturata viredo, quam odor omnium partium ingratus et viroſus, de efficacia non mediocri in corpus animale. Id quod euentus confirmat. Baccae enim gallinas enecant (BARTHOL. *Hiſt. anat. rarior. Cent.* 4. *p.* 248.). et flores pauones (LINN. *Fl. Suec. p.* 97.). Muniri quoque poſſunt Braſſica et arbores pomiferae contra erucarum inſidias Sambuco, dum iſtae ſtirpes ramulo eiusdem frondoſo flagellantur, quae encheireſis vti et ſuſpenſio ramuli eiusmodi aphides etiam fugat (GULLET in DOSSIE'S *Memoirs of agriculture vol.* 3. *p.* 164. *ſqq.*). Quin vmbram ſpargit hominibus nociuam (LINN. *l. c.*)

Non valde eminet oeconomico commodo, ſed medico totam fere videtur deſtinaſſe benefica natura. Medulla ſpongioſa, quae ramos teneriores replet, deſtituuntur trunci craſſiores. Hinc hi *lignum* ſuppeditant tam duritie quam colore flaueſcente tornatoribus placens, et Buxi ligno vix cedens. *Medulla*, quam dixi, ornamentis ciſtularum inſeruit. Quoniam vero aues baccarum cupidae ſunt, commode

mode locis, quibus aucupia exercentur, arbores plantantur. *Baccae* linum fuſco colore tingunt. Vino odorem moſchatellinum impertiunt. Et vel ſolae cum ſaccharo vel in connubio aromatum fermentatione vinum quoddam, iſti Frontiniac non abſimile, locis vite carentibus ſuppeditant. Coqui in Germania quoque ſolet ſuccus earum cum prunis in pulpam iſtam conſuetam, quae acetarii genus conſtituit, quo additamento vt ſapori, ita diuturniori conſeruationi conſulitur. Cymae florum recentes placentarum butyro coquendarum genus conſtituunt. Hiſce praemiſſis via ad virtutes medicas continua ſerie recenſendas plana eſt.

FLORES omnium partium vſitatiſſimi. Spirant recentes odorem fortem non omnino ingratum, qui per deſtillationem aqua recipitur. Si eorum maior quantitas ſumitur, exigua pars olei aetherei butyracei ſub eadem encheireſi tranſit (LEWIS *Mat. med. p.* 515.). Recentes in infuſione blande aperiunt aluumque mouent. Exſiccati, qui fere odoris partibus carent, vnice fere adhibentur. Ore capti in infuſo, inſtar Theae, egregie impacta ſubigunt et ſudorem pellunt. Ob reſoluendi iſtam vim in tuſſi, repletione pectoris pituitoſa, item

ſputis

ſputis peripneumonicorum languentibus, ſuetam medelam conſtituunt, vnde et ſpeciebus pectoralibus vulgo admiſcentur. Item ſi ſuppreſſa ſputorum reiectio ſuffocationem minatur, vix praeſtantius vllum auxilium ſuppetit, quam vapores infuſi florum calidi ex ſpongia ante nares vel os apertum retenta haurire, praeſertim aceto eidem affuſo. Sudorem autem mouendo criſin per poros in febribus acutis efficaciter adiuuat, dum florum ipſorum virtutem aqua calida ſuſtinet; noxas ex refrigerio aliter facile concipiendas auertit; variolas, morbillos, ſcarlatinam, eryſipelas aliaque exanthemata tam acuta quam chronica vel in eruptione torpentia vel cito inter ambigua ſigna retrocedentia incitat vel reuerti cogit. Aliquando tamen in hiſce exanthematibus adminiculo ſinapiſmi vel veſicatorii ſimul opus eſt. Et hacce ſudorifera vi haud parum antecellit ob naturam ſuam calidis, alias in eosdem fines vſitatis, quae potius rigidam ſiccamque cutem reddunt, quam emolliunt et humectant.

Extrinſecus quoque ſicci in ſaccvlis cvm fructv adhibentur ad tumores varios, inflammatorios, eryſipelatoſos, oedematoſos, diſſipandos, ſaepe

ſaepe in florum Chamomillae vulgaris et camphorae connubio. Oportet autem ante applicationem auferre ſtipites ſ. pedunculos, ne preſſione moleſti ſint. Rarius cataplaſmata vel epithemata florum ex vſu ſunt, quae vi aquae calidae potius emolliunt, quam reſoluunt.

BACCAE ouales, nigrae, piſi minoris magnitudine, vmbilico eleuato ſtellato, ſuccoſae, triſpermae. Succo ſcatent rubicundo, acidulo dulci, nec tingente, in epidermidis autem ſuperficie interna obtinet pulpa violacei coloris chartam inquinans. Blande aluum mouent. Vna vel altera bacca comeſta non quidem diſplicet, ſed multitudo palato aduerſatur. Maxime vero inclaruerunt Robe, quod ex ſucco expreſſo paratur, de quo paullo poſt dicturus ſum. Baccae exſiccatae nomine *Granorum Actes* veniunt.

SEMINA ouali linearia, tenuiter rugoſa, tecta arillo duro, et intra baccam veſtita pulpa ſubgelatinoſa. Aluum purgant. Siccata olei viridis craſſi octauam partem calida expreſſione erogant. Venale oleum conſuetum cum oleo Lini exprimitur, hinc improbandum eſt (DEHNE in CRELLS *chem. Journ. P.* 3. *pag.* 35.). Quod fuſco viride exſtitit, odoris et ſaporis vix ſenſibilis fuit,

frigore gr. 12. non ſolideſcens, ſed artificiali gr. o. colore dilutiori conſiſtens (cl. BRANDIS *Comment. de oleor. vnguinoſ. natura p.* 22.).

CORTEX INTERIOR ſ. MEDIANUS, qui viridis eſt, primum dulceſcentem ſaporem excitat, quem inſequitur acris diu perſiſtens nonnihilque amarus. Odore fere deſtituitur. Vires tam aquae quam ſpiritui vini impertit. Celebratur vt hydragogum efficax in hydrope; ſed ſimul etiam facile vomitum ciet. Et huic quidem fini ſuccus par eſt. Ad drachmam vnam vel vnciam dimidiam ſumtus laudem ſibi vindicauit BOERHAAVII (*Hiſt. plant. P. I. p.* 207.) in hydrope obſtinato, modo viſcera ſana ſint; nam compertum eſt, hominem aliquando magna ſubitaque lymphae per aluum euacuatione animo linqui. Sunt qui ad vnciam vsque ſupraque praeſcribere eum audent. Placuit et magni nominis viro (SYDENHAMO. V. *oper. p.* 496.), corticem hunc aqua lacteque decoctum praeſcribere, ſcilicet ſic, vt eius manipuli tres in liquidi iſtius commiſti libris duabus ad libram vnam coquerentur, et huius decocti alterum dimidium mane, alterum ſero quotidie ad ſanationem aegri vsque caperetur; vnde pariter et vomitus et catharſis ſequitur. Aſt eiusmodi draſtica debilitant valdopere corpus

corpus et anſam nouae tantoque abundantiori collectioni aquae praebent; quin ſi effectu exſpectato deſtituuntur, ſtimulo ſuo nocent et aquae morboſum decubitum accelerant.

FOLIA. Turiones et aluum fortiter mouent et vomitum cient. Quin hypercatharſis inde aliquando enaſcitur. Fuit qui eosdem crudos cum aceto oleoque ingeſſit, vnde vero quadrageſies aluus ſoluta et tertio die comatoſus inſultus ſubſequutus eſt (BARTHOL. *Act. Hafn. vol. I. p.* 164.). Alii duo, in vigore aetatis conſtituti, iisdem ingeſtis poſt copioſos vomitus hypercatharſin experti ſunt et ex ea extremum virium diſpendium pallorem et maciem contraxerunt (*Eph. nat. cur. Dec.* 2. *ann.* 9. *p.* 48.). Vituperandus igitur mos, qui adhuc inter paganos in Germania viget, inſtar acetarii eosdem verno tempore alui eluendi cauſa ingerendi. Foliorum explicatorum vſus hodie fere nullus. Nec probo eadem oedematibus pedum imponi, in quibus praeſtat vti topicis, quae inſudatione aquam ſtagnantem eliminant, quam eandem ad interiora repellunt.

FVNGVS SAMBVCINVS innaſcitur vetuſtis arboribus, praecipue Sambuco. Eſt Peziza Auricula L., cuius vires infra ſuo loco tradentur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA FLORVM SAMBVCI *Pharm. omn.* De hac: partim ſupra (v. Flores *p.* 15.) dictum. Leuiter: diaphoreſin mouet. Hinc vſitatiſſima tanquam vehiculum in mixturis, ſudori pellendo dicatis.

SPIRITVS FLORVM *Ph. W. p.* 197. Exoleuit: et vſus et fides bezoardicae et anodynae virtutis.

SPIRITVS BACCARVM *Ph. W. p.* 190. Pariter ſuperfluus et neglectus.

ACETVM *Ph. W. p.* 1. Ex floribus infuſione paratur. Eximium reſoluens. Gargariſmatibus ſcite in angina additur, ad exemplum ab Equ. A ROSENSTEIN (*om Barns ſjukdomar p.* 241.) datum. Et huius cum aqua calida remixti vapores ex ſpongia pectori impoſita naribus hauriuntur in ſolatium inſigne tam in iſto malo, quam ſputis in morbis pectoris languentibus.

ROB *Ph. W. p.* 164. Ex ſucco baccarum cum ſaccharo in denſitatem iuſtam inſpiſſato. *Pharmacopoea Lond. p.* 26. omittit ſaccharum; cuius autem connubium vel ideo mihi arridet, quo empyreuma auertatur. Hinc Rob Sambuci, ſine ſaccharo paratum, nigrum plerumque euadit et

ſapore

ſapore ambuſtionem prodit. Praeſtat Rob ex baccis recens collectis, vt quod dulceſcente ſapore et colore gratiori inſtruitur, illo ex baccis vel ſucco diutius ſeruatis, quod manifeſte acidum eſt, et profundioris coloris. Cautione quoque opus eſt, ne in eiusdem, vt aliorum ſimilium, inſpiſſatione cupreae particulae ſeſe admiſceant, quod facile contingit, dum loco terrei vaſis cupreum vel aurichalceum adhibetur, vt ruri fieri ſolet. Vnde e re eſt, vt pharmacopola ipſe illud praeparandum curet.

Eſt omnium ſuetiſſimum Rob et praeſtans, quod tam ruri, quam in vrbibus, domeſtici inſtar remedii eſt. Blande ſudorem mouet et reſoluit, item largius ſumtum aluum emollit. Hinc, ſi tranſpiratio refrigerio ſuppreſſa, conuenit. In affectionibus rheumaticis acutis omnibus reliquis, ob vim eius humores absque motus augmento ſoluendi et excretiones varias promouendi, illud praefert ill. QUARIN (*Meth. medend. inflamm. p.* 259.) ad tres quatuorue vncias de die ingeſtum. In angina vtiliter ad ſtaſin diſſipandam gargariſmis additur. Lotio nigredinem conciliaſſe legitur (*Eph. nat. cur. Dec.* 2. *ann.* 6. *obſ.* 8. *p.* 27.).

427.

Pharm. EBVLI *Radix; Cortex interior; Folia; Flores; Baccae; Semen.*

Sambucus Ebulus; cymis trifidis, ſtipulis foliaceis, caule herbaceo LINN. *Spec. pl. p.* 385. Sambucus humilis ſ. Ebulus C. B. Χαμαι ακτη Graecis. Icon: REGNAULT *Botan.* l'Yeble. CURTIS *Fl. Lond.* Planta herbacea perennis procera, locis humidis vmbroſis ſyluaticis creſcens. Specioſa floribus, intus albis extus purpureis, maioribus, quam in reliquis ſpeciebus, ſed moleſta hortis ob repentes radices, quae vndique ſurculos protrudunt, vix vnquam domandos.

Tota ſtirps odorem ingratum viroſum ſpargit, ſimilem quidem illi ex Sambuco, ſed grauiorem. Experientia quoque conſtat, viribus ea eſſe ſuperiorem. Sed rarius vſurpatur.

RADIX repens, fere teres, digitum ſupraque craſſa, alba, ſubcarnoſa. Sapor eius amarus, nauſeoſus. In hydrope potiſſimum olim celebrata. Succus eiusdem aluum lotiumque mouet; item decocto ad drachmas duas ſumta radix purgat. Sunt qui corticem radicis recentem praeferunt, decoctum aqua,

aqua, vnde et per os et per aluum potentiam ſuam exercet. Similiter ſi

CORTEX INTERIOR caulium recens cum aqua decoquitur, emergit liquidum valde amarum, quod, ieiuno ſtomacho in ſufficiente copia captum, vomitum excitat efficacem ſimulque deiectiones copioſas aluinas ciet, et lotium large pellit (BROCKLESBY's *oecon. et medical Obſervations p.* 277.). In hydrope quidem aliquando profecit, ſed admonitio eadem hic valet, quam articulo ſuperiori de vſu draſticorum in hydrope in medium protuli.

FOLIA in horreum proiecta mures fugant. (Ex LÖSELIO LINN. *Fl. Suec. p.* 97.). Cocta cum vino in cataplaſma diſſipant tumores articulorum ex contuſione enatos, praecipue ſi faſcia comprimens iungitur (REMON DE VERMALE *obſerv. et remarques de Chirurgie p.* 81.). Profuiſſe et viſa ſunt cataplaſmatis forma in hydropicorum oedematibus.

BACCAE, iſtis Sambuci non multum abſimiles, recentes purgant. Rob inde paratum tam in Heluetia (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 671. *p.* 300.), quam Carniola (SCOPOLI *Fl. Carn. ed.* 1. *p.* 270.), domeſticum eſt familiare. Negat HALLERUS aluum ſubducere, dum recens blande hanc vim praeſtare

ſtare innuit SCOPOLI, qui idem docet vetuſtum abſtergere leniter atque reſoluere. Sic vtriusque effatum ſtare poterit. Obſtructionibus viſcerum et hydropi praecipue dicatum eſt.

Omitto baccarum vſum tinctorium pro colore coeruleo, quo ipſae imbutae ſunt.

SEMINA ouata, ſubtrigona, rugoſa. Contuſa aquam hydropicorum per aluum ducunt, quo recentiora tanto efficacius, ad drachmam vnam cum vino, iuſculo, vel alio liquido ſumta; vel cum ſyrupo inſtar electuarii (CHESNAU *Obſerv. med. p.* 227.). Nauſeoſum ſemen HALLERO (*l. c.*) viſum et fere emeticum, quum vrinam eo ciere pro ſcopo eſſet. Oleum inde coctione cum aqua elicitur, quod cochlearis praebio pariter aluum efficaciter mouet et inunctum dolores mitigat (HALLER *l. c.*). Cum iuſculo hauſtum hydropicis dicto modo ſubueniſſe conſtitit (CHESNAU *l. c.*).

RHVS.

RHVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 379. *Gen. pl. p.* 146.

428.

Pharm. SVMACH *Folia; Baccae.*

Rhus coriaria; foliis pinnatis obtuſiuſcule ferratis oualibus ſubtus villoſis LINN. *Spec. pl. p.* 379. Rhus Sumach officin. LOBEL. *Hiſt. p.* 539. Rhus coriaria DODON. *ſtirp. pempt. p.* 779. Rhus ſ. Sumach JO. BAUH. *Hiſt. tom. I. p.* 555. Rhus folio Vlmi C. B. Ῥοὸς Graecis. Icon: DU HAMEL *Traité des arbres, vol. I. p.* 218. *tab.* 52. BLACKWELL *Herbar. tab.* 486. 541. Arbor humilior Europae auſtralioris et Orientis, hiemale frigus ſub dio probe apud nos ferens. Surculos copioſos ex radice protrudit. Facile confunditur cum Rhoë typhino LINN. cuius folia lanceolata. Ambo tamen viribus videntur conuenire.

Genus, cui adſcribitur, complectitur varias ſpecies venenata ſua indole famoſas, nominatim Rhus Toxicodendron, radicans, Vernicem. Et ipſa Rhus coriaria fracta vel inciſa lac fundit, quod an vernici Chinenſium parando par ſit, res vlteriori

experientia digna eſt. Attamen ſub medico vſu nonniſi acorem et adſtringendi efficaciam inſignem prodit. Quae ipſa vis quoque tinctoribus pro nigredine obtinenda et cerdonibus ad denſanda coria, eandem commendabilem valdopere reddidit. In hoſce fines rami teneriores cum foliis comminuti veneunt. Fraude ſubinde in Sicilia, vbi lucroſa eiusdem mercatura, folia Ficus vel Inulae Pulicariae L. (Coniza Pulicaria dicitur) admiſcentur (SESTINI *Lettere tom.* 4. *p.* 109.).

FOLIORVM dignitas in re medica ſub tanto numero auſterorum et ſtypticorum, quae proſtant, omnino euiluit. Quid vero iisdem apud antiquos tributum fuerit, omnium optime apud DIOSCORIDEM (*Mat. med. Lib. I. cap.* 147.) legitur, a quo dicta ex vno libro in alterum ad nouiſſima tempora vsque transmigrarunt.

Et vix amplius in officinis BACCAE ſuppetunt, quae adoleſcente autumno ad maturitatem in ſuis racemis perueniunt. Hae rubrae ſunt, pubeſcentes ſubrotundae et nonnihil compreſſae, includentes, intra pulpam parcam, ſemen ouatum, complanatum brunum, durum, auſterum. Pulpa iſta, etiamſi

etiamſi ſicca, grate acida eſt. Sal quoddam acidum eſſentiale continet, ad naturam ſalis Acetoſellae vel cremoris tartari propius accedens. Hoc facile colligitur aqua feruida baccis intra ſaccum ſuperinfuſa, vtquae poſt iteratam ſolutionem et euaporationem cryſtallos exhibet albas tranſparentes acidas, quarum ex libris duabus baccarum drachmae ſex fere obtinentur. Difficile ſoluuntur aqua frigida, intumeſcunt igne et funduntur, auctiori igne flammam concipiunt (TROMMSDORFF in *Act. Mogunt.* 1778. *et* 79. *Comment. chem. p.* 25.). Infuſum aquoſum baccarum ſiccarum vitriolo martis non nigreſcit (BERG. *Mat. med. p.* 237.), vnde colligitur adſtringendi vi deſtitui. Acoris grati autem in hiſce ratio omnino habenda eſt. Quamobrem apud Gallos arbor *le Vinaigrier* audit. Vetuſto etiam vſu pulpa obſoniis inſtar condimenti adſperſa (DIOSC. *l. c.*), quod idem et hodie Perſis familiare eſt, vt per litteras ab ill. L. B. AB ASCH reſciui, qui capſulae, cui inditae erant baccae, adſcripſerat, easdem ob acorem gratum Iſpahani potulentis et cibis addi. Similiter etiamnum Turcis pro condimento eſt (SESTINI *Opuſcoli*). Ratio iam nominis Rhus obſoniorum, quo arbor ornatur, conſtat. Ob hancce naturam baccas calorem

febri-

febrilem lenire, bilem corruptam temperare, humorumque putredinem corrigere, ſponte intelligitur. Nec male in ptiſanas baccae varia labe praeſente reciperentur, niſi acida alia vegetabilia, quorum larga copia, compendium ſelectus admitterent.

AMYRIS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 298. *Gen. pl. p.* 188.

429.

Pharm. ELEMI *Gummi.*

Amyris Elemifera? foliis ternatis quinato-pinnatisque ſubtus tomentoſis LINN. *Syſt. veg. l. c.* Nondum euictum eſt, Elemi ex hac ſtirpe Caroliniana peti, quam pro vera habere nomen triuiale facile inuitat. Serius Burſeram eius matrem declarauit (*Amoen. vol.* 7. *p.* 56.), quod demum ipſe dubium reddidit (*l. c. vol.* 8. *p.* 191.). Negat ill. JACQUIN (*Select. ſtirp. amer. hiſt. p.* 107.). Amyridem ſyluaticam Elemi fundere, quam vero LINNEUS (*Syſt. veg. p.* 298.) ab Elemifera diſtinguit.

Aeque difficile eſt, ad antiquiora nomina botanica hoc Gummi referre. An ſit ex Içicariba

riba PISONIS (*Ind. res nat. et med. p.* 122.), non omnino conſtat, vt qui tantum illi Gummi ſimile officinali tribuit. Nec an ſit ex Terebintho Piſtaciae fructu non eduli PLUM. cuius reſina loco Thuris in templis Cayennae ſuffimentum praebet (BARRERE *Hiſtoire nat. de la France Equinoxiale p.* 107.). Quae arbores Americam auſtralem patriam habent.

Cl. GEOFFROY (*Mat. med. Traité, tom.* 4. *p.* 36.) diſtinguit inter Elemi duas ſpecies, quod quidem diſcrimen hodie non curatur: inter *Elemi verum* ex Aethiopia oriundum, flaueſcens vel albo viride, intrinſecus ſolidum, interne molle et glutinans, odoris Foeniculi, tectum Arundinis vel Palmae foliis, fruſtis cylindricis transferri ſolitum, raro in officinis obuium; et *Elemi ſpurium.* Hoc videtur eſſe illud, quod hodie ex noua Hiſpania, Braſilia, inſulis Americanis transfertur, et cuius PISO meminit, item DES MARCHAIS (*Voyages en Guinée et à Cayenne, tom.* 3. *p.* 265.). Nimirum poſtquam cortex in ſummo trunco, plenilunio inprimis et tempore ſicco inciſus fuerit, intra triduum exundat reſina grate odora, odoris inſtar Anethi recens contuſi, quae ſenſim indureſcit. Vix licet dubitare, quin

quin plures diuerſae arbores ſuccum ſimilem erogent.

Iam in officinis Elemi nomine proſtat maſſa ſolida ſemipellucida, flaueſcens fere inſtar ceracum immixta viredine, inter digitos frigidos friabilis, calore lenteſcens, amaricans, odoris grati ad Anethum accedentis. Fragmentis ſaepe corticis vel ligni inquinatur. Transmittitur hodie ciſtis incluſa. Sunt, qui arte illam imitantur ex reſina flaua cum oleo Spicae et Terebinthinae miſta, quod ſuppoſititium Elemi autem diſtinguitur odore terebinthinaceo, quem calore ſpargit (SAVARY *Diction. tom.* 2. *p.* 215.), vt alios illam adulterandi modos taceam.

Reſinae potius nomen meretur, quam gummi. Nam Elemi libra vna ciuilis exhibet reſinae vncias quindecim et extracti aquoſi ſecundi ſcrupulum modo vnum; extracti autem aquoſi primi drachmae duae cum ſcrupulis duobus ex eadem quantitate eliciuntur (NEUMANNS *Chymie vol.* 2. *P.* 2. *p.* 403.). Olei eſſentialis illi ineſt $\frac{1}{16}$ pars (IDEM), quod ipſum, deſtillatione cum aqua erutum fragrantem Elemi odorem ſpirat et nonnihil linguam pungit: reliquum reſina inodora eſt. Ipſa aqua deſtillata fragrans eſt.

Noſtro

Noſtro tempore nonniſi externis vſibus dicatur, etſi odorae partes, quae variis menſtruis excipi ſeſe ſinunt, plus virium promittunt, quam a ſimplici reſina exſpectari poteſt. Sed in linimento digerendi et ſuppurationem promouendi virtutem exſerit. Exempla in pharmacopoliis proſtantia eius fidem faciunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

BALSAMVM ARCAEI *Ph. Würt. p.* 28. VNGUENTVM V. LINIMENTVM ARCAEI *Ph. Edinb. p.* 98. Praeter pinguedinoſa Terebinthina et Elemi ingrediuntur. Additamentum Santali rubri ſuperfluum eſt, quod tamen vna cum oleo Hyperici formulam *Ph. Würt.* intrat. Eximium et vſitatum eſt vulnerarium pro digeſtione et ſanatione vulnerum.

BALSAMVM VVLNERARIVM MINDERERI *Ph. W. p.* 32. Similis naturae et virtutis, ſed rarioris vſus. Contra vulnera recentia nominatim commendatur.

430.

Pharm. BALSAMVM DE MECCA ſ. OPO-
BALSAMVM ſ. BALSAMVM VE-
RVM ſ. BALS. GILEADENSE.
XYLOBALSAMVM (*Lignum*).
CARPOBALSAMVM (*Fructus*).

Amyris Opobalſamum; foliis pinnatis, foliolis ſeſſilibus LINN. *Mant. I. p.* 65. *Syſt. veg. p.* 299. Haec ipſa foliorum deſcriptio apprime conuenit cum ea a BELONIO in *Obſervations de pluſieures ſingularitéz trouvées en Grece — Arabie etc.* 1554. *lib.* 2. *cap.* 39. *p.* 110. *b.* praeſtita ex arboribus intra hortum pagi Materea dicti prope Cahiram ſeruatis, et ab ALPINO in *libro de plantis Aegypti p.* 48. *icon. p.* 60. et in *Dialogo de Balſamo ic. p.* 48. tradita et figura illuſtrata. Et hi quidem primi obſeruatores fuere, qui viuas ſtirpes examini ſeriori ſubiecerunt. Sed de florum natura nihil conſtitit, praeterquam quod ALPINUS eos depingat corymboſo-paniculatos, donec FORSKÅLIUS ex ſcrutinio in loco ſtirpis natali inſtituto Amyridem eſſe ſignificaret (Litt. ad LINNEUM in *Amoen. acad. vol.* 7. *p.* 66. Conf. FORSKÅL. *Flor. Aegyptiaco-arab. p.* 79. *ſqq.*). Cui iudicio LINNEUS Eques ſubſcripſit ex conſpecto ramulo ſicco foliolis

foliolis ternis transmiſſo. Aſt nec eo dubium omne ſublatum eſt, quum in arbore, ſed floribus tum deſtituta, a FORSKÅLIO ad Giddam viſa, cuius ramus diffractus Balſami Meccani odorem ſparſit, folia omnia eſſent ternata, nec pinnata, floresque ad gemmas laterales congeſti, nec ſubpaniculati; in alia autem arbore ad Yemen conſpecta, odore alteri ſimili, folia pinnata (ſcriptionis vel impreſſionis vitio legitur iterum ternata in *Amoen. l. c. p. 66*: ſed iſtam interpretationem nexus dictionis iniungit; et ita quoque ſentit cl. GLEDITSCH in *Schrift. d. Berlin. Geſellſchaft Naturforſch. Freunde, vol.* 3. 1782. *p.* 116.) fructusque Carpobalſamo ab ALPINO depicto omnino congruus. Foliorum diſcrimine inductus LINNEUS Forſkålianam ſtirpem priori loco dictam Amyridem Gileadenſem vocauit, alteram diu iam cognitam Amyridem Opobalſamum; non diffeſſus tamen fieri potuiſſe, vt nouis propaginibus in eadem ſtirpe prodirent folia pinnata, quae primum nonniſi ternata tulerit: et ſic Forſkåliana planta cum Alpiniana (LINN. *l. c. p. 69.*) eſſet eadem. Quae coniectura ex analogia aliarum quoad folia ſimilium plantarum fulcrum adipiſcitur, tum et ex narratione BELONII, quod tria,

quinque ſeptem foliola petiolo inſideant, item ex figura ALPINI, in qua ſcilicet, praeter folia pinnata h. e. quina ſ. ſeptena, quoque ternata aliquot depicta cerno. Quae FORSKÅLIUS opere poſthumo (*loc. cit.*) de tribus Amyridis ſpeciebus in Arabia inuentis memoriae prodidit hiſce difficultatibus enodandis non ſufficiunt; ſingulis folia ternata tribuit.

Ill. GLEDITSCH autem nuper remouit ſtirpem balſami Meccani a genere Amyridis, genus Balſameam Meccanenſem nuncupans, illique calycem ſemiquinquepartitum, corollam pentapetalam, ſubinde 3-4 petalam ſtaminaque decem (ſubinde 9. 7. 8. 5.) calyci inſerta, folia mox ternata, mox pinnata, mox tripinnata, et inflorescentiam (*Blumenſtrauſs*) florum decem ad viginti tribuens. Et haec quidem conſtiterunt indagine ramuſculorum trium ſiccorum, quos inclytus peregrinator regionum orientalium, cl. D. REINEGGS, Conſtantinopoli ab ACHMETO EFFENDI ex Mecca ſecum translatos acceperat, et ad cl. HACQUET, Profeſſorem Labacenſem, miſerat, quorum vnum lateralem ex ſuperiori parte ſtirpis decerptum ſed absque fructu cl. GLEDITSCH ſcrutinio ſuo ſubmiſit, iunctis obſeruationibus aliquot

ab

ab HACQUETO cum eo communicatis (vid. *Schrift. d. Berl. Geſellſch. naturf. Freunde cit. p.* 103. *ſqq.*).

Vltra haecce ſubſidia in cognitione veriori ſtirpis prodire hactenus non contigit. Futurae aetatis eſt, reliqua de ea ſcitu neceſſaria ſupplere, quod vero tanto difficilius eſt, quum Chriſtianis non concedatur in illum locum contendere, vbi creberrimus balſami prouentus eſt, et balſamum colligitur. Hinc et quae de collectione balſami hactenus nouimus nonniſi narrationibus hominum nituntur, qui vel religionis vel quaeſtus, vel, ad peregrinatores ab inſidiis Arabum tuendos, praeſidii cauſa Kahira longum et periculoſum iter in Meccam et Medinam inſtituunt.

Originem vero ſuam trahit ex arbore exigua, quam plerique fruticem paucos cubitos altum deſcribunt, locis montoſis paſſim in Arabia felici ſpontanea. Aliquando tamen in proceritatem notabilem ſuccreſcere, inde cognoſcitur, quod ſub eiusdem vmbra FORSKÅLIUS deſcriptionem eiusdem (modo arbor ſit eadem) exarare potuerit (V. NIEBUHR *Reiſebeſchr. nach Arabien, vol. I. p.* 352.). In Arabia deſerta quoque fertur eſſe crebra. In Iudaea et Aegypto ſponte proue-

nire multis ALPINUS contra antiquos ſcriptores negat, ſed ex Arabia illuc nominatim in viridarium pagi Materea, vrbi Kahirae vicini, variis epochis translatum, contendit. Iamiam autem in Aegypto ne hoc hoſpitii quidem iure amplius ibidem fruitur (AUG. LIPPI in GEOFFR. *Mat. med. Traité tom.* 3. *p.* 376.). Etiamſi vero Balſamus ex vrbe Mecca petatur, itinere tamen pluriumdierum collectionis locus ab vrbe diſtat, et hic ipſe in poſſeſſione familiarum quarundam Arabicarum verſatur (HASSELQUIST's *Reſa til heliga Landet p.* 531.). Inter Meccam et Medinam ſitum eſſe plerique affirmant.

Pars vero, quae fruticem praecipue celebrem reddidit eſt balſamum liquidum, odoris gratia, pretio, et, vt multi volunt, virtute omnia reliqua Balſama ſuperans. Et huius quidem fama iam vetuſtis temporibus inualuit, laudantibus illud THEOPHRASTO ERESIO, DIOSCORIDE, PLINIO, SERAPIONE aliisque antiquorum bene multis. Nec minuit eam aetas, etenim adhuc hodie apud Arabes, Aegyptios, Turcas, inter praeſtantiſſima naturae dona refertur.

Optimum

Optimum balſamum hoc eſt, quod vel ſponte ex cortice ramorum deſtillat (ALPIN. *dialog. de Opobalſ. p.* 21. item AUGUST. LIPPI, infelix ille in Abyſſiniam peregrinator in GEOFFR. *Matiere med. tom.* 3. *p.* 377.), vel cauta eius vulneratione tempore vernali prolicitur. Sed alia illud lucrandi ratio eſt illa, per coctionem ligni frondiumque in aqua, qua maxima eius pars obtinetur (VESLING. *Obſerv. in Alp. libr. de pl. Aegypti p.* 18.). Coctione nimirum in magno aheno inſtituta aſcendit in ſuperficiem aquae oleum limpidum et ſubtile, quod ſollicite aufertur; continuata ea vero ſurgit oleum paullo craſſius minusque odorum, quod, vt minus pretioſum per itinera Kahiram et in alias regiones mittitur, et maxime vulgare in Europa eſt (LIPPI *l. c. p.* 378.). Sed redeo ad pretioſiorem ſpeciem. Si imprudenter inciſio fit, laeſa vitioſe frūticis pars facile emoritur. Ferro laedi inquit PLINIUS (*Ed. Dalech. p.* 584.). Expaueſcere ferrum, hinc corticem lapidis fragmento vel teſta aperiri, indicat TACITUS (*Hiſtor. lib.* 5. *ed.* GRONOV. *p.* 355.), quod quidem fide narrationis Arabum aliquot negat VESLINGIUS (*Obſerv.* in ALPINI *libr. de pl. Aegypti p.* 17.), vtqui ferrum vere vſurpari illi aſſeuerarunt, et ALPINUS (*Dial. p.* 21.) quoque. Non memora-

rem haecce, nisi nouissime narratum esset a cl. REINEGGS vnguibus colligi ex foliis, (corticem sine dubio intellexit?), quo fine insigne vnguibus incrementum concedi (*Schrift. d. Berl. Gesellsch. l. c.* p. 404.). Ramulus per diem modo tres vel quatuor guttas stillare fertur, nec fertilissimus frutex plus quam triginta vel sexaginta guttas, vitro subtus alligato excipiendas (GERLACHS *Tagebuch f. Reise nach Constantinopel p.* 227.). Alio recentiori experimento a septem viris per viginti dies nonnisi pondus Arabicum 87 Mis-kal aequans colligi potuit (REINEGGS *l. c.*). De pondere autem hoc aeque ac pretio insigni, quo venit genuinum balsamum, iudicari poterit, si balsami pondus 25 Mis-kal Arab. aequans, h. e. $38\frac{1}{2}$ drachmas, Meccae nonnisi Zecchinis 25 Venetis vendi, significauero. Vix igitur nisi apud Imperatorem Turcicum et magnates verum et integrum nec arte corruptum exstat. Quotannis vero imperatori et praefectis quibusdam a principe Arabum Seriph appellato, qui vrbi Meccae praeest, muneri quantitas quaedam Opobalsami post aduentum peregrinorum datur. Dono imperatoris vel procerum in Europaeorum manus sincerum aliquando venit lagenae plumbeae inditum, cuius vnum exemplum trium librarum et

vltra

vltra capax et inſtructum orificio anguſto cum margine lato olim inſtar muneris ab Imperatore Turcico Regi Poloniae miſſum fuit (V. HEINSII *Diſſ. de Opobalſ. p.* 3.). Quae commemoro, vt illud transferendi modus quodammodo noſcatur.

Significandi itaque iam ſunt characteres genuini balſami, quorum quidem numeroſi recenſentur, partim veri, partim falſi (Vid. vtriusque generis exempla in ſcriptis polemicis, inter Italos medicos et aromatarios olim de hoc balſamo mixtis et collectis in VOLCKAMERI *Opobalſami orientalis examine et ſinceritate, Norimb.* 1644.). Nobis ſufficiat praecipuos noſſe. Initio fluidius eſt, ſucceſſu autem temporis tam tenax euadit, vt in fila trahi ſeſe patiatur; ſic et aetas colorem initio pallidum et turbidum ſenſim in flaueſcentem et pellucidum vertit (HASSELQUIST). Odor grate fragrans, a quibusdam cum citreo ab aliis cum iſto inter Roriſmarini et Saluiae odores medio, vel terebinthinato in illum Macis inclinante, comparatus. Temporis tractu minuitur odor (Poſt DIOSCOR. ALPINUS *de pl. Aegypti p.* 54. *Dial. p.* 21. CARTHEUS. *Diſſ. de Opobalſ.* in *Diſſ. phyſ. med. p.* 58.). Sapor leniter amarus et ſubacris ſenſumque caloris in lingua excitans. Pro

certiſſimo indicio integritatis hoc vero habetur, quod, ſi aquae frigidae guttula balſami inſtilletur, haec ſupra aquae ſuperficiem illico ſeſe diſpergat, et pelliculam albicantem aequalem veſiculis expertem, ibidem formet, quae ſtilo, apice cultelli, pilo, vel filo quodam immiſſo tota auferri poſſit, aqua perfectam pelluciditatem ſeruante (ALPINUS, VESLINGIUS, *Opobalſami veteribus cogniti vindiciae p.* 30. 31. GERLACH, HASSELQUIST aliique, fontibus expiſcandi veri propiores. Cfr. et iudicium in VOLCKAMERI collect. *cit. controuerſiar. de Opob. p.* 218.) Sed et haecce exploratio ni fallor attentionem ad aliquot minutias in encheireſi deſiderat. (V. VESLINGIUS *l. c.* VOGEL *Progr. de verioribus balſami meccani notis p.* 9.). Nec ſuccedere in balſamo nimis vetuſto quidem legitur (GERLACH *l. c.*), ſed reprehendit hocce effatum alius (CARTHEUS. *Diſſ. de Opobalſ.* inter *Diſſ. phyſico-med. p.* 58.). Additur a VOGELIO (*l. c.*) experimentum hoc, ſi fiat aqua feruida, guttam ſub vndulato motu ſeſe diſpergere. — Non ſuccedit mihi experimentum pelliculam reſpiciens in balſamo, quod coram habeo, ſed gutta fundum petit inque eo remanet, forſitan quoniam illud annoſum eſt, odorem vero ſpargit illi, qui ineſt Pino Balſameae ſimillimum. Senſim gutta iſta

iſta lacteſcit ſua ſuperficie. Sed ne hanc quidem notam ſufficere pro dignoſcendo Balſamo vero, etiamſi recentius prolicito, inde patet, quod liquor reſinoſus, qui m. Martio corticem Pini et Abietis in veſiculas expandit, ſi guttatim aquae frigidae inſtillatur, pariter pelliculam in eius ſuperficie formet (SCHMIEDEL et TROELSCH *Diſſ. de Oreoſelino p.* 7.). An vero illa ſtilo quoque auferri poſſit, non adiicit experimenti auctor. Ita et pellicula ex oleo Iuniperi aquae inſtillato formatur (Aduerſarii MANFREDI et PANUTII in VOLCKAM. *l. c. p.* 5.).

Conſtat hoc balſamum ex oleo aethereo fragrantiſſimo, deſtillatione prouocando, et ſubſtantia fixa reſinoſa. Alcohole vini nonniſi caloris ope ſolvitur. Aqua frigida huic ſolutioni affuſa, haec lacteſcit. Oleo expreſſo digeſtum quoque ſubigitur.

Lucri cauſa vario additamento genuinum vitiatur e. c. Terebinthina Cypria, oleo Seſami, pinguedine Struthionis, et hiſce quidem ſingulis ſeorſim (HASSELQUIST *l. c. p.* 530. Conf. alii adulterationis modi ab ALPINO collecti in *Dialog. p.* 33.).

Vix quoque dubitandum, quin aliquando loco veri balſami Meccani liquidum ſimile, quod

diſruptae veſiculae corticis Pini Balſameae fundunt, vendatur. In Anglia ſaltim id fieri nouimus (DU ROI *Harbkeſ. Baumzucht vol.* 2. *p.* 107.). Annc hoc eſt, cuius meminit LEWIS (*M. m. p.* 422.), tanquam diſcrepantis in nonnullis momentis a vero, item illud diuerſum, quod nomine Balſami Gileadenſis ex Anglia obtinuit ill. BERGIUS (*M. m. p.* 293.)? quod pariter ſupra aquam cuticulae inſtar ſeſe diſperſit, quin ſtilo ſiue acu demi omnino potuit (LEWIS).

Si commemorare volupe eſſet omnes iſtas virtutes, quas gentes orientales balſamo huic tribuunt, vix ornatior vllius medicaminis hiſtoria euaſura eſſet, quam huius, quod vltra omnem fidem quin in morbis natura ſua diuerſiſſimis laudarunt. Qui precariis hiſce praeconiis noſcendis delectetur recenſum modo morborum legat, ab ALPINO (*de pl. Aegypti p.* 56. *ſqq.*) fide Aegyptiorum factum. Refellere hoſce errores experimentis Europaeorum medicorum difficile, qui, ſiue raritas ſinceri Balſami, ſiue pretium inſigne, ſiue ſana ratio eos deterruerit, valde raro vſi eodem ſunt. Communis vero eius cum aliis balſamicis, ſaepiſſime tentatis, natura iudicio locum praebet non fallaci,

fallaci, nec illi aduerſari poteſt fragrantia peculiaris huius balſami, (ſiue, ſi malis, ſpiritus proprius) quae tamen non tanta eſt, vt tot mira patrare poſſet. Quorundam errorum de virtutibus medicis balſamorum commiſſorum particeps euaſit hoc ipſum, de quibus vero commentandi generalius aptior locus eſt ſubſequente ſectione de Copaiva, vtpote balſamo magis frequentato. Proxime viribus accedit ad Terebinthinam (V. *Apparat. med. vol. I. p.* 18.), vel, ſi et odoris ratio habenda, ad balſamum Copaivae. Non igitur repugnabo, lotium illud pellere, putredinem coërcere, vires ob odoras partes erigere, et ſub quibusdam conditionibus ad detergenda vulnera et vlcera eſſe opportunum. Semper tamen calidum eſſe remedium memento. Hinc improbandus et eius vſus in gonorrhoea virulenta, in qua ad guttas 25 adeo ſaccharo exceptas non veritus eſt illud dare magnus alias in praxi medica vir (SYDENHAMUS *Oper. p.* 334.), vel eius loco Terebinthinam Cypriam, falſa idea exulcerationis ſine dubio deceptus. In altero gonorrhoeae ſtadio, ſiue relaxationis, magis conducere, experimenta cum aliis balſamicis facta (v. ſubſequens ſectio) docere videntur. Nec maioris fidei eſt eiusdem in vlceribus internis nominatim

tim pulmonum virtus, ad quam tentandam forsitan vulneraria vis, quae sub externo vsu conspicua fuit inuitauit. Hanc vim orientales gentes valde celebrant, recentibus plagis aliquot guttas instillantes (ALPIN. *de pl. Aegypti p.* 56. HASSELQUIST *l. c. p.* 528.), quam et memorabili exemplo confirmat ALPINUS (*l. c.*). Certiorem tamen longe reddit ill. AB ACREL (*Chirurg. Händelser p.* 57. 58. 157. et alibi) experimentis suis in nosocomio Stockholmiensi institutis, in quibus vel balsamo solo, vel per oleum Amygdalarum diluto, vsus fuit. Gratiam, quam faciei illinendo hoc balsamum mulieres orientales conciliare studeant, in dubiam reddidit proprio suo experimento matrona magnae celebritatis MARIA WORTLEY MONTAGUE (*Letters written during her Travels in Europe, Asia and Africa vol.* 2. *p.* 116. *sqq.*). Etenim postquam faciei suae illud, idque optimum, in Turcia inunxerat, postridie mane facies in insignem amplitudinem cum rubore intumuit, quod incommodum per triduum durauit; illa autem nec pulchriorem inde sese deprehendit, nec vllum tentamen iterandi desiderium eam cepit. Fatetur tamen ipsa foeminas Turcicas, quae eiusdem vsum faciunt, grato rubore suffundi. Hae solent illud nonnisi in balneo calido, postquam bene

bene incaluit corpus, quo tanto auidius imbibat, faciei et pectori inungere, et inunctionem aliquoties repetere, demum illam per plures dies omittere, donec arescat cutis, tum eandem praemissa inunctione olei Amygdalarum amararum, aqua fabarum destillata abstergere. In Gallia cosmetico fine pariter placuisse balsamum docet formula notata (GEOFFR. *M. m. l. c. p.* 385.), quae natura sua et vsu proxime venit ad Essentiam Benzoes cosmeticam. Sed naturalis faciei nitor et rubedo quodlibet artis lenocinium multis gradibus superat et constantior est.

Verum hae omnes vires non tanti momenti sunt, vt operae pretium esset, easdem tanto pretio redimere, quum prostent, quin inter indigena medicamina eiusdem efficaciae plura, quae passim in hacce disquisitione indicaui. Non plura vel optimum balsamum Meccanum cel^mo. QUARIN (*Animaduerf. pract. p.* 89.) praestitit, quam Terebinthina cocta.

Guttatim sumitur a Turcis, e. c. guttae tres, ad stomachum roborandum. Sed maior concedi potest quantitas ad scrupulum vnum vsque et supra

ſupra pro doſi in varium finem, dum balſamum vel ſaccharo inſtillatum, vel ſubactum vitello ouii ſiue gummi Arabico, addito, ſi placet, liquido aquoſo, praebetur.

XYLOBALSAMVM ſunt rami exiles arboris confracti cortice griſeo rugoſo, qui balſamum fundit. Rariſſime transferuntur in Europaeas terras, ſed in orientalibus accenſi ſuffimento templorum et aedium magnatum inſeruiunt. Quin Arabes in regione Oeud, vbi ſponte arbores creſcunt, ſuffitus tantummodo cauſa easdem in pretio habent ramosque in hunc finem cremant (NIEBUHR *Reiſe nach Arabien tom.* 1. *p.* 352.). Eſt et alia ſpecies nondum ſatis nota, quae in eundem finem adhibetur (LINN. *Amoen. vol.* 7. *p.* 66.).

CARPOBALSAMVM fructus vocatur, cuius formam icon ALPINI perbene exprimit. Drupa eſſe videtur. Magnitudine exiguum piſum aequat, figurae eſt ſubrotundae vel oblongo ouatae acutae vel mucronatae, angulis quatuor prominentibus, coloris bruno griſei vel rubicundi nucleo albo. Adhaeret calyculo quadridentato, qui exiguo pedicello fulcitur. Prout in pharmacopoliis ſeruatur

tur odore et ſapore fere omni deſtituitur, hinc iners. Si recens, hiſce notis item viribus ad Opobalſamum ipſum accedere dicitur, quod tamen efficacia reliquis partibus antiſtat. THERIACAM et MITHRIDATIVM veteri conſuetudine praeterrem intrat; prout in vniuerſum ſine damno exulare ex foro medico poſſet.

? COPAIFERA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 341. *Gen. pl. p.* 216.

431.

Pharm. COPAIVAE ſ. COPAIBAE BALSAMVM, item BRASILIENSE BALSAMVM, ſ. BALSAMVM DE COPAHV.

Copaifera officinalis LINN. *Sp. plant. p.* 557. JACQUIN *Select. ſtirp. americ. p.* 133. *tab.* 86. *ed. pict. p.* 67. *tab.* 128. Copaiba PISON. *Hiſt. nat. et med. p.* 118. Arbre de Copau LABAT *nouv. voyage aux Isles de l'Amerique tom.* 2. *p.* 365. Le Copahu BARRERE *Hiſtoire natur. de la France equinoxiale p.* 40. Arbor procera et elegans. Patriam habet Braſiliam, praecipue vicinam inſulam Maranhon et Guianam. Crebro quoque obuenit

obuenit in Terra firma circa oppidum Tolu in ſodalitio arborum, quae balſamum Tolutanum, Peruuianum aliaque, erogant. In inſulis Antillanis hoſpitii potius iure frui videtur, quam ſponte prouenire, quantum ex LABATI et JACQUINI obſeruatis eruitur.

Inclaruit nominatim BALSAMO, quod largo prouentu fundit, a quibusdam etiam ob fluiditatem *olei* nomine nuncupatum. Elicitur vel perpendiculari plaga ſex vel ſeptem pollicum trunco verſus baſin inciſa, tamque profunda, vt ferramentum non per corticem modo et librum ſed et per ligni partem penetret (LABAT), quin ad medullam vsque (PISO); vel et trunci terebratione euocatur (AUBLET *Plantes de la Guiane Franc. vol.* I. *p.* 400.). Excipitur vel cucurbita vel ampulla ſubtus appenſa. Si tempeſtiue ſauciatur arbor, intra tres horas ad duodecim adeo libras balſami effundere fertur (PISO). Iunior arbor, vel ſucco turgens primo vere, plus eius ſuppeditat, ſed crudioris aquoſi et inertioris. Vulnus poſtea ſponte coaleſcit et callum format, et repeti poteſt in arbore vetuſtiori ſauciatio bis vel ter eodem anno (LABAT). Si nihil balſami exundet: plaga

actutum

actutum cera vel argilla obseratur, et post duas hebdomades arbor isti erogando apta deprehenditur (PISO).

Hoc balsamum, dum ex arbore promanat, fluidius et coloris expers est, successu temporis autem nonnihil spissescit in crassitiem olei tenacioris, et colorem flauescentem instar Succini flaui induit, omnino pellucidum. Nunquam tamen omnino solidescit. Odor illi inest fragrans gratusque, sapor amaricans subaromaticus et subacris calidus, pertinaciter linguae adhaerens. Experimentum, cui multi nimium tribuerunt, cum gutta in aquam decidente, variat pro lapsus distantia diuersa, etenim sub maiori altitudine fundum aquae balsamum petit, sub minori superficiei aquae subtus adhaeret vel supra eandem sese sensim dispergit (ALSTON'S *Lectures of the Mat. med. tom. 2. p. 391.* Conf. BERG. *Mat. med. p. 357.*). Alia quoque species in pharmacopoliis aliquando obuia est, albida, minus limpida, spissitudinis mellis, odoris ingrati terebinthinacei, saporis insuauis, in cuius fundo tantillum aquae turbidae stagnat; et haec quidem vel adulterata censetur vel decoctione ramorum et corticis ar-

boris eruta (GEOFFROY *Mat. medicale Traité, tom.* 3. *p.* 293 *ſq.*). Haec prout reiicienda, ita et illa, quae oleum Amygdalarum vel Terebinthinam ſiue eius ſpiritum, vel aliud ſimile inquinamentum, admixtum habet.

Deſtillatione genuini balſami cum aqua oleum aethereum prodit larga copia, adeo vt nonnulli fere dimidium ponderis (HOFFM. *Obſ. phyſ. chem. p.* 23. LEWIS, BERGIUS *Mat. med. p.* 358.), alius (SPIELM. *M. m. p.* 313.) autem modo quintam partem obtinuerit. Et hoc quidem valde fragrans eſt, primum albeſcens, aetate flaueſcens. Reſiduum conſtituit reſinam tenacem inodoram, ex flauo viridem, quae ſiccatione dura fragilis viridi fuſca euadit. Quid deſtillatione ſicca hoc balſamum eroget, abunde notauit FRID. WILH. HOPPE (V. in VALENTINI *Hiſt. ſimpl. Mantiſſ. diſp.* 5. *p.* 621.), haud ignobilis in deſcribendo illo auctor. Hic idem ex miſcela balſami cum cineribus oleum coeruleum fortiſſimo igne deſtillando eruit, quod ipſum tamen absque peregrino additamento ſub finem deſtillationis elicere alii (LEWIS *M. m. p.* 123.) contigit.

Agitatum aqua hanc quidem turbidam et lacteam reddit, ſed paullo poſt colliguntur guttulae

tulae diſperſae in ſuperficie et aqua limpida euadit. Conſtantius connubium cum aqua init, adiumento vitelli vel albuminis oui, vel mucilaginis, quibus admixtis ſpecies emulſionis emergit. Soluitur quoque oleis tam deſtillatis quam expreſſis, etſi hiſce difficilius. Spiritus vini illud in transparens et grate fragrans liquidum ſubigit. Facilis iſta balſami cum oleis aethereis miſcela et odoris gratia anſam ſine dubio dedere hominibus lucro ſuo vnice intentis pro augendo pondere oleorum illud adhibendi. Additur eo fine balſamum floribus Lauandulae, herbae Roriſmarini, Rutae rel. intra veſicam deſtillatoriam (vid. HOFFM. *Obſſ. cit. v.* 24.); vel oleum ex balſamo Copaiuae deſtillatum oleis dictis aethereis admiſcetur (FERBERS *neue Beyträge zur Mineralgeſchichte vol.* 1. *p.* 363.). Fraus haec vix aliis indiciis detegitur, quam quod maior copia ſpiritus vini et plus temporis ad perfectam ſolutionem olei aetherei cum illo ex balſamo Copaiuae mixti, quam ad ſolutionem olei puri, requiratur (CAR. WILH. CHRIST. MÜLLER *Progr. de adulterationibus oleorum aether. p.* 18.).

Non minus huius balſami in exercitio artis exiſtimatio, quam reliquorum, quae olim laudi-

bus fide omni maioribus celebrata fuerunt, faniori iudicio et experientia ferioris aetatis imminuta notabilem in modum eſt. Intelligimus per balſamum generatim reſinam liquidam ſeu liquidum reſinoſo oleoſum, nonnihil ſpiſſum, tenax, odoris fragrantis, ſaporis magis vel minus acris et amaricantis, originis vegetabilis. Horum e cenſu in ſcopum medicum memorabilia ſunt Balſamum Meccanum, Copaivae, Peruuianum, Tolutanum (quod vnicum ſuccedente tempore indureſcit), Storax liquida aliis Liquidambar dicta, Terebinthina multiplex, quae omnia ſponte per corticem trunci vel ramorum, naturam adiuuante plerumque terebratione vel inciſione, exundant. Sicque remoueo medicamenta varia ſicca, in quibus vel proportio partium manifeſtius diſcrepat, vel partes quaedam alienae reperiuntur e. c. Storacem calamitam, Myrrham, Benzoën, Maſtichen, Ladanum, Olibanum, etſi effectu in corpore animali multa ſimilia habent. Nec ſermo hic eſt de balſamis arte effictis, in quibus naturam imitari, vel temerario auſo adeo ſuperare, ars conata eſt. Vera iſta, quae dixi, conflantur reſinae magna parte, oleo aethereo, ſpiritu fragrante, aqua et modica quantitate ſalis acidi eſſentialis ſubtilioris (Conf. CARTHEUS. *Diſſ. de praecipuis*

cipuis balſamis natiuis p. 8.). Differunt tamen hae partes in diuerſis ſpeciebus proportione ſua multipliciter, vnde gratia, tenacitas, ſtimulus, calor aliique effectus, quos exſerunt, quoque variant. Praeter neruinas, diureticas et pellentes virtutes, quae hiſce iunctim nec immerito adſcribuntur, nulla tenacius medicorum animis inhaeſit, quam vulneraria, quae tam in plagarum quam vlcerum conſolidatione conſpiceretur. In quem finem eadem tentare plaſtica eorum natura ſuaſit, qua ipſa ad auertendum aërem extus alluentem, et tenella ſtamina recens in laeſis partibus emergentia contra iniuriam externam obtegenda videbantur commoda; item vis eorum antiſeptica. Verum quoniam balſamica ſtimulantis et calidae naturae ſunt, non poſſunt conducere inflammatione partis vrgente et ſub plethora corporisque et aetatis vigore: ſed contra ea tantum ſub habitu corporis frigido aquoſo et aetatis languore adhiberi tuto poſſunt. Ex hiſce iam procliue eſt concludere, quanto iudicio opus ſit, ſi balſamicorum vſum ad vlcera interna, nominatim pulmonum, transferre volupe eſt. Hinc tanta diſſidia, vtrum conducant in phthiſi nec ne, ſtantibus pro vtraque ſententia viris non ſpernendi nominis. Aduerſum iis eſt, quod, vt alia incitantia calida, ac-

celerent ſanguinis tranſitum per pulmones et illuc delata ſtimulo ſuo vellicent, hinc febrem, inflammationem, obſtructionem circa ambitum vlceris, exulcerationem cum oppreſſione pectoris et omnium reliquorum ſymptomatum triſti ſatellitio augere valeant. Nec licet vim habeant balſama putredinem coërcendi, qua inquinari ſenſim ſolent humores noſtri ſub manifeſtiori interna exulceratione, haec virtus tanti momenti eſſe videtur, vt reliqua damna vincere poſſet. Miſſa facerem haecce argumenta, niſi crebra fidaque experientia fulcrum illis accederet. Hiſce ſuffulti vituperarunt balſama in phthiſi ill. viri PRINGLE, qui e contrario infeſtante hoc phthiſeos genere fiduciam praecipue collocat in venaeſectionibus paruis ſed repetitis, diaeta lactea ſeu vegetabili, ſetaceo affecto lateri applicato, aëre campeſtri et equitatione, libero acidorum vſu, tum et ſub iuſtis conditionibus cortice Peruuiano (*Diſeaſ. of the army ed.* 7. *p.* 163. *ſqq.*), A ROSENSTEIN (*om Barns ſjukd. p.* 93.), TISSOT (*Avis au peuple p.* 124.) FOTHERGILL (in *Medical Obſerv. and Inquiries vol.* 4. *p.* 231. *ſqq.*), QUARIN (*Animadverſ. pract. p.* 84.), vt alios taceam. Nihilominus tamen exſtant alii, qui vel balſamicorum generatim vel ſingularium quarundum ſpecierum cauſam in phthiſi egerunt,

ad

ad ſuam pariter experientiam prouocantes. Quae encomiaſtes iſte balſami Copaivae, FULLERUS (*Pharm. extemp. p.* 275.), pro laude eius in phthiſi in medium profert, modum omnino excedunt et deſtituuntur ea accuratione momentorum, ſine qua nulla felix medicamenti adminiſtratio fieri poteſt; nempe thoracicum vocat optimum, bronchia detergere, pulmonibus tonum et ſanitatem conciliare, tubercula cruda diſſoluere, tuſſes valde periculoſas et phthiſin manifeſtam minitantes rel. curare refert. Moderatius ſentiunt alii eiusdem in hoc morbo patroni, ad quos referendus FR. HOFFMANNUS (*Obſ. phyſ. chym. p.* 24.), qui fructum non ſpernendum inde in pulmonum, renum, veſicae atque proſtatarum exulceratione promittit, addendo, ſi prudenter adhibetur. Quo effectus balſamorum ex voto contingat, iubet cl. VALCARENGHI (*Spec. pract. de praecipuis febribus p.* 173. Item EIVSD. *conſtit. epid. Cremonenſ. p.* 108. *ſq.*) coniungi demulcentes potiones ad temperandam eorum vim et diſſoluenda ea, et requirit paruas doſes et longam continuationem, ceterum multum iis, praecipue autem balſamo de Copaiva, pulmonibus exulceratis tribuit ex ſua, et cl^rum^. REGA et SOMMERS, experientia. Non ſolum autem iis, tanquam abſtergenti, et partes

vlceratas ab vlteriori corruptela defendenti medicinae, fauet, ſed et ob diureticam vim, qua purulentus humor per lotii vias eliminaretur (AVCT. *cit. de conſtit. epid. Cremon. p.* 116. 119. 138.). Cl. MONRO (*Diſ. in the britiſh milit. Hoſpitals p.* 129.) autem tum vſum balſami Copaivae vel Peruuiani egregium in phthiſi obſeruauit, quando vaſa relaxata nec obſtructiones nimis protractae exſtiterunt, quum contra in confirmatis obſtructionibus pulmonum calefaciendo et inflammando nocuerint. Cl. GESSNER (*Samml. v. Beob. a. d. Arzneygel. vol.* 1. *p.* 46.) balſamica licet calefacere non neget, etiamſi exiguis doſibus capta, imminui tamen hiſce arbitratur cauſam febris, requiritque, quo tuto et probo ſucceſſu ingerantur, ſanguinem tenuem, ſolida relaxata, neruosque non nimis ſenſiles. Nec dubitauit cl. SIMMONS (*On the treatment of conſumtions p.* 36. *ſq.*) in ſtadio morbi ſuppuratorio, balſamum Copaivae vel Peruuianum ad drachmam dimidiam vel integram ſaccharo inſtillatum exhibere, ſed nitri grana duodecim vel quindecim in hauſtu mox poſt quamlibet doſin pro temperando calore, quem haec excitant, capienda curat, et initium a paruis doſibus et attentionem ad effectum, vtrum ſalutaris ſit an noxius, gnauiter iniungit. Magni quoque

balſa-

balſamum Copaivae in phthiſi vlceroſa cl. LENTIN (*Beobacht. einig. Krankh.* 1774. *p.* 58.) facit, quo ipſo et Millefolio ſanaſſe ſe caſu ſingulari difficili vlcera hepatis et pulmonum innuit. Tutiſſimum igitur eſt, inter vituperium et laudem virtutis antiphthiſicae balſamorum medium procedere, vt tamen excitandos medicos exiſtimem, vt absque vllo partium ſtudio, quaſi rem nouam meditantes, inquirant in omnia momenta, quae eadem concedant vel repudient, et miſcelas quae tutiorem vſum eorundem reddere queant. Sic generalius de hiſce commentando ſpeciale ſimul balſami Copaivae pretium in pectoris iſto triſti morbo conſtitui.

Similis ambiguitas obtinet quoad eius et reliquorum ſimilium pretium in gonorrhoea venerea. Non multum moror empiricam apud Americanos obuiam balſamum Copaivae adhibendi rationem, quae vt a gente artis ſalutaris rudi facile mente concipitur, ſtadiorum morbi reſpectum habet nullum. Memorauit tamen eandem iam PISO (*l. c.*), qui praeter guttulas per os ingeſtas iniectiones eius per colem ſaccharo ex aqua Plantaginis ſubacti vel oleo Roſarum diſſoluti vſurpari indicat, et repetit laudem ex autopſia cel. JACQUIN (*l. c.*), qui illud

non interne modo vitello oui cum aqua ſubactum ſed vna merum in vrethram transmitti egregio ſucceſſu obſeruauit. Sed cuilibet naturam gonorrhoeae cognoſcenti facile patet, non poſſe non nocere balſama in malo recens contracto, dum vrethra inflammatione corripitur: ſerius autem poſtquam iſta deferbuit, vel in eo ſtadio, quod Angli Gleets vocant, prodeſſe eximie eiusmodi medicamina conſtat. Exſpectauit ideo cl. THEDEN (*Unterricht für die Unterwundärzte p.* 254.), donec profluuium lymphaticum fieret, ſenſim in doſi a guttis quinque aſcendendo ad guttas vsque viginti quatuor balſ. Copaivae per diem, ſed in connubio pulueris ſui lenientis. Cl. SCHWEDIAUER (*Pract. Obſervations on the venereal complaints p.* 54.), autem, vir exploratae in curandis morbis venereis peritiae, ſaepe ſolum hoc balſamum a quinquaginta ad centum guttas in hauſtu frigidae aquae ſemel per diem vel mane et veſperi exhibuit et immediate poſt, ne ſtomachus aduerſus ſit, triginta ad quinquaginta guttas elixirii Vitrioli in eadem aquae quantitate. Similem effectum Terebinthinae drachma dimidia praeſtitit. Quin ex valde larga balſami Copaivae quantitate vno hauſtu abſorpta iuuenis quidam ſeſe radicitus ab inueterata et pertinaci gonorrhoea liberauit.

auit. In profluuio limpido (Gleets) saepe immediate, postquam captum fuerit hoc balsamum, vt alia eiusdem tribus, effectum exserit, et hic ipse pergit, quamdiu in eiusdem vsu continuatur, cessat etiam post mensem, vtprimum balsamum omittitur, prout iterum confestim sub nouo experimento mucus supprimitur; in hac a se obseruata effectus inconstantia cl. JO. HUNTER (*Treatise on venereal diseases p.* 103.) nunquam vltra quinque vel sex dies eorundem administrationem continuat, suadet tamen vt, symptomatibus etiamsi sopitis ad recidiuas auertendas per tempus pergatur, et si dictae anomaliae incidant, ad alia efficaciora transeatur.

Non attinet hic, transferre efficaciam balsami huius in alios morbos bene multos, qui passim sanati vel sanari posse eo dicuntur, vt fluorem album, dolores renum ex arenis vel muco, dysuriam, colicam, profluuia ventris, paralysin, hydropem, rel., quum deficiant peculiaria virtutis in hisce documenta, quae fidem faciant. Hisce vero noscendis qui delectentur satisfacient FRID. WILH. HOPPE (*Diss. de balsamo Copayba* in VALENTINI *Hist. simpl. p.* 622. §. 9. qui tamen ex proprio iudicio luxuriantes laudes deprimit), item

FULLE-

FULLERUS (*l. c.*) vt dubia adhuc magis ven. LABAT (*l. c.*) praeconia silentio praeteream.

De efficacia in hydrope memorabile cl. MUTIS, qui per multos annos in Santa Fé, vrbe nouae Grenadae Guianae, medicinam coluit, exemplum narrat, foeminae, quae sensim dosin augendo vsque ad cochleare vnum huius balsami mane et vesperi ingessit, superbibendo vitrum decocti Hordei, vnde lotium abunde fluxit et aegra intra quadraginta dies omnino conualuit (*Nouvelles de la Republique des lettres et des arts*, 1786. *n.* 33. *p.* 374.)

Varios per os ingerendi balsamum hoc modos et dosin sub ipsa virtutum eius expositione iam significaui. Commodissime instar elaeosacchari sumitur, vel mucilagine item, si febris abest, vitello oui subactum et aqua mixtum. In Guiana Hispanica solent guttas decem ad quindecim saccharo instillatas ingerere superbibendo decoctum Hordei vel Malvae (MUTIS *l. c.*). Addi et potest puluerulentis variis vel conseruis electuarii vel boli forma, vel in affectionibus pectoris mixturis Oxymel recipientibus admisceri. Displicet ob caloris augmentum vino illud excipere vt e. c. in *Mistura balsamica* FULLERI (*l. c. p.* 274.), vel aliis spirituosis in modum tincturae. Largiori dosi aluum laxat.

Lotium

Lotium eo fertur ſapore manifeſte amaro imbui (FULLER).

Sed enucleatius paullo exponenda praeſtantia, quae ſub externa eius applicatione comparet. Traumatica virtute praecipue ſeſe commendat in vulneribus tendinum et neruorum, in quibus et affectionibus ſpaſticis occurrit tepide inſtillatum. Iudaei in circumciſione eo, fide PISONIS, vtuntur; quod tamen non vbiuis fieri, ſed puluerem traumaticum iudicatum plagae inſpergi ex peculiari percontatione noui. Iuſto praecocius adhibitum in vulneribus et vlceribus intempeſtiue cicatricem inducit, et ſic vlcera ſinuoſa generat, quae breui recrudeſcunt, difficile ſanabilia (HOPPE *l. c.* §. 10.). In affectionibus paralyticis confert illud oleis aethereis vel axungia quadam exceptum illinere. Placuit in hunc finem linimentum ex oleo Copaivae et axungia (HOFFM. *l. c. p.* 23.).

Plurima pars balſami huius, quod colligitur in noua Grenada, artibus deſtinatur. Pictores ſcilicet in picturis ſuis oleo factis eo vtuntur; adhibetur quoque ad varias vernices; item ſoluitur eo Gummi Algarrobo dictum, quod aeque menſtruis aquoſis ac ſpiritui vini reſiſtit (MUTIS *l. c.*).

ORDO

ORDO XXXVIII.

TRIHILATAE.

AESCVLVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 290. *Gen. pl. p.* 183.

432.

Pharm. HIPPOCASTANI *Cortex; Semen.*

Aeſculus Hippocaſtanum; floribus heptandris LINN. *Spec. pl. p.* 488. Caſtanea equina MATTHIOL. *Comm. in* DIOSC. *ed.* BAUH. *p.* 183. CLUS. *Hiſt. rar. ſtirp. per Pannon. p.* 5. it. *Hiſt. plant. rar. p.* 7. Caſtanea folio multifido C. B. Icon: JO. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* REGNAULT *Botan.* Le Maronier d'Inde. Arbor, quae ex Aſia ſeptentrionali per Conſtantinopolin medio circiter ſeculo 16. in Europam transmigrauit. Quo anno, praeciſe non conſtat, ſed MATTHIOLUS botanicorum primus eſt, qui eiusdem meminit, initio in *Epiſt. medicinalibus* (*Oper. omn. ed. cit. p.* 101. 125.) dein ampliori deſcriptione in *commentariis in* DIOSCORIDEM. CLUSII tempore adeo vero adhuc rara fuit, vt quum Vienna, in quam vrbem

vrbem Conſtantinopoli pluries fructus translatus, a. 1588. diſcederet, nonniſi arborem duodecim annorum flore fructuque carentem viderit. Iam vulgaris in Europaeis regionibus, vbi facile feminibus, vel ſponte delapſis vel terrae immiſſis propagatur praecipue ſolo nonnihil humido. Nec ſeptentrionales fugit, prout et Stockholmiae fructus maturos quotannis eam ferre deprehendi.

Procera arbor, longaeua, (Vid. exemplum arboris aetatis 80 annorum ſupra 50 pedes altae, adhuc vegetae et incrementum contiuantis in *Samml. d. Berner landwirthſchaftl. Geſellſch. vol. 2. p. 943.*) vmbroſa, et ſpecioſa foliis digitatis amplisque et thyrſis erectis florum albidorum. Hinc pro ambulacris expetita, in quibus tamen id vitii habet, quod folia eius iuſto praecocius flaueſcant et inſidiis inſectorum valde laedantur. Lignum molle habet et putredini obnoxium, hinc neque operibus lignariis nec foco ſatis idoneum. Frondibus delapſis, ſuccum diu ſeruantibus, cerui delectantur, et hae putredine ſubactae ſtercorationi inſeruiunt. Apes floribus alliciuntur. In primis vero fructus tegmine ſuo externo echinato exuti oeconomis placent.

Amaritie

Amaritie eos priuare insitione repetita sub adiumento terrae idoneae et stationis soli obuersae, vt et esui hominum apti fierent, hactenus quidem non succesſit (MEDIKUS *über d. Veredelung d. Roſſkaſtanien*, *Lauttern* 1780.). Sed pabulum non spernendum pecorum, ouium scilicet, caprarum, boum, porcorum, ceruorum, constituunt. Nec opus est ad amaritiem tollendam illos in lixiuio ex calce et cineribus primum macerare, tum aqua pura lauare, demum in pastam coquere, quod ad saginandas oues praecipue commendauit olim cl. BON (*Mem. de l'ac. R. d. ſc. de Paris* 1720. *p.* 460.), vel eodem fine aqua calcis vti (IDEM in *Hiſt. de la Societé R. d. Sc. de Montpellier tom.* 2. *p.* 57.). Sed sufficit fructus ferro conciſos et arillo priuatos cum humectato et comminuto stramine vel foeno pecori proiicere; vnde lactis vbertatem contrahit et conſpicuo modo pingueſcit (*Hannov. Magaz.* 1770. *p.* 226.) Oues iterum integris fructibus pascuntur (HALL. *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1029 *** item *Abhandl. v. d. wilden Kaſtanien u. deren Nuz. zur Fütter. des Hornviehs u. d. Schaafe* 1775.). Equi pariter fructus deuorant, et anhelis iis et tussientibus plurimum auxilii afferre dicuntur, vnde et arbor epitheton suum adepta est. Pulli gallinacei vero inde emaciantur

ciantur et oua parere dediſcunt (REAUMUR apud DU HAMEL *l. c. p.* 295.). Nutritia pars macera-tione conquaſſati fructus in aqua et ſubſequa cola-tione eiusdem per cribrum eruitur, quibus factis puluis fundum petit, repetitis vicibus lauandus, dein blande igne ſiccandus; hic ipſe omnis odoris et ſaporis expers amylum egregium album ſiſtit (PARMENTIER *Recherches ſur les vegetaux nourriſſans p.* 176. 218.). Loco pulueris cyprii pro capillis conſpergendis hic quoque commendatur. In Gallia et Helvetia ad dealbandam Cannabin et Linum et merces inde vel lana paratas purgandas et dealbandas, aqua, in qua maceratio fructus con-tuſi facta, pro lotione adhibetur et vim ſaponis habet. (V. ex MARCANDIER *Traité de Chanvre*, *Leipziger Intelligenzblatt* 1764. *p.* 46. *Berner Geſellſ. Samml. v. landwirthſch. Dingen vol.* 2. *p.* 943. *ſqq.* item Liber *de re ruſtica or the Repoſitory for Papers in Agri-culture vol.* 2. *p.* 75. *ſqq.* ſed absque vllis propriis experimentis). Eadem vis ſaponacea apparet in fecula, quae inſtar furfurum Amygdalarum ad mundandas manus apta eſt (DU ROI *Harbkeſche Baumzucht vol.* 1. *p.* 40.). Taceo candelas ex pinguedine veruecina et fecula amara paratas.

Perperam igitur inutilem fere arborem hanc haberi, vt a quibusdam fit, vel hiſce documentis patet. Vlterius autem declarat id eximia eius in re medica efficacia.

SEMINVM, arillo badii coloris obductorum, vnum vel duo in capſula triloculari triualui echinata latent. Caſtaneae ex Fagi genere ſimilia ſunt. Virtus eorum medica nondum ſatis confirmata. De affectionibus quibusdam pectoris equorum, quibus valuiſſe fertur, ſupra iam dixi. Qua in re quidem permulti conſentiunt, ſed fidem experimentorum non per momenta indubiam reddunt. Epilepſiam coërceri eſu eorundem non ex ſola narratione militis emeriti, vel virginis monialis (V. PARMENTIER *l. c. p.* 180.) credi poteſt. Puluis eorundem naribus attractus ſternutationem et copioſam fluxionem muci ciere compertus eſt, hinc in hemicrania aliisque capitis morbis ſalubris a Gallico medico CORNEIL iudicatus (Vid. ZANNICHELLI *Lettera intorno alle Facolta dell' Ippocaſtano in Raccolta d' Opuſcoli ſcientifici, tom.* 10. *p.* 200.). Febres intermittentes profligare breui narratione declaratur (*Hiſt. de la Soc. des ſc. de Montpellier tom.* 2. *p.* 57.). Verum hacce virtute cortex praecipue inclaruit, quem perſequi ſtudioſius ſingularis eius dignitas iniungit.

Aliquam

Aliquam vim medicam CORTICIS iam ſpondet experimentum, ſub quo fauciata arbor balſamium terebinthinaceum viſcidum pellucidum ſtillat (LEIDENFROST in PEIPERS *Diſſ. de cortice Hippoc. Duisburg.* 1763.). Sed alit ſpem ſapor eius adſtringens et grate amarus, quo ipſo ad corticem Peruuianum propius accedit, prout et colore non multum ab hoc deflectit. Colligi cortex debet ex ramis aetate non nimis prouectis nec nimis teneris. Sub deglubendo alburnum ſimul adhaereſcit, antea cultro auferendum, ne corticis efficaciam minuat. Seruat vim ſuam integram per plures annos, modo non in puluerem redactus fuerit, tum enim odorem vappidum, aduerſum, contrahit orbaturque balſamica ſua virtute. Decoctum corticis carni bubulae additum illam contra putredinem in digeſtione calida tuetur, quin putredinem iam ex infuſione eiusdem cum aqua enatam corrigit. Antiſepticum quoque effectum exſerit in vitellum oui, ſerum ſanguinis, bilem, ſanguinem (PEIPERS *Diſſ. l. c.*), quin in ſerum ſanguinis, cortice Peruuiano potentius. Nec extracti ex illo, ad modum GARAYI, parati, ſiue ſalis ſ. d. eſſentialis ſolutio, vi auertendi putredinem a carne bubula, cedit illi ex cortice Peruuiano, licet iam exortam profligare non valeat

(BUCHHOLZ in *Nov. act. nat. curioſ. tom.* 4. *p.* 267. it. in EIVSD. *Chym. Verſ. üb. antiſept. Subſt. p.* 19. *ſq.*). Analyſis chemica praeterea viſa fuit ſimilem naturam in hoc et cortice Peruuiano arguere (V. Experimenta huc pertinentia ZANNICHELLI *l. c. p.* 202. *ſq.* et PEIPERS *Diſſ.*). Vncia eius vna cum aqua decocta liquidum conſtituit auſterum, quod inſpiſſatum extracti drachmas tres largitur. Eadem vero quantitas ſpiritu vini macerata extracti drachmas duas cum dimidia erogat (COSTE et WILLEMET *Eſſais ſur les plantes indigenes p.* 61. Cfr. ſimilia experimenta ex PEIPERS *Diſſ. cit.*). Infuſum ſiue aqua ſiue ſpiritu vini factum, ſi aqua diluitur, coloremi ſuum aureo luteum in coeruleum mutat (REMLER in *Almanach für Scheidekünſtler und Apoth.* 1785. *p.* 124.).

Maxime inclaruit hic cortex febrifuga ſua virtute, ad quam explorandam aliquot dictarum dotum ſine dubio inuitarunt. ZANNICHELLI, pharmacopolae Veneti (*Lettera* ſupra cit., quae prodiit a. 1733. cuius compendium vid. in *Commerc. Nor.* 1734. *p.* 75. *ſqq.* BURSERIUS in *Inſtitut. med. pract. tom.* 1. *p.* 190. *not.* MISTICHELLIUM primum commendaſſe corticem exponit.), meritum eſt, quod primum

primum eius notitiam nobis dederit. Tentauerat ille corticem initio in foemina tertiana, variis molestis symptomatibus stipata, laborante, et quidem sic, vt duas eius drachmas, aquae Cardui benedicti vnciis quatuor perfusas, sub finem paroxysmi daret et hanc dosin altero die mane et vesperi iterari curaret; ita liberata a febre est, quamuis, vt recidiuis obuiam iretur, repetitio per aliquot dies mane commendaretur. Simili consilio et simili successu in nosocomiis variis patriis experimenta capta sunt (ZANNICHELLI *l. c. p.* 207.). MÖHRINGIUS (*Comm. Nor.* 1736. *p.* 20.) tamen tres annos post questus est, licet sine vlla noxa, frustra tamen sese ad eius normam hunc corticem exhibuisse in diuersis hominibus; et in rhedario quartana vltra dimidium annum affecto septem adeo vncias per vices sumtas nihil praestitisse, quum tamen postea duae vnciae corticis Chinchinae febrem sisterent, aliaeque duae redituram forsitan omnino arcerent. Verum non acquieuit in hocce sententiarum diuortio sagax medicorum de vi corticis iudicium, sed, etsi post protractum silentium, ad iterata experimenta rediit. Eiusmodi data opera instituit inde ab a. 1752. cl. LEIDENFROST, quorum copia tamen longe serius nobis facta, idque iusto breuius,

eſt (PEIPERS *Diſſ. cit. a.* 1763.). Ille nimirum tum ad minimum viginti hominibus in febre intermittente auxilio fuit, vncia eius vna vel ſupra exhibita, non negans tamen aliquos eiusdem vim eluſiſſe, ſubſequuti tum alii cll. viri BUCHHOLZ (Iunctim diſperſae eius hac de re obſeruationes comparent in EIVSD. *chym. Verſuch. iiber antiſept. Subſt.* 1776.), JUNGHANSS (*Diſſ. de nucis vomicae et corticis Hippocaſt. virtute med.* 1770. *p.* 25. *ſqq.*), COSTE et WILLEMET (*l. c. p.* 57.), SABAROT DE LA VARNIERE (in *Journ. de Medec. Tom.* 47. *p.* 324.), TURRA (*della febbriſuga Facolta dell' Ippocaſtano, in Vicenza* 1780.). Iam igitur conſtat, febres intermittentes non ſolum leuiores, quales tertianae, ſimplices, vernales, plerumque ſunt, hocce cortice pelli, ſed et grauiores. Pleraeque quidem ex cenſu tertianarum, et quidem ſimplicium ſunt, ſed et erraticae (SABAROT *l. c. p.* 326.), quotidianae (JUNGHANSS *l. c. Obſ.* 3. TURRA *l. c. p.* 47. *ſq.* SABAROT *l. c. p.* 326.), quartanae (JUNGHANSS *Obſ.* 2. COSTE et WILLEMET *l. c. p.* 60.), eo deuictae, item tertiana duplex (ZANNICHELLI *l. c. p.* 208. SABAROT *l. c.* TURRA *l. c. p.* 42.). Non mirum, quod in quartanis aliquando ſpe omnino medici exciderint, vel mitigationem mali modo experti fuerint, quibus

nec

nec Chinchina satisfecerit (COSTE et WILLEMET *l. c.* TURRA *Obs.* 22. 25.), tantoque minus quum id contigerit in quartana duplici vel triplici (TURRA *p.* 12. *Obs.* 23. 24.), in quibus casibus tamen subinde vel diaetae vitium vel iusto parcior corticis vsus accusari potuit. Autumnales febres non minus eius virtuti obsecundarunt, cuius generis plerique casus a cl. TURRA propositi sunt; an ob naturam harum vulgo obstinatiorem largiorem quantitatem obtulit? Nec a quibusdam indoles putrida abfuit (BUCHHOLZ *antisept. Subst. p.* 27.). Tuto omnino capitur; nam vsus eius nullas molestias excitat, vt nauseam, vomitum, pondus in ventriculo, diarrhoeam, alui obstructionem rel. (TURRA *p.* 14. aliique). Quibusdam leuem pectoris constricti sensum mouet, sed ptisana mucilaginosa facile tollendum (SABAROT); nec sublata eius ope febre alia mala tanquam effectus medicinae subsequuntur. Mira aliquando celeritate efficaciam exserit, quin post exiguas doses (BUCHHOLZ *antisept. Subst. p.* 18. 29.). Quidam tamen sensim maiori eius dosi opus habent. Nec magis recidiuas admittit, quam alia febrifuga. Infantili praeterea aetati (TURRA, qui in iunioribus praeprimis experimenta cepit) aeque ac adultiori conducit. Non temere tamen dicerem corticem

Peruuianum adaequare, quin adeo viribus ſuperare. Incidunt nempe caſus, in quibus Chinchina praevalet, vt in iis, qui conclauia humida inhabitant: (BUCHHOLZ *l. c. p.* 30.), alii, vbi neuter cortex voto ſatisfacit.

Praemitti autem debent varia pro re nata, ad corpus rite praeparandum idonea, euacuantia, digeſtiua, venae ſectio (BUCHHOLZ *l. c. p.* 28. COSTE et WILLEMET *l. c. p.* 60. SABAROT *l. c. p.* 326.). Subinde quoque redire oportet inter vſum corticis ad priſtina emetica. Nonniſi tempore a febre vacuo dandum, ſponte patet.

Mihi in primis in ſimpliciſſima forma, ſcilicet pulueris ſubtilis, placet. Obiectum quidem eſt, copiam intumeſcentis pulueris nauſeam ciere aegris, grauare ventriculum, hinc eosdem a continuato vſu abhorrere; quin puluerem inertem eſſe (BUCHHOLZ *l. c. p.* 17. item nota Verſionis libri cl. TURRA *p.* 5.). Sed alii omnibus numeris eundem commodum repeſere. Ita cl. TURRA (*p.* 22. *ſqq.*) vncias eius duas in duodecim partes aequales diuidendas curauit, quarum vna omni quadrihorio cum aqua pura ingeſta. Cl. SABAROT (*p.* 325.) acquieuit dimidia doſi pulueris ſub iisdem interuallis eaque in

n aquae ſaccharatae cochleari capta, ſi amarities diſpliceret, quae tamen magis in Chinchina moleſta eſt; hincque vncia vna plerumque ad febrem vincendam ſuffecit. Decocto pariter locus eſt: cui pro norma quodammodo eſſe poteſt illud ex corticis vnciis duabus et ſalis tartari drachma vna cum aquae menſura ſeſquialtera, donec ſuperſit menſura vna, coctis, cuius quotidie duo cyathi pro Thea vſitati ſunt hauſti (JUNGHANSS *l. c. p.* 25. *Obſ.* 1.); vel illud ex pulueris vncia vna, radicis Glycyrrhizae fruſto, in libris duabus ciuilibus aquae ad tertiam partem coctis, per quadrihoria partitis hauſtibus aſſumendum (COSTE et WILLEMET *l. c. p.* 59.). Arriſit et, quibus decoctum alias faſtidium creauerat, electuarium (*Ibid.*). Extractum quoque honorifica mentione dignum eſt, et quidem non modo pretioſius iſtud arte Garayana paratum (BUCHHOLZ *l. c. p.* 18. TURRA *l. c. p.* 20.), ſed et iſtud vulgari artificio (BUCHHOLZ *p.* 26.), modo ignis, quantum fieri poſſit, lenis tam pro extractione quam pro inſpiſſatione adhibeatur. Extractum vtrumque parua doſi longe plus praeſtat, quam multo maior corticis in puluere, et commodius ingeritur. Soluitur eius drachma vna in aquae Cinamomi ſimplicis vncia vna huiusque elixirii

guttae ſexaginta omni trihorio capiuntur, et ſaepe ſufficit eius vncia vna, quin aliquando iam exc dimidia febris diſparuit (BUCHHOLZ. Cfr. EIVSD. *Nachricht v. d. Fleck- u. Frieſel-Fieber p.* 81.). Ne redeat febris feliciter ſublata, commodis corticis repetitionibus cauendum eſt. Quibusdam ſine vlla excretione opem fert, alii inde aluum laxam experiuntur (SABAROT *p.* 326. TURRA hinc inde.). Clyſma ex decocto iniectum deiectiones aluinas frequentes mouet (SABAROT). Rarior igitur obſeruatio eſt, quod aluum ſegnem reddiderit, quo caſu additum rhabarbarinum vel aloëticum (LEIDENFROST in *Diſſ.* cl. PEIPERS). Cll. viri COSTE et WILLEMET videntur et praeter hancce neceſſitatem adiuuandi virtutem eius cauſa catharticum in ſuo electuario addidiſſe.

Ad praeſtantiora igitur febrifuga hic cortex referendus eſt, cuius beneficio iis praecipue, quorum curta ſuppellex eſt, ſuccurri poteſt, qui alias ſumtibus reformidatis morbum ſuo fato relinquentes eiusdem victima euaſuri eſſent. Praeter MÖHRINGIUM, quem ſupra dixi, cl. ZULATTI (*Oſſervaz. ſopra la facolta febbrifuga dell' Ippocaſtano, Firenze* 1782.) dubiam eius virtutem febrifugam reddidit, et

et hic quidem duodecim periclitationibus in nosocomio Patauino inſtitutis. Poterit forſan BURSERII (ex quo vnice ad notitiam huius libelli perueni. V. EIVS *Inſtit. med. pract. vol.* 1. *p.* 190.) excuſatio huc trahi, quod ex leuiſſimis aliquando cauſis in eiusmodi experimentis diſſidium inter medicos exſurgat.

Reliquas illi adſcriptas virtutes breuius expedire licet, quippe quae vel non ſatis confirmatae ſunt, vel dubium adhuc admittunt. Huius loci eſt vomitus porraceus cum torminibus ſaeuiſſimis ventris in iuuene cortice hocce ſopitus in connubio Diaſcordii (ZANNICHELLI *l. c. p.* 208.); febris atrabilaria et cardiaca, vt vocatur, cum alui deiectionibus iuncta (IDEM); febris lenta (JUNGHANSS *Diſſ. cit. p.* 26.). In pleuritide vel peripneumonia praemiſſis venaeſectione et antiphlogiſticis etiam adhibitus (ZANNICHELLI, JUNGHANSS): ſed nonniſi in hiſce malis ſub iis conditionibus concederem, quae aliquando et Chinchinam admittunt, de qua re ſuo tempore diſſerui. Effluuium obſtinatum in gonorrhoea ex atonia partis profectum puluis coërcuit (SABAROT). Obtinet quoque aliquod indicium, antiſpaſmodica virtute inſtructum eſſe.

esse. Sic vna cum pertinaci tertiana duplici conuulsiones tremorque eam comitantes superauit (TURRA *l. c. Obs.* 19.), et in epilepsia tribus vel quatuor exemplis insultus retardasse visus est (SABAROT *p.* 327.).

Decoctum eius cum aqua calcis remixtum casu singulari inflammationem externa applicatione dissipauit (JUNGHANSS *Obs.* 5.); alio vlcus ex male tractato vulnere surae inde coaluit (IDEM *Obs.* 6.); alio iterum gangraenae minae in crure hydropici hominis obuiae vino, cui cortex incoctus, sublatae sunt (COSTE et WILLEMET *p.* 60.).

TROPAEO-

TROPAEOLVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 295. *Gen. pl. p.* 186.

433.

Pharm. NASTVRTII INDICI *Flores; Fructus.*

Tropaeolum maius; foliis ſubquinquelobis, petalis obtuſis LINN. *Spec. pl. p.* 490. Naſturtium indicum LOBEL. *Icon.* 516. *Hiſt.* 338. (teſte BERG.) Viola indica ſcandens Naſturtii ſapore maxima odorata HERM. *Hort. Lugd. Bat. p.* 628. *cum fig.* Optime depicta in REGNAULT *Botanique*, La grande Capucine; item bene in EDWARDS's *Britiſh herbal tab.* 32. *p.* 16. Planta Peruuiana, a. 1684. cura BEVERNINGII in Belgium transuecta, iam ſatione feminum in vaporario facta hortorum vulgare ornamentum. Annua, ſaltem apud nos, nec perennis.

Toti plantae, dum recens, ſapor odorque naſturcinus ineſt, praecipue FLORIBVS. Folia recentia in pultem contrita halitus ſpargunt fere inſtar Armoraciae (CARTHEUS. *Diſſ. de Cardamindo p.* 8.). Succus eorum ſpiritu vini rectificatiſſimo mixtus coagulum generat leue (*l. c. p.* 9.). Inſpiſſatione

ſpiſſatione ſucci craſſioris absque praeuia colatione: ſurgit odor volatilis et extractum ſaporem acidulum diu linguae inhaerentem adſciſcit. Aqua ex floribus recentibus deſtillata ſaporem leniter acrem habet, et odorem nares vellicantem. Fructuum iuniorum et recentium eadem fere ratio (Vide haecce aliaque experimenta chemica in *Diſſ. cit.*).

Dudum FLORES acetario ex Lactuca, inſtar Lepidii hortenſis, additi, ad linguam ſtimulandam ſimulque diſco ornamentum conciliandum. Vi antiſcorbutica recentes inſtrui, ſaltim iudicium linguae et narium perſuadet; mitiorem tamen ineſſe, iidem ſenſus declarant. Sed ſerio nunquam contra ſcorbutum adhibentur. Crebro ſolent nondum expanſi ſale et aceto condiri et loco Capparidum embammatibus carnium vel piſcium admiſceri (Vid. *Hannov. Magaz.* 1767. *p.* 847.). Flores ſub occaſum ſolis menſe Julio viuide, Auguſto languidius, fulminare viſi (*Vetenſk. Acad. Handl.* 1762. *p.* 284.).

FRVCTVS componitur tribus baccis piſi circiter magnitudinis introrſum angulatis extrorſum convexis, ſulcatis. Ante maturitatem ſapore odoreque

ſimiles

imiles floribus. Hinc tum temporis etiam eodem copo, ac de florum gemmis dixi, a matribus amilias vini aceto condiuntur. Maturi et aridi luum purgant deiectionibus fere aquosis et absque orminibus. Ita tribus vel quatuor baccis in milite robusto aluus sexies valide mota; duabus in virgine viginti sex annorum quinquies; tribus in viro succoso pariter quinquies (ARNOLD *Observ. phys. med. p.* 70.).

? BERBERIS.

LINN. *Syst. veg. p.* 282. *Gen. pl. p.* 175.

434.

Pharm. BERBERIS *Baccae; Cortex medius.*

Berberis vulgaris; pedunculis racemosis, spinis triplicibus LINN. *Syst. veg. ed.* 14. *p.* 343. Intelligitur varietas baccis grate rubris vtpote acidioribus, iisque, quae feminibus instruuntur, quoniam hae succosiores sunt; nam seminibus vacuae ficciores deprehenduntur (MÜNCHHAUSEN *Hausvater vol.* 3. *p.* 442.). Berberis dumetorum C. B. Icon: MILLER's *Figures of plants tab.* 63. REGNAULT *Botan.* L'Epine Vinette. Frutex albus, ad sepes

ſepes et in ſyluis creſcens. Ornat fruteta verno tempore floribus ſuis luteis et autumno baccis grati coloris. Surculis ex radicibus emergentibus, ramis terrae demerſis, item feminibus facile propagatur.

BACCAE ex ouali cylindricae, ad apicem vmbilico ſubrotundo fuſco notatae. Intra epidermidem continent pulpam ſuccoſam, in cuius cauo medio ſemina duo oblonga latent. Pulpa grate acida eſt et ſubadſtringens, ſemina autem amaricantia, auſtera. Acor carnoſae baccarum partis, quae colore rubro tingitur, ſtirpem praeprimis memorabilem reddit. Gratia enim et virtute vix ſucco Citri cedit. Colatione clarior quidem fit ſuccus, non tamen limpidus; Vitrioli martis miſcela colorem fuſco nigrum aſſumit. Ad mentem cl. RETZII (*Vet. Acad. Handl.* 1776. *p.* 135.) ad acidum Tamarindorum proxime indole ſua venit, in eo quoque, quod, poſtquam ſuccus cryſtallorum forma ſal eſſentiale tartareum erogauerit, acidum tamen acre ſeruet. Subtilius ad naturam acidi, a ſe pomorum acidum dicti, illum refert cl. SCHEELE (*Vet. Acad. Handl.* 1785. *p.* 22.). Cl. FR. CHRIST. HOFFMANN (in CRELLS *Annal. vol.* 1. *p.* 224. 417.), qui

qui ex ſucco baccarum Berberis perfecte maturarum tam expreſſo quam fermentationi ſubiecto cryſtallos arte chemica elicuit, easdem acido ſacchari ſimiles deprehendit. Sunt, qui ad eruendum ſuccum exſpectant, donec autumno vna vel altera nox gelida inciderit; alii ante gelu, modo maturae et ſuccoſae ſatis ſint, illum colligunt; pro experimentis autem ſuis cum acido baccarum varii generis praetulit cl. SCHEELE (*l. c. p.* 17.) baccas immaturas, ſine dubio acorem magis concentratum ab hiſce exſpectauit. Vt eliciatur commodiſſime, maior copia baccarum ſi praeſto eſt, conquaſſantur illae intra mortarium ligneum ope piſtilli lignei vel intra machinam peculiarem (ANKARCRONA in *Vet. Acad. Handl.* 1749. *p.* 66. *ſqq. tab.* 1. *fig.* 1.), tumque ſacco lineo rudiori inditae torculari (vid. *l. c. fig.* 2.) ſubmittuntur. Pro minori eius copia lucranda ſufficit, conquaſſatas baccas linteo indere et hoc contorquendo ſuccum exprimere. Seruari ille poteſt per plures annos, ſi, poſtquam quiete clarus euaſerit, immittitur in ampullas et vel epiſtomio vel oleo Oliuarum ſuperaddito tegitur. Sic tam pro ferculis variis, quam medico ſcopo, vices ſucci Citri pretio longe carioris peragit. Succus hic duodecima parte ſucci Citri digeſtus et poſt

colationem ad dimidias inſpiſſatus, demum colatus et loco frigido ſeruatus, fundum et latera vaſis incruſtat ſale acido gratiſſimo; ſi liquida pars iterum ad dimidias exhalat, noua incruſtatio ſuccedit; ſal hoc blande ſiccatum eximium in re medica commodum praeſtare poſſet (SIMON. PAULLI *Quadripart. bot. p.* 118.). Cum hoc aliisque acidis ſuccus Berberum commune habet, quod ſitim ſedet, refrigeret, putredinem refraenet. Eximia igitur medicina in febribus continuis quibuslibet, praecipue bilioſis et putridis, nec non chronicis morbis, in quibus labes bilioſa vel putrida humorum ſubeſt, vt ſcorbuto, alui profluuiis. Si praeſto eſt ſuccus, mixturis potulentisque in hiſce morbis addi poteſt. Scite Aegyptiis in vſu fuit, macerare fructus in duodecupla quantitate aquae cum ſeminibus nonnullis Foeniculi (quae pro varia corporis conditione et abeſſe poſſunt) vel fruſto panis, et demum liquidum cum ſaccharo vel ſyrupo grato commiſcere et pro potu propinare; eo conſilio febrem, quam peſtiferam vocat, comite immoderata diarrhoea bilioſa, ipſe PROSPER ALPINUS (*Med. Aegyptior. p.* 253.) eluctatus eſt. A ſimili morbo ſimili fere medicina, ſcilicet ſyrupo Berberum aqua fontana diluto, ſeſe liberauit SIMON PAULLI (*Quadrip. bot.*

bot. p. 118.). In vulgari praxi medica vix praeterquam ſub praeparatorum infra ſignificandorum forma acidum Berberum vſu venit.

Baccae prout ſaccharo conditae inſtar cupediarum ſeruari a foeminis ſolent, aegros pariter ac ſanos reficiunt. Taedioſus labor eſt racemos integros condire, vtpote quum acu ex ſingulis baccis acini eximendi ſint; quod ſi factum eſt, vel ſyrupo ſuo relinquuntur, vel furno calido, donec rigeſcant, ſiccantur, dein puluere ſacchari conſpergendi vlteriusque ſiccandi. Sicque vel placentis adiiciuntur vel inſtar acetarii ſunt vel menſas ſecundas intrant. Gelatina pariter, ex ſucco et ſaccharo, in culinis baccae notae ſunt, et bellaria varia ornant ſua rubedine acoreque gratiora palato reddunt. Siccatae pomis vel cydoniis coctis additae ſaporis gratiam augent. Spiritum vini fermentatione praegreſſa ſuccoſae baccae erogant. Demum nec hoc reticere conuenit, quod ſuccus acido Citri in potu Punch ſubſtitui poſſit, quod potulentum ſimul iucundum colorem adſciſcit (Vid. *Vet. Acad. Handl.* 1749. *p.* 66.), et in ſcorbuto et calculo opem promittit.

CORTEX MEDIVS ſubamarus et auſterus eſt, coloris flaui. Purgandi vis illi adſcribitur. Eo fine cum vino albo infuſio facta eſt (CLUS. *rarior. plant. hiſt. lib.* 1. *p.* 121.). In ictero quoque aliquam celebritatem nactus eſt, ſiue de ramis ſiue de radicibus deglubitus fuerit; nimirum vel cereviſia coctus vel vino albo perfuſus (ad ipſam experientiam RAII in *Hiſt. pl. vol.* 2. *p.* 1605.).

Lanam hic idem cortex flauo colore tingit. Et corio Safian eundem colorem impertit. Colore viridi autem inficitur corium, ſi primum decocto luteo corticis Berberis imbuitur, donec flauum omnino euaſerit, dein, poſtquam exaruerit, toties immergitur ſolutioni ex Indigo cum acido Vitrioli, vt colorem grate viridem recipiat (*Technol. Taſchenbuch* 1786. *p.* 292.).

PRAEPARATA.

ROB BERBERVM *Ph. Würt. p.* 163. Ex ſucco baccarum et ſaccharo ad mellis denſitatem coctis. GELATINA BERBERVM *Ph. Edinb. p.* 66. (quae neſcio cur vna cum aliis gelatinis ſimilibus omiſſa ſerioribus eius editionibus) differt modo maiori ſacchari quantitate. Mixturis, Julapiis, Ptiſanis in

in morbis acutis ſcite admiſcetur. Additamento ſacchari noua vis exſurgit, ſcilicet blande reſoluens.

SYRVPVS *Ph. W. p.* 204. Miſcela eadem ac Robis, ſed plus ſacchari continet, et fluidior eſt. Virtus ex dictis patet.

ROTVLAE *Ph. W. p.* 164. TROCHISCI etiam dicuntur. Parantur ſucco depurato ſuperaffuſo pulueri ſacchari calefacto, et hiſce absque coctione in conſiſtentiam tabulati redactis et in rotulas effuſis. Piſtores dulciarii plerumque parant, quum cupediarum ſpecies ſint. Ab AVICENNA iam laudati. Sitim aeſtate egregie reſtinguunt ore retenti. Gratiae cauſa pulueribus ſalinis admiſcentur; virtutem horum refrigerantem antiſepticam nonnihil ſimul adiuuant.

? TRAPA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 136. *Gen. pl. p.* 62.

435.

Pharm. TRIBVLVS AQVATICVS ſ. NVX AQVATICA.

Trapa natans; nucibus quadricornibus, ſpinis patentibus LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 163. Tribulus aquaticus C. B. Icon optima: REGNAULT *Botan.* La Macre ou Chataigne d'Eau. Planta annua, in ſtagnis lacubusque multis Europae auſtralis regionibus ſpontanea. Facile propagatur nucibus ad oram piſcinarum immiſſis, quod in piſcina luci Caſſellani, Aue dicti, bene ſucceſſit.

NVX quadrangulari ouata, bruna, inſtructa corpore ſupra prominente et duplici cornuum pari, patente, craſſo, ſibimet oppoſito, quorum inferius breuius, ſuperius longius. Sub aqua ad maturitatem peruenit. *Nucleus* quadrangularis, convexus, ſubcompreſſus, lateribus inferioribus maioribus, ſuperioribus minoribus, angulis obtuſis. Hic ipſe dulcis farinoſus eſt, inſipidior caſtaneis. Hinc Thraces panem praedulcem inde pararunt, ſed aluum

aluum conſtipantem (DIOSC. *Mat. med. lib.* 4. *cap.* 15. PLIN. *lib.* 22. *cap.* 10. *ed.* DALECH. *p.* 1029.). Simili ſcopo nuclei et in pultem cocti Lemouici (CHOMEL *Uſuelles vol.* 2. *p.* 342.) et in Carinthia adhibentur (HALL. *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 527.). In Saxonia, vbi copioſe Trapa creſcit, nuces inter alia alimenta in forum transferuntur ibidemque inſtar Caſtanearum aſſantur, et nuclei cum quibusdam cibis coquuntur (MÜNCHHAUSEN *Hausvat. vol.* 3. *p.* 858.). Attamen flatibus et doloribus colicis moleſti eſſe cenſentur. Sunt et, qui crudos ingerunt.

Hocce oeconomico vſu omni aetate magis claruerunt, quam medico. Et fatendum, non iniuſte excludi ex medicamentorum cenſu. Quis hodie confidet eius vi lithontripticae vel conſtipanti in diarrhoea et mictu cruento. Nec cataplaſma inde paratum in inflammationibus (DIOSCOR.) aliquid peculiare habet. Conſule de hiſce amplius, KIRCHMAYERI et PIELENHUBERI *Diſſ. de Tribulo aquatico. Witteb.* 1692.

VNGVENTVM AGRIPPAE *Ph. W. p.* 239., quod hodie fere exulauit, Tribulos aquaticos, neſcio quo fine, recipit. Laudatur in alui ſegnitie et tumoribus duris.

ORDO XXXIX.

TRICOCCAE.

EVPHORBIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 373. *Gen. pl. p.* 243.

436.

Pharm. EVPHORBII *Gummi* ſ. EVPHORBIVM.

Euphorbia officinarum; aculeata nuda multangularis, aculeis geminatis LINN. *Spec. pl. p.* 647. Euphorbium cerei effigie, caulibus craſſioribus ſpinis validioribus armatum COMMEL. *Hort. Amſtel. tom.* I. *p.* 21. *tab.* 11. SEBAE *Theſaur. tom.* I. *p.* 29. *tab.* 19. *fig.* 2. REGNAULT *Botan.* l'Euphorbe. Suffrutex in Africa ſpontaneus. Hancce ſpeciem quidem ſignificaui tanquam matrem Gummi dicti, quoniam, poſt RUYSCHIUM et KIGGELARIUM (in *Obſervat. ad Commel. Hort. Amſtel. l. c.*), quibus planta haec plus quam ſemel vna cum Gummi fruſtulis ex locis arenoſis et deſertis Africae vrbi Sale vicinis transmiſſa, item poſt DODONAEUM, LINNEUS in *Materia medica* 1749. eandem hocce titulo indicauit.

Ipſe

Ipſe tamen in ſeriori libro (*Spec. pl.* 1762.) illud *Euphorbiae antiquorum* adſcripſit, quae eſt E. aculeata ſubnuda triangularis aculeata ramis patentibus *Sp. pl. tom.* 1. *p.* 646. Schadida-Calli RHEED. *Hort. malab. tom.* 2. *p.* 81. *tab.* 42. Et in hac quidem ſententia vtrumque COMMELINUM anteceſſores habet. Hinc JO. COMMELINUS plantam Euphorbium antiquorum verum in *Hort. Amſtel. tom.* 1. *p.* 23. *tab.* 12. dixit, et hoc pro argumento, ex iſta ſpecie eſſe, habet, quod fruſtula flores et capſulas ſeminales huius plantae inter gummi ſibi ex Barbaria allatum inuenerit. CASPARUS COMMELINUS (*Praelud. botan. p.* 9. 17. Conf. J. COMMEL. nota ad *Hort. Mal. l. c.*) quoque multis demonſtrare conatur, hanc ſpeciem eſſe veram.

Sed nominanda et tertia ſpecies ſcil. *Euphorbia canarienſis;* aculeata nuda ſubquadrangularis, aculeis geminatis LINN. *Spec. pl. p.* 646. Tithymalus aizoides fruticoſus canarienſis aphyllus quadrangularis et quinquangularis ſpinis geminis aduncis atro-nitentibus armatus COMMEL. *Hort. Amſtel. tom.* 2. *p.* 207. *tab.* 104. Ex hoc inſularum Canarienſium frutice Gummi Euph. in

Angliam transfertur (MILLER's *Gardiners Diction. ed.* 8. *Euphorb. Spec.* 2.). Stirps in patria altitudinem viginti ſupraque pedum aſſequitur.

Sic igitur ſuccus eiusdem naturae ex diuerſis ſpeciebus obtinetur; et quidni etiam ex pluribus colligi poſſet? Etenim hiſce, vt reliquis Euphorbiis, ſuccus albus lacteus acris ineſt, qui qualicunque laeſione mox prorumpit. Quod GVMMI Euph. nomine ſeruamus eſt gummi reſina, praegreſſa caudicis vulneratione liquidi forma exundans, et ſenſim caloris ſolaris ope concreſcens in guttas vel lacrymas formae multiplicis, piſi ſupraque magnitudinis, intra quas nonnunquam ſpinae ſemina vel aliae partes vegetabiles reperiuntur, dum aliae omnino cauae comparent. Circa ſpinas ſuccus ſeſe plerumque condenſat, vnde lacrymae deciduae ex ſpinis perforatae, et quum ſpinae plantae geminae ſint, ſaepiſſime duobus foraminibus diſtinctae conſpiciuntur (BERG. *Mat. med. p.* 389.). Arena, terra aliisque heterogeneis ſubinde inquinatum comparet. Externe coloris pallide lutei vel rufeſcentis eſt, interne albi. Transfertur ſaccis coriaceis. Ab itineratoribus exſpectamus, vt curatius, quam hactenus factum, collectionis modus explicetur. Si

DIOSCO-

)IOSCORIDI (*Lib. 3. cap. 96.* Cfr. PLINIUS *lib. 25.* :.7.); qui per partes rem enarrat, fides, ouillis ventribus arbori circumligatis, excipitur lac, quod ex caudice e longinquo contis vel haſtilibus vulnerato effluxit.

Odor gummi huius nullus, item ſapor, poſtquam linguae applicatum, initio nullus, mox tamen pungens vrensque; diutius ore retentum vel maſticatum acrimonia ſua partes contactas inflammat, corrodit, exulcerat. Puluis eius nares alluens ſternutationem vehementem et repetitam, quin haemorrhagiam narium et haemoptyſin, excitat. Quamobrem, dum illud in pharmacopoliis contunditur, obtecto mortario opus eſt. Oportet ſimul bene obuelare et auertere faciem, ne veſiculas et phlogoſes concipiat. Ita ex puluere, lecto mala mente inſperſo, in ancilla ſternutatio valida, pruritus inſignis, dolores, veſicae inflammatioque veheniens et intumeſcentia pedum ſubſequuta (PYL *Auff. und Beobacht. a. d. gerichtl. Arzneyw.* 1 *Samml. p.* 77.). Plura indicia acrimoniae etiam ſub externa applicatione Euphorbii ſeſe exſerentis infra, de vſu eiusdem chirurgico commentaturus, tradam.

Ardet

Ardet candelae admotum facile flamma lucida fumante. Aequali fere proportione reſina et gummi illi inſunt (NEUMANN. *Chymie vol. 2. pars 2. p.* 419.). In reſina vero praecipue cauſticum latere videtur. Nam tinctura ſpirituoſa, minima licet quantitate deguſtata, tam acris eſt, vt mucilaginoſa et oleoſa vix intra horae ſpatium ardoris ſenſum exſtinguere poſſint; et extractum inde paratum pari quin maiori acrimonia inſtruitur: quum contra ea infuſum aquoſum ſaporem modo amarum et leniter acrem excitet, et denſatum in extracti formam pari modo ſeſe habeat. Memorabile quoque, quod vapores, qui ſub exhalatione infuſorum ſeſe diſpergunt, naribus excepti pruritum et ſternutationem cieant, vnde partim volatilis naturae acrimoniam iſtam eſſe colligitur (CARTHEUS. *Fund. mat. med. tom.* 1. *p.* 494.).

Sponte iam patet, internum Euphorbii vſum periculo plenum eſſe. Sed confirmant id infortunia, ſpecialibus caſibus ſubnata. Obiit quidam, cui empiricus illud imprudenter exhibuerat, dyſenteria eodem die (ALEX. BENEDICTUS *Pract. lib.* 10. *cap.* 17.). Virgo venuſta ſeni decrepito, ſe inuita, deſponſata ad mortem ſibi conciliandam puluerem Euphorbii ingeſſit, vnde dolores ventris atrociſſimi, hyper-

ypercatharſes cum vomitionibus frequentiſſimis, ingultu, ardore ventriculi et faucium ſitique inexſtinguibili, tandem ſudores frigidi et animi deliquia: ex quibus anguſtiis tamen arte emerſit (TIAEUS A GULDENKLEE *Oper. ed.* RIVIN. *p.* 277.). Nihilominus tamen quidam illud praecipere auſi unt, et inſtar draſtici, quod pituitam, ſed potentius aquam, ſubduceret in iis, quibus venter nimis contra alia mitiora torpet, vel vt loqui mant, friget, in hydropicis praecipue admiſerunt. ta AËTIUS (*De re med. lib.* 3. *c.* 54.), ACTUARIUS (*De medicam. compoſ. ed.* RUELLII *p.* 122.) et Arabes nonnulli. GALENUS et DIOSCORIDES tacent de vi eius purgante. Omnes tamen, qui ore captum concedunt, cautionem ſummam iniungunt et connubium cum iis, quae acrimonium eius frangere valent, vel praegreſſam mitigationem deſiderant. Hanc ipſam tentarunt oleo amygdalino, ſucco Citri, phlegmate Vitrioli, Maſtiche, Croco, Tragacantha, melle aliisque bene multis ſecundum varium de eius natura conceptum (Conf. PECHLIN. *de purgant.* *p.* 238. NEUM. *l. c. p.* 416.). Sed eiusmodi correctiones vel non ſufficiunt, vel, ſi ſufficiunt, ipſam vim medicaminis deſtruunt. Minuere doſin vel rite illam diluere, aliis exemplis artis eſt. Aſt

nondum

nondum comprobata vera dosis est. Ad grana decem permittit SENNERTUS, alias non ineptus subdolae Euphorbii vis iudex (*Oper. tom.* 1. *et* 2. *p.* 742. *tom.* 5. *et* 6. *p.* 278.); a grano vno ad octo cum semisse concedit HEURNIUS (*Prax. med. p.* 508.); a granis duobus sex vel octo GEOFFROY (*Mat. med. Traité tom.* 4. *p.* 210.). Omnibus hisce audacior est FALLOPIUS (*Oper. p.* 137.), qui, praeceptoris sui MACHESII auctoritate et propria experientia ductus, non dubitauit Euphorbii vetusti drachmam vnam, rarius scrupulos quatuor, dare. Mixtum Cassia mitius deprehendit quam solutum, qua forma sitim intolerabilem et euacuationem largiorem creauit. Sed praestat vsum internum eiusdem omnino negligere.

Nec magis in catarrho vel colluuie capitis; ferosa naribus illud in puluerem redactum attrahere conuenit, etiamsi exigua modo quantitate aliis remixtum. Nam exempla adsunt inflammationis violentae et periculosae inde subsequutae (LEWIS *M. m. p.* 268.).

Attamen non omnino excludi a medicaminum censu Euphorbium debet. Magni faciendum est in

n carie ossium ad separandam vitiosam partem siue exfoliationem eiusdem, quam vocant, perficiendam. Hacce virtute iam antiquitus inclaruit (DIOSCORID. *l. c.*). Multumque experti tribuunt ei serius HILDANUS studio deditaque opera de illo exponens (*Obs. chirurg. Cent.* 2. *Obs.* 92. *p.* 169.) et FALLOPIUS (*Lib. de ulcer. cap.* 22. in *Oper. omn. p.* 689.), item recentiores varii auctores celebrati nominis, HEISTERUS (*Instit. chir. p.* 372.) PLATNERUS (*Instit. chir.* §. 1059.) THEDEN (*Neue Bemerk. a. d. Wundarzn. vol.* 2. *p.* 47.). Non in omni carie, sed profundiori aut vetustiori tantum requiritur (HEISTER.). In cancro ossium, qui facile ex contusione ossium squamosorum oritur, praecipue conducit (THEDEN). DIOSCORIDIS praeconium, quod vna die ossium squamas remoueat, iam redarguit HILDANUS; nec nisi post plurium hebdomadum spatium aliquando scopo potitus est cel. THEDEN. Inspergitur vero eiusdem puluis singulis vel alternis diebus vel alcohole solutum applicatur. Casu difficiliori miscela salis ammoniaci et Euphorbii prodest (THEDEN). Quibusdam connubium cum radice Ireos Florent. vel Aristolochiae rotundae vel aliis similibus placet. Probe vero ante applicationem eius labia vulneris obtegi debent, ne stimulus

eiusdem

eiusdem vicinas partes molles dolore et inflammatione offendat.

Raro vel nunquam hodie amplius partibus mollibus in affectionibus paralyticis, atrophicis vel rheumaticis, linimenti vel vnguenti forma, applicatur. Non deſtitui tamen efficacia in hiſce ob ſtimulum ſuum, quo neruos vellicat, humores attrahit ſimulque ſpiſſos et viſcoſos ſoluit, confitendum eſt. Ita emplaſtro exceptum veſicatorii vim exercet. Vnicum *praeparatorum* ex Euphorbio, quod in noſtris pharmacopoeis ſupereſt,

OLEVM EVPHORBII *Ph. Würt. p.* 123. eſt ex Euphorbio oleo Cheiri et vino, quod, in paralyſi et atrophia membrorum commendatum, virium proxime commemoratarum ſimul documentum praebet.

* * *

Ceterarum ſpecierum huius generis, quae officinas intrarunt, vis ex dictis facilius intelligitur. Variant auctores medicamentorum doctrinam tradentes harum tam numero quam ſelectu. Nec certe definiri poſſunt eae, quarum mentio apud veteres (Vid. DIOSC. *lib.* 4. *cap.* 165. PLINIUS *lib.* 26. *cap.* 8.) nomine Tithymalorum fit. Omnes turgent

turgent lacte, vel magis vel minus acri. Quod quaedam ſpecies deſtitutae acrimonia viſae fuerint, forſitan a breuiori iuſto applicatione prouenit. Veteres vtebantur ſucco lacteo, quando per aluum aqua pituita bilisque fortius trahenda, vel vomitiones excitandae, ſed poſca vel aqua mulſa mixto, vel alio additamento aliaque ratione mitigato. Extrinſecus ad capillos tollendos, item ad delendas verrucas, lichenes, pterygia, adhibuerunt, et contra odontalgiam denti dolenti eundem inſtillarunt, vt taceam alias virtutes, quarum fides magis ambigua. Folia, radix, ſemina quarundam eidem ſcopo ſub varia praeparatione et additamento idonea viſa. Hodie et parcior longe ſpecierum numerus in officinis proſtat, et quae medico ſcopo praebentur, vix niſi a mulomedicis vel hominibus, quorum natura vi aſperioris coeli vel rudioris vitae generis contra mitiora induruit, in vſum trahuntur. Experimentis tamen recentioribus euincitur, poſſe arte ita mitigari, vt absque noxa ore ingerantur. Significare omnino fas eſt ingenioſa iſta cll. virorum COSTE et WILLEMET (*Eſſais ſur les plantes indigenes medicinales p.* 13. *ſqq.*), de quibus tamen optandum fuiſſet, vt ne plures ſpecies huius generis iunctim, ſed ſingulas ſeorſim, exploraſſent.

Fuerunt vero hae Euphorbia Eſula, Helioſcopia, Peplus, exigua, dulcis, Cypariſſias, paluſtris, Characias. Harum caulis vel ramorum cortex aceto vel ſucco Citri maceratus et in puluerem redactus a quindecim granis ad triginta imo ſemel ad quadraginta datus ſeptem hominibus, quos inter fuerunt ruſtici leucophlegmatici, foeminae icterícae obſtructioneque menſtruorum laborantes et duo epileptici, vnde pluries quidem emeſis et alui purgatio ſed absque nimia violentia vel aliis malis comitantibus ſubſequuta. Placuit pulueri huic ſemper cremorem Tartari, Cinamomum et Caryophyllos admiſcere et iuſculum carneum pro vehiculo ſorbillare (*l. c. p.* 17.). Folia, radix et cortex caulis harum Euphorbiarum mediocriter torrefacta minori efficacia vim exſerunt. Nam in tribus infantibus quindecim annorum nonniſi triginta grana vomitum excitarunt, deiectiones vero aluinae ſatis bene ſucceſſerunt, et in arthritico annorum ſexaginta absque debilitatione nec violenter effectus ſeſe declarauit (*l. c. p.* 18.); pro vehiculo autem fuit cyathus Theae cum ſucco Citri. Modica quoque tantum euacuatio vtriusque generis fit puluere harum plantarum aëre libero ſiccatarum cum ſaccharo ingeſto; id quod in octo ruſticis robuſtis

robuſtis febre tertiana laborantibus ſtudio deditaque opera exploratum eſt. Sed praeſtat eligere magis fida emetica et purgantia, nec correctione praeuia indigentia.

Funeſta Euphorbiarum vis ſub applicatione externa quoque ſeſe manifeſtat, cuius rei paſſim in hac commentatione exempla occurrunt. Ita ex ſummitatibus Euphorbiae Eſulae LINN. abdomini ab homine militiam detrectante applicatis mira abdominis quin totius corporis intumeſcentia enata eſt, ſuperueniente ſphacelo, quo miſere periit. In alio ex eadem herba applicata ſcrotum intumuit ſub atrocibus doloribus, ſed de periculo tamen emerſit. (SCOPOLI *Fl. Carn. ed.* 1. *p.* 435.).

Specialius iam aliquot Euphorbiae olim vſitatiores conſiderandae.

437.

Pharm. CATAPVTIAE MINORIS *Semina.*

Euphorbia Lathyris; vmbella quadrifida, dichotoma, foliis oppoſitis integerrimis LINN. *Spec. plant. p.* 655. Lathyris maior C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* l' Epurge JO. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* Planta biennis in Italia, Gallia ad margines agrorum, item in Helvetia, paſſim obuia.

SEMEN latet intra capſulam tricoccam trilocularem, in quouis loculo ſolitarium, vt in hoc genere commune eſt. Ipſum iſtud ouátum eſt, ſemine Cannabis maius, altero extremo oblique truncatum, conſtans ex teſta bruna rugoſa fragili et nucleo albo oleoſo. Pauciſſima cum ſeminibus Cataputiae maioris ſ. Ricini communia facie externa habet, vt mirer communionem nominis illis tributam. Sapor nuclei meo experimento initio mitis, poſtea nonnihil modo acris; teſta inſipida.

Experimento ſingulari in cane moloſſo drachmae quidem duae ſeminum crearunt modo tres vel quatuor alui deiectiones non fluidas, for-

ſitan

ſitan quod vetuſtatem nimiam ſubierint (SPRÖGEL *Diſſ. experimenta circa venena p.* 12.); ſed ſub aliis experimentis ſimilibus in brutis captis vehementer ſurſum et deorſum purgaſſe teſtatur HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1044.). Quid in hominibus praeſtiterint, inquirentibus moleſtum diſſidium obuenit. Sunt enim, qui absque vllo periculo dari poſſe contendunt. Ex antiquis huc refero DIOSCORIDEM (*Lib.* 4. *c.* 167.), qui grana ſeptem vel octo, et RUFUM EPHESIUM (*de purgant. p.* 18. *ed.* CLINCH), qui grana decem conceſſit. PETRUS CASTELLUS (*Emetica vbi agitur de vomitu et vomitoriis* in HALL. *Bibl. pract. tom.* 2. *p.* 484.) vero vna cum patre ſuo illis in familia et in aliis vſus inde vomitum ciëri vidit, etiam in foemina grauida absque malo effectu, doſi ad grana triginta vsque aucta ex oui vitello. Exemplum quoque medici Angli narratur, qui ſaporem eorum gratum inuenit, nec acrem, et qui ipſe ad aluum eluendam iſta ingeſſit (ALSTON *Mat. med. vol.* 1. *p.* 444.). Et ſine dubio haecce (Graines de grande epurge) intelliguntur, quae apud ruſticos adhuc in Gallia ad duodecim vel viginti grana pro aluo ſoluenda vſu veniunt, etſi nonnihil rudius operantur (COSTE et WILLEMET *l. c. p.* 19.). Alii rurſus et auctorum

quidem maximus numerus atra carbone notant eadem; et meretricum iisdem facta tentamina ad expellendum foetum memorant, plerumque tamen fruſtranea. Indagandum igitur vlterius, an doſis tantum in vitio fuerit, item anne a vi aliarum eius partium draſtica et fortiter emetica praepropere ad ſimiles effectus ſeminum concluſum fuerit. Etenim venenatas etiam alias ſtirpes in quibusdam partibus ſubinde inſontes eſſe, multis aliis exemplis palam fit. Ex ſucci foliorum huius Euphorbiae ſcrupulo vno cum lacte feli infuſo mox ſuccuſſio capitis, tuſſis, ſternutatio, tremor conuulſiuus corporis, alui purgatio et conatus vomendi fruſtraneus ortus (SPRÖGEL *l. c. p.* 12.). Sed praeſtat omittere ancipitem medicinam.

438. 439.

Pharm. ESVLAE MINORIS *Radix; Cortex (radicis); Herba.*

ESVLAE MAIORIS *Partes eaedem.*

Vix vtraque ſimul in officinis praeſto eſt, ſed eligitur ea, quae opportunitati loci maxime reſpondet. In Suecia eadem de cauſa Herba Eſulae ex *Euphorbia Helioſcopia*, depicta in *Fl. Dan. tab.* 725. petitur; alibi aliae ſpecies ſub eodem

eodem nomine ſuppetunt. Hinc et confuſio in diiudicandis viribus ſingularium Euphorbiae ſpecierum paſſim notatis enaſcitur. Contrahendam igitur dictionem duco, vbi alii verboſe rem explanant. LINNEUS in Materia ſua medica modo Euphorbiam paluſtrem ſuam excitat. Sed auctores Pharmacopoeae Würtenbergenſis item Helveticae nominatim ſignificant Euph. Cypariſſiam LINN. et HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1047.) ad hanc virtutes illas medicas refert, quae monimenta medica recenſent.

ESVLA MINOR officin. igitur in Syſtemate eſt *Euphorbia Cypariſſias*; vmbella multifida dichotoma, inuoluccellis ſubcordatis, ramis ſterilibus, foliis ſetaceis, caulinis lanceolatis LINN. *Spec. pl. p.* 661. Icon: JACQU. *Fl. Auſtr. vol.* 5. *tab.* 435. Pl. perennis, ad vias et in apricis Europae temperatioris frequens.

FOLIORVM ſapor fertur eſſe idem ac Amygdalarum, ex quibus lac pro emulſione extractum fuerit et acrimoniae expers (TOURNEF. *Hiſt. des Plantes vol.* 1. *p.* 262.). Nec ſucci ſponte ex herba exundantis ſcrupulus vnus vllum incommodum feli maiori attulit (SPRÖGEL *Diſſ. de venen.*

p. 14.). Attamen ex ſucco, palpebrae oculi clauſi applicato, inflammatio oculi et coecitas nata eſt. (Ex TIMAEO HALLER *l. c. n.* 1047.).

RADIX valde acris eſt ſenſumque hunc imprimit, quantitate etiamſi exigua deglutita, faucibus, oeſophago, imo ventriculo (TOURNEF.). Et haec potiſſimum in vſum olim tracta. Corrigere nequitiam maceratione in aceto item ſolutione cremoris Tartari tentatum. Radicem vtriusque Eſulae a granis ſex ad viginti in puluere conceſſam cerno (PRAEVOT. *oper. p.* 487.), imo audaciori adhuc conſilio corticem radicis a ſcrupulo vno ad drachmam vnam (TOURNEF.), ad aluum fortius mouendam. Frequens, qui olim apud ruſticos hoc fine vſus inualuit, occaſionem dedit illam Rhabarbarum ruſticorum vocandi. Extractum quoque ex cortice radicis torrefacto cum aceto paratum, vel ex puluere torrefacto cum Oxymelle ſimplici inſpiſſato (RULANDUS in SPINDLERI *Obſ. med. p.* 146.). Hoc ſolutum ſero lactis pro euacuatione aluina in connubio decocti baccarum Iuniperi et eiusdem ſeri pro potu conſueto aſciten deſperatum breui ſanauit (LENTILIUS in *Miſc. nat. curioſ. Dec.* 2. *Ann.* 3. *p.* 155.).

ESVLA

ESVLA MAIOR officin. Haec a botanicis vocatur *Euphorbia paluſtris;* vmbella multifida ſubtrifida, bifida, inuoluccellis ouatis, foliis lanceolatis, ramis ſterilibus LINN. *Spec. pl. p.* 662. Tithymalus paluſtris fruticoſus C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 866. Planta perennis, locis paludoſis auſtralioris Europae creſcens.

Huius quoque ſpeciei efficaciam peculiari narratione confirmare iuuat. Scilicet in Ruſſia ſuccus eius recens ingeritur pondere circiter quinque Solotnik (Solotnik vnus paullo plus eſt, quam drachma vna), et huius defectu radix ſicca ad idem pondus, cui aqua calida infuſa, vt aluum purget. Violentius quidem hoc efficit et plerumque vomitum mitem ciet, nunquam autem tormina creat et effectum ſuum vno quaſi impetu abſoluit. Sicque febres intermittentes obſtinatas, obſtructiones viſcerum aliaque chronica mala curata fuiſſe, gens iſta ſibi perſuaſit (PALLAS *Reiſe durchs Ruſſ. Reich vol.* 1. *p.* 36.). Contra febres intermittentes quoque radices huius et E. verrucoſae in Delphinatu vſurpantur (VILLARS *Hiſtoire des plantes de Dauphiné vol.* 1. *pref. p.* 6. *not.*)

CAMBOGIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 408. *Gen. pl. p.* 263.

440.

Pharm. GVMMI GVTTAE vulgo, GAMBOGIVM, item GAMBOGIA ſ. GVTTA GAMBA Angl.

Cambogia Gutta; LINN. *Spec. pl. p.* 728. Coddam-Pulli *Hort. Malab. tom.* 1. *p.* 41. *tab.* 24. quam quoad partem imitata eſt BLACKWELLIA in *Herb. tab.* 392. Carcapuli ACOSTAE in CLUS. *exotic. p.* 286. Arbor in Malabaria creſcens, procera.

1) Auctore LINNEO de iſto Gummi ſic dicto ſeu ſucco concreto ſub huius arboris nomine commentor, licet non inficiandum, ex aliis quoque arboribus ſimilem ſuccum elici. Carcapuli ACOSTAE fundere illum, iam notauit HERMANNUS in litteris ad cl. SYEN additis *Horto Malab. l. c. in nota.*

2) Sed idem HERMANNUS (*l. c.*) quoque aliam arborem, eamque Zeylanicam, tanquam fontem eiusdem indicauit, quae illi dicitur *Arbor indica Gummi guttae fundens fructu dulci rotundo, ceraſi magnitudine;* Carcapuli LINSCHOT. Confuſio vtriusque

que ingrata apud auctores varios occurrit, similitudine succi deceptos. Kannakurka GRIMMII (*Thes. Laborat. Ceyl. p.* 105. ex BURMANNO) huius sine dubio loci est. Huius synonyma persequutus est BURMANNUS (*Thes. Zeyl. p.* 27.), vt tamen suppetat alia addere. Quantum sentio, eadem est arbor, ex qua adhuc hodie Zeylonenses Gummi guttae colligere cl. KÖNIG retulit, de qua hactenus nihil systematici comperimus, quam quod sit arbor polygama fructu cerasiformi eduli (RETZII *Obs. bot. fasc.* 4. *p.* 6.). Plura breui a Baroneto BANKS, vt litteris mihi promisit, ex iis, quae KÖNIGIUS, paullo antequam vita decederet, illi retulit, exspectamus. Caaopia PISONIS (*Ind. Hist. nat. et med. p.* 124.) forsitan cum hac, secundo loco dicta, convenit specie, pariter lacrymam croceo rubram exsudans. Nec differre videtur Grossularia arborea gummifera flore albo intus tomentoso BARRERE (*Hist. nat. de la France equinoxiale p.* 56.). Sic igitur arbor haec, quae humilis describitur, praeter Zeylonam etiam Americam meridionalem patriam habet.

3) PISONIS arbusculam Caaopia retulit LINNEUS Eques ad Hypericum bacciferum suum (primus in

in *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 582.) et huic et Hyperico cayanenſi LINN. ſuccum croceum adſcribens, filiusque addidit (*Supplem. p.* 344.), fructum ſub cortice luteum eſſe, et ſuccum arte prolicitum et inſpiſſatum Gummi guttae Americanum eſſe. Aliis dirimendum relinquo, an vere congruat cum ſtirpe a PISONE deſcripta.

Taedet in coniecturas de aliis ſtirpibus, paſſim tanquam fontibus huius ſucci memoratis, memet immittere; hinc tranſeo ſtirpem a BONTIO (*Hiſt. nat. et med. lib.* 6. *cap.* 57.) et aliam a RUMPHIO (*Herb. Amb. tom.* 2. *p.* 251.) ſignificatam. Nec refellere hodie amplius opus eſt eos, qui compoſitum ex variis ſuccis vegetabilibus Gummi guttae olim arbitrati ſunt: e. c. ex ſucco Euphorbiae cuiusdam et Scammonio, vel ex Scammonio, ſucco Chelidonii et Croco.

De collectione ſucci huius ex Malabarica arbore pauciſſima comperimus. De iſta autem, ſecundo loco dicta, plura. Ex hac, inciſo cortice medio, praeſertim quando florere arbor incipit, prorumpit forma liquida, poſtea indureſcens; quo vero tanto vberius proueniat, confert prope arborem ignes ſtruere, quorum potentia cortex dehiſcit maio-

maioremque lacrymae copiam fundit (PISO *l. c.*). Percuſſione corticis copioſe luteum iſtum ſuccum fundi ſenſimque ſponte coire, GRIMMIUS (*l. c.*) auctor eſt. — Primum foliis quibusdam excipi magnisque glebis in corbiculis ſibi inuicem imponi et compingi, et ſic porro per totam Indiam transferri, ex narratione Maleyenſium quorundam RUMPHIUS narrat.

Hactenus Gummi Guttae hiſtoria ſuis lacunis non caruit. Certiora plurimam partem ſunt, quae ſequuntur.

Eſt ſuccus gummi reſinoſus, qui ad nos forma placentarum largarum vel magdaleonum vel fruſtorum inſignium transfertur, coloris ex flauo rufi extus multo obſcurioris, nitens, friabilis, nonnihil pellucens, humectatus in pallidam flauedinem mutatur. Qui probae notae eſt, carere ſabulo aliisque quisquiliis debet. Sapor initio nullus, ſed, ſi Gummi hoc diutius ore retinetur, acris cum ſiccitatis faucium ſenſu ſubſequo; ſaliuam luteo colore tingit; odore omni deſtituitur. Candelae admotum ardet flamma alba ſcintillante fuliginoſa et cineres aliquot griſeos relinquente. Arctus nexus obtinuit inter partes eius reſinoſas et gummoſas; hinc aqua eandem fere quantitatem ſucci huius ſoluit,

ſoluit, ac ſpiritus vini rectificatus: ſpiritus tamen paullo plus ſcil. $\frac{1}{16}$ plus (NEUM. *Chem. vol.* 2. *pars* 2. *p.* 439.). Color tincturae ſpirituoſae eſt profunde aureus, ſolutio vero aquoſa dilute lutea, turbida et, poſtquam refrixerit, reſinoſae partis haud exiguum in fundum demittit. Adiumento autem ſalis Tartari perfecte aqua illud ſoluit. Alcali volatile additum ſpiritui vini, vt in ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, eam omnino ſubigit, ita vt dein tam cum aqua quam ſpiritu vini arctiſſime ſeſe commiſceat.

Innotuit Gummi Guttae inter Europaeos primo per CLUSIUM (*Exotic. lib.* 4. *cap.* 8.), qui illud, ex Sinenſi regno allatum, a. 1603. acceperat.

Ab hoc inde tempore pictoribus quidem crebrius in vſu apud nos eſt, quam medicis. Attamen ſopitus eſt multiplici experientia, ſeriori praecipue tempore, metus, qui plurimorum animis de vehementia effectus in corpus humanum inſederat. Suſpectum enim plerisque fuit, ac ſi, vel paucis granis datum, aluum violento nixu in torminum et flatuum connubio moueret ſimulque ſtomachum moleſto conatu ſubuerteret. Abſtineri ideo vel omnino ab eodem iuſſerunt, vel non-

niſi

niſi ſumma cautione admittendum duxerunt. Exempla metus olim concepti praebent BOULDUC (*Mem. de l'acad. d. ſc. de Paris* 1701. *p.* 132.), NEUMANNUS (*l. c.*), CARTHEUSERUS (*M. m. vol.* 1. *p.* 599.), LÖSECKE (*Mat. med. ed.* 4. *p.* 69.), ALSTON (*M. m. vol.* 2. *p.* 435.). Inde quoque profecta varia mitigandi hunc ſuccum tentamina. Huic ini conducere viſum eſt, illum in puluerem redigere, lein intra linteum pani calido aliquoties inclufum loco calido per nychthemerum reponere, nocque experimentum quater vel quinquies repetere; nempe mica panis prima vice adhibiti drastica et emetica vi imbuta apparuit (BOULDUC l. c. *p.* 135.). Alii coctionem protractam et vehementem proficuam iudicarunt (NEUMANN.). Quidam aceto (PISO, BONTIUS V. infra *Ph. Würt.*) in eundem finem, vel ſucco Citri (LISTER *de hydrope* in *App. Op.* MORTON *p.* 29.), vel cremore Tartari vel acidis mineralibus vſi ſunt, alii alcalinis, aromaticis, oleis aethereis rel. Nominatim miſcela cum mercurio dulci commendata eſt ad emeſin, alias facile ſubſequuturam, auertendam (GEOFFROY, *Mat. med. Traité tom.* 4. *p.* 308.). Eandem virtutem exſpectare quoque datur a ſolutione in aqua cum alcali facta, vel ſpiritibus alca-

alcalinis edulcatis, qua scilicet miscela in aluum modo et lotii vias virtus sese exserit (LEWIS *M. m. p.* 290.). Cum sale Tartari solutum vix aluum mouet, sed tanto potentius lotium pellit (BOULDUC *Mem. l. c. p.* 132.). Resinae nominatim stimulus, quo vellicat, inest, vnde solutio spirituosa potentius purgat.

Verum sola doseos scita administratione et opportunitatis diiudicatione acquiescere plerumque licet. Purgare aluum fortius et celeri effectu, et gentes exoticae, quarum in patria colligitur succus, et Europaeae norunt. Solet hunc effectum plerumque vna vel altera emesis, nisi prouideatur, comitari. Quin haec ipsa ne tum quidem deficit, quando naturae vitio purgandi vis succedere renuit. Nimirum in morbo spasmodico epidemico grana tria vel quatuor virtute orba exstiterunt, et maior dosis aqua soluta semper vomitum creauit (TAUBE *Geschichte der Kriebelkrankheit p.* 187.). Repetitione quoque per plures dies facta sensim vomendi conatus perit, et blandius in vniuersum operatur, si copioso liquore diluitur (GEOFFROY). Non hominibus autem modo aluum mouet, sed et brutis, et eodem spatio temporis solutum, ac solidum

solidum in bolo. Experimenta capta sunt in veruecibus, quibus scrupuli duo saepe inanes, dosis drachmae vnius sufficit, drachmarum duarum autem lethalis fit. Effectus vero post 24 horas circiter incidit (D' AUBENTON in *Mem. de la Soc. de Med. de Paris tom.* 4. *p.* 260.).

Inclaruit iam dudum in hydrope, siue ad purgandi virtutem, siue ad alias simul, quarum haud obscura in aliis morbis vestigia adsunt, respectum fuerit. Ad humores aquosos sine molestia euacuandos dosi quindecim ad viginti granorum in India adhiberi consueuit (CLUSIUS *l. c.*). Familiare fuit in hydrope HECHSTETTERI (*Obs. medic.* 1624. *p.* 181 *sq.*) remedium, cuius inter alias formulas simplicitate sese mihi commendat haec, qua G. Guttae grana quatuor ad tredecim cum drachmis duabus syrupi Cinnamomi data. Ad hanc virtutem quoque tempestiue animum aduertit LOTTICHIUS (*de Gummi guttae seu laxatiuo Indico*, Franc. 1626. quem librum perlustrare mihi non contigit.), qui experimentorum variorum meminit a medicis sui temporis cum hacce medicina suscepto-rum. Media quasi via prodit LISTERUS (*l. c.*), quem quidem nunquam illius remedii in hydrope

poenituit, qui adeo hydropicam vetulam tibiis valde exulceratis eo ſanauit, ſed incertitudinem dolet, qua humores trahat, et tormina coniuncta, quibus tamen praeparatione varia huius ſucci obuiam ire tentauit. Hoſce vero qui ad audaciam tanquam proniores accuſauerit, fiduciae tanto plus dabit medicis recentioribus ſcientia et fide inclytis. Inter quos inſigni voluptatis ſenſu ſemper nomino WERLHOFIUM (*Oper. ed.* WICHM. *p.* 777. *not.*), qui in hydrope anaſarca et aſcite ad eliminandam aquam draſticis vſus, Gummi Guttae potiſſimum elegit per ſe pauxillo ſacchari nuptum a granis duobus ad viginti pro ratione morbi, ſexus, aetatis, nullo fere habito ad viſcerum robur reſpectu, niſi quod pro ſtomacho teneriori vt emeſi praeuerteret, Gummi hoc vitello oui ſolueret adiecta Cinnamomi aqua. Maior doſis vel ſemel de die oblata, vel ſaepius eodem die minores granorum duorum. Sicque ad perfectam ſeri ſtagnantis eliminationem perrexit, quippe quum nec tempore protracto concoctionis praeſidia de-ſtrueret, nec, vt alia draſtica, tormina cieret. Praemiſſis blande reſoluentibus et mitioribus purgantibus tandem procedit ad G. Guttae cel. LENTIN (*Beob. von Krankh. am Oberharz p.* 118.), quod

ſaccharo

ſaccharo et aliquot guttis olei aetherei tritum ad 10, 15, 20 grana ſemel bis vel ter de die capi iubet. Quin fuſor, ex errore omni bihorio eiusmodi puluerem aſſumens, poſt deiectiones alui frequentiſſimas et fluidas intra octiduum valetudinem priſtinam recuperauit. Paullo ante vero et ſub effectum fricari abdomen, et aquam gelidam, in qua tantillum cremoris Tartari ſolutum, ſuperbibi curat. Reſtringit vſum eiusdem cel. QUARIN (*Animadverſ. pract. p.* 155.) ad eos, quorum humores, viſceribus integris nec viribus nimis fractis, glutinoſi et tenaces exiſtunt.

Sunt et morbi, in quibus hic ſuccus reſolvendi efficacia praeualere videtur, etſi in hiſce non eam celebritatem ſibi acquiſiuit, ac nuperime dicto. In aſthmate puerorum quadriennium ius grana tria cum oxymelle exhibita, vnde pituita ſtertorem antea excitans cum vomitu reiecta uit, (HECHSTETTERI *Obſervat. med. p.* 187.). — n ictero profuit, infuſioni rhabarbarinae cum qua Cinnamomi factae addere Gummi huius grana ex pro doſi (ID. *l. c.*). — Febrium intermitentium remediis quoque annumeratur. Eo non minus nomine illud adhibuit in febre tertiana

HECHSTETTERUS (*l. c.*). Vſu vero apud Turcas crebriori edoctus LINNEUS Eques, quum medicus claſſis Regiae eſſet, multos ab hiſce febribus eius ope liberauit (TILLAEI *Diſſ. de febr. intermitt.* in LINN. *Amoen. acad. tom.* 9. *p.* 168.).

Quicquid horum ſit, fateor in harum virtutum recenſu non omnia momenta recte definita eſſe, quae inuitare alios ad imitationem poſſent, vel, absque proprio limatiori iudicio, adminiſtrationem ſucci huius concedere.

Noſtra aetas praeprimis ſubſiſtit in eiusdem contra taeniam aeſtimando pretio; in qua ſubigenda ſaepiſſime draſtica alia opportuna eſſe conſtat, ea praecipue, quae aquae eluuiem copioſam poſt ſe trahunt. Non nouiter tamen anthelmintica haecce virtus de Gummi noſtro detecta; nam iam a. 1652. SPINDLERUS (*Obſ. medic. p.* 3.) notauit, foeminam granis decem pulueris Gi. Guttae captis vermem latum euomuiſſe. Sed opus fuit in ancipiti medicina ad fiduciam inculcandam auctoritate viri, cui vita ſalusque aliorum aeque ſibi chara ſemper erat, ac propria, alieni omnino a gloriolae ex audacia vel feſtinato experimento aucupio. Multum igitur commercio ſuo litterario et conſuetudine cum

cum medicis praeſentibus, laborum ſociis, ad hocce Gummi in taenia tentandum contulit WERLHOFIUS; poſt mortem eius autem medendi rationem medicis publice declaratam ab editore voluminum iunctim impreſſorum (cel. WICHMANN in WERLH. *Oper. p. 735. not.*) accepimus. Nonniſi pauxillo ſacchari miſtum illud ad grana vsque viginti in aqua vtrique ſexui praecipit, nec ſibi ab vllo incommodo metuit, ſed vigorem recuperatum poſtridie iam animaduertit. Caſu obſtinatiori die ſequente eandem doſin repetere opus fuit, imo tertiam aliquando tertio die, donec taeniae exilius extremum ſuo cum nodulo eliminaretur. Sicque numeroſis aegris, ſiue taenia lata LINN. ſiue taenia Solio L. vel, vt cel. PALLAS eandem vocari mauult, cucurbitina, corriperentur, ſubuenit. Eiusdem ſucci granis decem per tres dies mane, WERLHOFIO ſuaſore, ingeſtis multas taeniarum portiones ac filamenta, et inter alia taeniam exiguam digiti circiter longitudinis (quae omnia ad taeniam latam pertinent, ſi figurae adiectae fides) expulſam deſcribit cl. KALTSCHMIDT (*Progr. de taenia, Ien.* 1766. *p.* 4.). Commode et in bolos cum extracto Gentianae redigitur; ea forma ad grana decem vsque pro doſi bis de die

datus, et poſt vnius vel duorum vel plurium dierum interuallum hocce modo repetitus in nauis magiſtro, qui fruſtra puluerem ſtanni aliaque vulgaria vermibus infeſta vſurpauerat, copioſas alui deiectiones excitauit et excretionem vermium cucurbitinorum mortuorum, quin ipſius taeniae creauit, vnde ſenſim iteratione medicationis huius commodis temporibus facta a taenia liber euaſit. Cl. BISSET (*Medical Eſſays and Obſervat. p.* 188. *ſq.*), qui hanc ſingularem curationem direxit, verum et infallibile quidem taeniae remedium indicat; ſed aequius eius pretium conſtituens ſummus WERLHOFIUS (*l. c.*) excidiſſe ſpe ſua nonnullos fatetur, vt quibus ne articulus quidem taeniae inde feceſſerit, quum tamen in hiſce ſponte, neglecto pharmaco, prodierit. Proficuum autem eſt, decumbere lecto, donec purgans hocce effectum ſuum exſerere incipiat, nam ſeſſione ſiue ſtatione facile inprimis ſub plena doſi emeſin creat, vnde vermis in ſuperiora quoad partem vel omnino trahitur (BISSET *l. c. p.* 144.).

Aliis placuit, cum G. Guttae combinare vel commiſcere alia vermibus aduerſa; vel recedun quoad interualla praebiorum a nuperrime dicto ordine

ordine. Cel. SELLE (*Handb. d. med. Prax. ed. 2. p.* 185.) ſolet veſperi aliquot cochlearia olei dulcis cuiusdam vel olei Ricini exhibere, mane autem G. Guttae grana decem, et, niſi vna cum alui deiectionibus vermis appareat, confeſtim iterum grana totidem, imo, niſi ſtimulus metum incutiat, poſt iuſculum carneum potatum rurſus grana decem praebet et clyſma applicari curat. Foemina quaedam veſperi ſeminis Santonici vnciam dimidiam aſſumſit et poſtridie mane grana octo G. Guttae, vnde deiectiones aquoſae cum multis fruſtulis exiguis taeniae et magna copia pituitae ſubſequutae; ſimili vero doſi quatuor horas poſt capta per aluum prodiit taenia vlnarum quinquaginta in globum conuoluta (SCHMALZ *chir. u. med. Vorfälle p.* 198.). Nec dubito quin *arcana* iſta contra taeniam varia, quae ſerioribus annis celebritatem nominis adepta ſunt, plurimum efficaciae a G. Guttae, quod formulas intrat, repetierint: loquor Herrenſchwandianum, Cloſſiano-Waglerianum, Nufferianum, quorum hoc infra alio capite vberius commemorabitur, iſta inter compoſita praeſentis huius ſuum locum obtinebunt.

Hydrope ſimul cum taenia infeſtante tanto conuenientius ſuccus hic eſſe videtur. Nec deluſit

euentus ſpem ratione taeniae in aſcitico quodam, quippe in quo vermis ſuo cum nodulo vi eius eiectus, ſed aquae tamen noua paullo poſt collectio contigit et poſt paracenteſin viuere deſiit (SELLE *Beiträge zur Natur. und Arzney-wiſſ. vol.* 2. *p.* 17.). Ex dictis igitur conſequitur, Gi. Guttae valere et contra illam taeniam, quae longioribus et anguſtioribus articulis inſtruitur, et illas quae breuibus et latis dignoſcuntur, eliminari non ſolum fruſtulorum vel vermium cucurbitinorum forma, ſed integrum cum exili et tuberculato ſuo fine. En igitur vnum ex praeſtantioribus anthelminticis. Dolendum tamen, non ſatis accurate vbiuis ſpeciem vermium horum fuiſſe definitam, quum effectus aliorum quoque remediorum contra taeniam valdopere pro harum diuerſitate differat. Raro opus viſum eſt, ad lumbricos humanos eiusdem vſum extendere: non minori tamen potentia illud hoſce fugare, experimentis in adultis euincitur (BISSET *l. c. p.* 195.), in quibus mitiora ſubinde auxilium ſuum detrectant.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

GVMMI GVTTAE PRAEPARATVM (*Ph. Würt. p.* 99.). Fit ſolutione gummi huius in aceto vinii eius-

eiusdemque per inclinationem vasis a spisso separati
n extractum condensatione. Hocce menstruo ita
mitigari quidam putant, vt emetica potentia pereat
et tutum purgans euadat.

SPECIFICVM HERRENSCHWANDII CONTRA TAENIAM. De hocce remedio heic ago, quoniam eidem inesse Gummi Guttae plerique hariolantur. Olim famam insignem sibi acquisiuerat, quasi efficacissimae in taenia nominatim lata LINN. medelae. Non diu latere potuit eandem adhibendi ratio, quum et absentibus consilia et pulueres suppeditarentur: interim et praecipua haecce consilia variis momentis discrepant. Quae de ea resciuimus, haec sunt (Conf. *Bibliotheque raisonnée, tom. 33. Oct. Nov. Dec. p.* 281. BONNETI commentatio in *Memoires de Mathematique et de Phyf. présentés à l'acad. Royale d. sc. tom.* 1. *p.* 479. SWIETENII *Comment. tom.* 4. *p.* 739. RUEFF in *Nov. Act. nat. curios. tom.* 6. *p.* 21.). Pridie antequam specificum capiatur, hora quarta post meridiem, grana sex pulueris albi, cui Vitriolum martis inest, ex aqua tepida ingeruntur, qui tamen puluisculus (praeparatorius dictus) non omnino necessarius est. Coena esto modica et post bihorium cochlear vnum (BONNET), vel duo (*Bibl. rais.*) olei Amygdala-

rum vel Oliuarum hauriri debent. Sequenti mane omni bihorio puluis, drachmam vnam vel ſcrupulos quatuor pondere aequans, ingeritur, dum pro diuerſitate virium doſis mox minuatur mox augeatur (BONNET *l. c.*). Adiiciendum eſt, alibi ieiunium imperari die ante, quam ſpecificum capiatur, ſcrupuloſum, et toto die nonniſi tenuiſſima iuſcula cum exigua quantitate cremoris hordei vel auenae concedi, item ſermonem fieri de vnciis tribus olei et de drachma vna ſalis Abſynthii, loco prius dicti pulueris praeparatorii, ingerendis (RUEFF *l. c.*). Sed ex quibus rebus puluis ipſe ſpecificus conflaretur, dubios in primis medicorum animos tenuit. Deſcribitur leuis, valde ſubtilis, coloris oliuacei, particulis ſplendentibus, odore Croci et ſapore leuiter ſalſo (BONNET). Formulae, quae de iſto publici iuris factae ſunt, valdopere inter ſe differunt, eae quoque, quae ore inuentoris profectae affirmantur. Vna haec eſt, quod radicis Filicis grana quindecim viginti vel triginta, Gummi Guttae granum vnum ad quinque et Gratiolae grana quinque ad duodecim in puluerem commiſceantur, tribus doſibus, quarum ſingulae per interualla duarum horarum capiantur, niſi iam ſecunda doſis, vt plerumque factum, vermem per aluum eliminet; puluis praeparans die

die antea ſumendus ex Mercurii dulcis et Scammonii ſulphurati aequalibus partibus conſtare traditur (ANDREAE *Diſſ. de taenia, Gröningae* 1769. et ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. ed.* 5. *Verſ. Germ. p.* 556. cum nota mea). Addo multum iuſculi inter euacuationes fuiſſe bibendum. Quum inuentor Gottingam noſtram in itinere ante complures annos ſalutaret, narrauit SCHRÖDERO, Profeſſori olim Gottingenſi, puluerem eius conſtare ex G. Guttae granis decem ad quindecim et ſalis Abſynthii cryſtalliſati granis quindecim ad viginti per bihoria capiendum, donec taenia eliminaretur. Vtrumque horum quoque recenſet cl. DE RUEFF, ſed minori quantitate, ita vt Gummi Guttae modo grana tria, quatuor, quinque ſingulos puluerem intrent et interualla trium horarum requirantur. VOGELIUM (*Prael. de cogn. et cur. morb. p.* 652.) autem certiorem reddidit cl. HERRENSCHWAND dictae miſcelae carbones ex Fraxino admiſceri. Maxima diſcrepantia haec eſt, quod, quum hoc remedium Imperatrici Ruſſorum ELISABETHAE commendaretur, experimentis chemicis MODELII erueretur, illud tam Mercurium quam Arſenicum cum terra abſorbente complecti (PALLAS *neue nord. Beytr. vol.* 1. *p.* 69.); quod ſi verum ſit, tanto

plus

plus cautionis in vſu iniunctum ſibi, quilibet ſponte agnoſcet. Quicquid ſit, tantum abeſt, vt blande operetur, vt potius in multis cum torminibus et pulſus acceleratione ſurſum et deorſum valide purget, et languorem per vnum vel alterum diem cieat. Hinc et in Helvetia ab eodem diſſuaſerunt (Cfr. DE HAEN *Rat. med. pars* 12. *p.* 213.). Alios tamen mitius afficit, vt eodem die domo exire liceat; ſubinde effectus ad mane ſequentis diei vsque differtur (BONNET). Quo vero noſcatur, an vermis vere praeſto ſit, ſuadetur, vt initio experimentum fiat vncia media ſyrupi florum Perſicorum ingeſta, quae ſi cum foecibus grana ſiue moleculas albicantes expellat, indicio eſt, vere latere taeniam (BONNET item *litt.* HERRENSCHW. *ad* ROSENSTEINIUM *l. c.*). Si vermis non in globum conuolutus, ſed per fruſta modo diremtus, ſecedit: metus eſt, ne qua eiusdem portio remanſerit; vnde poſt aliquot dierum intercapedinem repetere curationem opus eſt (RUEFF).

SPECIFICVM CLOSSII CONTRA TAENIAM.

Quoniam auctor WAGLERO, amico ſuo, compoſitionem eiusdem detexerat et hic, licet eam ſollicite reconderet, remedium inter multos diſtribuebat:

WAGLERI

WAGLERI nomen a multis tulit. Non deſtitui ſua efficacia etiam teſtatur cl. FRITZE (*mediz. Annal. vol.* 1. *p.* 309.), cuius propriis verbis in enucleatione arcani iam vtar: ℞. Mercur. dulc. r. ppt. gr. xij. Conch. ſ. igne ppt. ℈j. M. S. *Nro.* 1. — ℞. Ol. Amygd. dulc. ʒj. S. *No.* 2. — ℞. Gumm. Guttae gr. xxxvj. Pulv. Cardui bened. ℈j. Rad. Angelic. Marchion. epilept. $\overline{aa}$ gr. viij. M. Divid. in iij. partes aequal. S. *No.* 3.

Aeger poſt coenam leuiſſimam ſumit pulv. *No.* 1. ex aqua frigida. Poſt horam dimidiam ſumit remedium *No.* 2. Altero mane ſumit vnum ex pulueribus *No.* 3. in lecto, vel extra lectum. Hic puluis plerumque bis vomitum creat, et totidem deiectiones aluinas. Poſt ſingulos vomitus ſorbillatur vaſculum Theae vel infuſi Cardui benedicti. Bihorio poſt, quam primus puluis ſumtus eſt, examinantur excrementa; ſi nondum expulſa eſt taenia, alter puluis eadem methodo ſumitur. Si nec hic puluis expulſit, poſt duas horas cum dimidia tertius ſumitur, taeniam certiſſime expulſurus. — Hactenus ille.

SPECIFICVM NVFFERIANVM CONTRA TAENIAM.

De hoc vide infra caput de Polypodio Filice mare. Et haec tantum contra Taeniam latam LINN. valet.

BOLVS

BOLVS GVMMI GVTTAE RICHARDI DE HAUTESIERK *Obſerv. en Medecine tom.* 1. *Formul. p.* 42. Apertius cel. vir, quam iſti arcanorum venditores, declarauit ſuum contra taeniam medicamen; quod conſtat ex Gummi Guttae granis X. Sem. Colocynth. n. iij. cum Amygd. amar. n. j. et Syrupi Abſynth. q. ſ. tritis, vt fiant boli ij., qui pro doſi ſingulis octo diebus repetendi.

ESSENTIA CATHOLICA PVRGANS ROTHENII (Vid. EIVSD. deſcriptio in ipſius *Gründl. Anleit. z. Chymie ed.* 6. *p.* 135. quam inſerui *verſ. Germ.* libri ROSENST. de morbis infantum *ed.* 5. *p.* 539. ELIXIR PVRGANS MICHAELIS a LÖSECKIO (*Auserl. Arzney. ed.* 4. *p.* 134. ſub alia proportione ingredientium) vocatur; ELIXIR ANTHELMINTICVM SVECORVM a SPIELMANNO (*Pharm. general. p.* 129.). Conſtat ex Jalappa, ſeminibus Carthami, Scammonio et Gummi Guttae per ſpiritum vini extractis. Vt purgans efficax ad guttas quinquaginta ſupraque data iam dudum. In Suecia autem (Vid. ROSENSTEIN cap. de vermibus) contra taeniam crebrius adhibita loco alius potentioris purgantis, ſubinde in connubio cum ſyrupo Rhamni cathartici. Quum Gummi Guttae in ſinu gerat: non obſcurum eſt, priuas illam in vermes vires exſerere.

PHYL-

PHYLLANTHVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 707. *Gen. pl. p.* 482.

441.

Pharm. MYROBALANI EMBLICAE *Fructus.*

Phyllanthus Emblica; foliis pinnatis floriferis, caule arboreo, fructu baccato LINN. *Spec. pl. p.* 1393. Nilicamarum RHEED. *Hort. Malab. tom.* 1. *tab.* 38. Mirobalanus Embilica RUMPH. *Herb. Amboin. Auctar. p.* 1. *tab.* 1. Arbor Indica.

FRVCTVS, prout ad nos transfertur plano rotundus eſt, nigro griſeus, rugoſus, in ſex ſegmenta diuiſibilis, texturae tenacis, dentibus tamen vincendae. Sapor manifeſte acidus et adſtringens. Plures ſeruantur in officinis fructus, de quibus infra plenius exponam, quos interpretes Arabum et recentiores Graeci, e. c. ACTUARIUS, nomine Myrobalanorum appellarunt. Omnibus hiſce facile carere poſſumus, et omnino fere hodie eorum uſus obſoleuit. Myrob. Emblicae fructus maturus in patria ſaccharo conditur ad reficiendum corpus et refrigerandum. Muria quoque condiri ibidem ſolet et ſic ad quoſuis cibos toſtos et elixatos

inter

inter prandia adhibetur. Siccatus autem fructu vt aliae Myrobalani, pro miti purgante habitu eſt, ſed verius adſtringendi potentia pollet. De coctum inde cum aqua paratum contra dyſenteriam aliaque alui profluuia in laude fuit.

CROTON.

LINN. *Syſt. veg. p.* 721. *Gen. pl. p.* 502.

442.

Pharm. CASCARILLAE vulgo, CHACARILLAE rarius, ELEVTHERIAE Ph. Lond. *Cortex.*

Croton Caſcarilla; foliis lanceolatis acutis integerrimis petiolatis ſubtus tomentoſis, caule arboreo LINN. *Spec. pl. p.* 1424. Ricino affinis odorifera fruticoſa maior, roriſmarini folio fructu tricocco albido SLOANE'S *natural Hiſt. of Iamaica tom.* 1. *p.* 133. *tab.* 86. *fig.* 1. An Ricinoides eleagni folio, The Ilathera Bark, La Chacrille CATESBY'S *natur. Hiſt. of Carolina Florida and the Bahama Islands, tom.* 2. *p.* 46. *tab.* 46. Quae icon non ſatis ob ſerpentem craſſum, quo plurimum tegitur, commoda; recuſa quoad partem exſta-

exſtat in BÖHMERI *Diſſ. de cortice Caſcarillae praeſ.* FR. HOFFMANN. Hal. 1738. Frutex in Iamaica et inſulis Bahamicis, Floridae vicinis, obuius.

Auctore LINNEO corticem dictum ad hanc peciem refero, licet ipſe Clutiae generi initio (*Mat. ned. ed.* 1. *p.* 166.) adſcripſerit, dein (*Amoen. ac. ol.* 5. *p.* 411.) dubitauerit, Clutia an Croton ſſet, imo adhuc in *Spec. plant. ed.* 2. Materiam nedicam ſuam tam ad Crotonis dictam ſpeciem, uam ad Clutiam Eluteriam citauerit. Mirum, uod neque a SLOANEO nec BROWNEO (*Nat. Hiſtory f Iam. p.* 347.), fruticem deſcribentibus, mentio orticis tanquam medicamenti facta fuerit. Nec CATESBY alia de eo memorat, quam quod accenſus uffimentum gratum exhibeat, et infuſus vino vel qua acceptum amarum cum aromate iunctum onſtituat. Inde dubium enaſcitur, anne vere ortex Caſcarillae noſtrae ex hac ſtirpe depromatur; am creberrima efficaciae documenta iſta, quae pud Europaeos obuia ſunt, celebriorem etiam llum et in patria redditura fuiſſe probabile eſt. OULDUC (*Hiſt. de l'ac. R. d. ſc.* 1719. *p.* 54.) orticem Peruuianae cuidam plantae tribuit, et

ſubſcribit adhuc hodie SPIELMANNUS (*Mat. med.* *p.* 249.) huic ſententiae, Americam meridionalem, praecipue Peruuianum regnum, patriam illi adiudicans. Alii DALEUM (*Pharmac.* *p.* 378.) ſequutii ex inſula Americana Bahamenſi, Elatheria dicta, ad nos transmitti affirmant; ita et LEWIS (*M. m.* *p.* 259.), etſi non ſine omnis dubitationis nota. — Quidam eundem faciunt cum THVRIS ſ. THYMIAMATIS *cortice* (DALE et recentiores quoque Anglorum libri in materiam medicam): diuerſum tamen Suecicae officinae ſeruant (LINN. *M. m. l. c.*).

Olim hic cortex, loco Chinchinae, ſubinde venditus, cui confuſioni primam anſam forſitan dedit communio nominis horum corticum, vti aliorum, dum nimirum Hiſpani omnem tenuem corticem Caſcarillam vocant. Non negauerim tamen alios venditores lucri amore ad fraudem potuiſſe ſtimulari, eo tempore et loco, quibus vtriusque corticis comparatio non ſuppeteret. Exempla eiusmodi confuſionis Caſcarillae cum Chinchina olim Brunſvigae factae commemorat STISSERUS, Prof. Helmſtadienſis, (*Act. laborat. chem.* *ſpecim. ſec. cap.* 9.). Differunt tamen inter ſeſe notabilem in modum characteribus externis et odore

odore ſaporeque. Et horum ſenſuum iudicium confirmat vlterius analyſis chemica (Vid. vtriusque quoad partes compoſitionem ingredientes comparationem in BÖHMERI (*Diſſ. cit. p.* 29.); praeprimis autem effectus in morbis diuerſitas. Ratio iam patet nominis *Chinaechinae ſpuriae,* quo in vetuſtioribus libris inſignitur.

CORTEX proſtat fruſtis tubuloſis conuolutis, ongitudinis aliquot pollicum, diametri pollicis circiter dimidii vel integri, compactis, ponderoſis, limidiam lineam fere craſſis, fragmento aequali, bſcurius bruno. Extus tegitur epidermide alba, ugoſa, lineis transuerſalibus notata, lichenibus ubinde obſita, inſipida et inodora, qua deraſa pparet pallide brunus. Guſtatus ſaporem mox rodit amarum cum aromate iunctum, quo totum s incaleſcit cum durabili impreſſione. Odor, uem ſponte ſpargit, aromaticus eſt, ſed debilis, ccenſus autem cortex fragrantem excitat. Igni dmotus flammam facile concipit.

Ratio eius ex analyſi chemica elucet. Aqua ilicet deſtillatus cortex oleum viride aethereum raebet, odoris fragrantis gratique, ſaporis puntentis. Pondus, quo prodiit, diuerſum fuit.

Sunt, qui ex libra vna ponderis ciuilis drachmam vnam elicuerunt (BÖHMER *Diff. l. c. p.* 24. NEUMANN. *Chymie vol.* 2. *part.* 2. *p.* 214.). Alius ex libris triginta quadrantem librae (DEHNE in CRELLS *chem. Journal P.* 3. *p.* 8.), itaque paullo plus; alius (SPIELMANN. *M. m. p.* 250.) iterum, quod miror, adeo $\frac{1}{32}$. Multum resinae continet, nam ex vnciae eius vna per spiritum vini drachmae quinque erutae (BOULDUC *Hist. de l'acad. R. d. sc. l. c. p.* 54.) NEUMANNUS paullo minus extraxit. Extracti aquosi quarta pars inest (SPIELM.). Quod remanet ex cortice post extractionem spirituosam, omni odore et sapore destituitur, quum contra ea in residuo post extractionem aquosam multum adhuc odorarum et sapidarum partium superstes sit. Spiritus vini igitur potentius partes efficaces absorbet. Memorabile tamen, extractum spirituosum, si in siccitatem vsque densatur, orbum fere omnis saporis esse, quum tamen humidum amarum, aromaticum pungens, existat (LEWIS *M. m. p.* 280.). Omitto quae ignis fortior et exploratio partium variarum cum reagentibus declarauerunt, vtpote a scopo medico magis aliena (Consuli vero de hisce potest BÖHMERI *Diff. cit. cap.* 2. §. 1.).

Prim

Prima virtus de illo depraedicata eſt haec, quod raſura eius cum Tabaco mixta fumum huius fugendum gratiorem reddat, ita tamen, vt, ſi eius iuſto plus addatur, ebrietas inde ſuſcitetur. (STISSER *l. c.*). Sed ſucceſſit longe grauioris momenti vſus in ipſis morbis. Qua in re in Germania tam initio quam hodie plus fidei ſibi videtur, quam alibi, conciliaſſe. STISSERUS, quantum conſtitit, primus inter Germanos eſt, qui libro a. 1690. edito eiusdem meminit, tanquam corticis annis paucis antea innoteſcentis. Sub iſtis tamen initiis in tantam eius familiaritatem peruenerat, vt errorem, quaſi eadem vi febrifuga polleret, ac cortex Peruuianus, redarguere poſſet. Ipſe autem tincturas cum ſpiritu vini vel ſolo vel in miſcela ſalis volatilis cornu cerui paratis, in calculo, aſthmate, phthiſi, ſcorbuto, arthritide, cum ſucceſſu adhibuit, eiusque vim diureticam et carminatiuam praedicat. Prout huius cel. viri tentaminibus in ducatu Brunſvicenſi celebritatem tum temporis cortex nactus eſt: ita paullo poſt in Norimbergenſi ditione encomiis APINI (*Febris epidem. hiſtorica relatio* 1697. *praef. et p.* 82. *ſqq.*), qui eodem, etſi ſub nomine corticis Peruuiani (Cfr. WERLHOF. *Oper. ed.* WICHM. *p.* 714.) in febre remittente, vt videtur, initio

bilioſae naturae dein contagioſa et petechiis iuncta, in extracto aquoſo cum ſpirituoſo commixto vſus eſt fauſto euentu. Porro STAHLII auctoritas multos nominatim, qui ex eiusdem ſchola prodierunt, ad eundem allicuit, licet inter virtutes veras illi alias tribuerit (*Ars ſanandi cum exſpectatione p.* 266.), quibus ſub ſereniori medicae praxeos luce hodie ſubſcribere non conuenit, quorſum pertinet, eſſe diſcutiens, anodynum, in peripneumonia ſpecificum, et in qualibet febre proficuum.

In primis vero patronos ſuos olim habuit in febribus intermittentibus. A cl.mo FAGON narratum audiuit cl. BOULDUC (*l. c. p.* 55.), initio, quum Chinchina adhuc in Gallia rara eſſet, ſe Caſcarillam optimo ſucceſſu in hiſce febribus in iſtius locum ſuffeciſſe, et ipſe addit, minori doſi et breuiori tempore haſce ſuſtuliſſe. Specialius in hiſce febribus commendauerat eam JUNKERUS (*Therap. gener. p.* 302.) vt tamen agnoſcat calefacere et doſi refracta dari debere, et in bilioſis et ad motum pronis minus conducere, quam in phlegmaticis et mulieribus, quibus aptiſſime cum cortice Peruuiano exhiberetur: in caſibus ab eo per partes recenſitis tamen ex ſelectu medicamentorum

torum praerogatiuam dediſſe Peruuiano videtur. GÖLICKIUM addo (*Diſſ. de impoſtura corticis* in WERLH. *Oper. p.* 89.), qui adeo non dubitauit, Caſcarillae non aequalem modo effectum ac Chinchinae tribuere, ſed tutiorem. Quantum coërcenda ſit haecce febrifugae virtutis laus, vel vnice WERLHOFIO (*Oper. p.* 123. *p.* 712.) credi poſſet, qui longiſſime inferiorem Caſcarillam altero cortice expertus pronunciat, et contra HEISTERUM (*Diſſ. de medic. indigenis German.*) monet, in quartana aut aliis febribus difficilioribus ſe aliosque ſaepiſſime fruſtra eandem tentaſſe (WERLHOF *Oper. p.* 303.). Reuocandum hic in memoriam iudicium verum STISSERI ſupra allatum. Quatuor hominibus, quibus non ſuffecit cortex Peruuianus liberali manu Caſcarilla data, ſed fruſtra a cl. MONRO (*Account of the diſeaſ. in milit. Hoſpitals p.* 202.). Queritur et cl. LIND (*Diſ. in hot climates p.* 305.), corticem hunc, licet omni quadrihorio ad drachmam dimidiam oblatum, exiguam modo vim exhibuiſſe. Aliquando tamen valde prodeſt, eundem cum cortice Peruuiano commiſcere, quando nimirum prae debilitate nimia ventriculus Chinchinam ſolam non fert, vel haec ipſa alui profluuium excitat, vel iacturae virium ſubueniendum eſt.

Quod supra dixi, APINUM exploraſſe in curandis febribus biliosis ex hoc cortice adiumentum, idem expertus est cl. SANTHESSON (*Vet. Acad. Handl.* 1779. *p.* 144. *sq.*), epidemia quadam ruri in Suecia grassante. Praemissis euacuantibus et lingua pura apparente febris semper eo superari potuit. Si vero praecocius administraretur, carus succeſſit, item tympanites vel aucta febris. Larga vero quantitate eius opus fuit, quum alias debilitantes sudores nocturni insequerentur; nec opportune datus sudorem mouit, sed potius aluum laxam seruauit, et stomachici instar valuit. Ad eam vero normam isto vsus est, vt quauis hora ternis vicibus ante exacerbationem (paroxysmum vocat) drachma dimidia caperetur. Vnde subsequens quidem mitior euasit, redire tamen ad totidem praebia eodem ordine postero die opus fuit; rariſſime oportuit tertiam huius generis repetitionem instituere. Tutius vero recidiuas auertit, quam cortex Peruuianus, quin ne connubium vtriusque quidem aeque efficax fuit, ac Cascarilla sola.

In profluuiis aluinis coërcendis cortex hic merito celebratur. Haec ipsa virtute antecellit Chinchi-

Chinchinam, licet guſtu adſtringere eum non ſentiatur (WERLHOF. *Oper. p.* 303.). Nominatim in dyſenteria eximius, quod iam a. 1719. (*Hiſt. de l'ac. d. ſc. de Paris a. cit. p.* 56.) cognitum, febris ſiue adeſſet ſiue deeſſet. Aſt nihil temere, ſed euacuantia praemitti debent, quae licet vſurpata fuerint, flacciditas tamen nimia inteſtinorum ſaepe remanet, nonniſi roborantibus vel fortioribus adſtringentibus vincenda. In puluere tum exhibetur, vel in tinctura, cum decocto Simarubae commixta. Conducit et tincturae Rhei et Caſcarillae ad aequales partes miſcela. Si corticum Simarubae et Caſcarillae ineunda comparatio, ſciendum illum in ſiſtendis deiectionibus cruentis praerogatiuam habere, hunc autem in deiectionibus feculentis mucoſis. Non vero vnice confert, quoniam partes relaxatas roborat, ſed et ſimul motus febriles compeſcit et dolores ſedat (Cfr. DEGNER *de dyſent. bil.* p. 164. *ſq.*).

Reliquis breuius perfungar. Haemorrhoidum internarum fluxum eodem promoueri (BOULDUC *p. c. p.* 56.) legimus. Ita aſcarides poſt alui purgationem praegreſſam tolli (*Act. med. Berolin. Dec.* 1. *vol.* 2. *p.* 60.). Nimis vero calida eſt medicina,

quam vt tuto in pleuritide et peripneumonia ve aliis inflammationibus ad conſilium STAHLII (Vid JUNKERI *conſpect. med. theor. pract. p.* 435. 437. commendaretur. In lentis hecticisque HOFFMANN (*Med. ſyſtem. tom.* 4. *part.* 1. *p.* 565.) vti et JUN KERO (*Conſpect. cit. p.* 567.) placet.

Si hiſce additur, vi eximia ſtomachica, carmi natiua, corroborante et diaphoretica inſtrui: colli gitur, ad praeſtantiora medicamina pertinere. Semper vero memento, calidum eſſe et motui ſanguinis ſponte iam effraeno calcar ſubdere. Hinc tutiorem declarauit phlegmaticis et foeminis, quam bilioſis et ad motuum impetus procliuibus, addo ipſe, et plethoricis et ſiccioribus, FR. HOFFMANNUS (*Med. ſyſt. tom.* 4. *part.* 1. *p.* 31.). Pro doſi in puluere a granis decem ad viginti vel triginta exhiberi poterit vel in electuario cum ſyrupo quodam grato. Prae parata ſequentia etiam vſitata.

PRAEPARATA.

ESSENTIA CORTICIS CHACARILLAE *Ph. W. p.* 80 Fit ſpiritu vini. Peramara. Confert in ventricul debilitate aluique laxitate, et viſcerum tonum labe factatum reſtaurat. Guttae eius triginta ad ſexa ginta ſupraque capiuntur.

EXTRA

EXTRACTVM *Ph. W. p.* 89. Digeſtione primum ſpiritu vini facta, aqua pars reliqua efficax extrahitur, et vterque liquor iunctim ſpiſſatur. Soluitur pro re nata vino Hiſpanico, vel aqua destillata aromatica, item liquore terrae foliatae Tartari. Sicque elixir viſcerale ſtomachicum conſtituit non ſpernendum, et contra profluuia aluina aliaque recenſita mala praecipitur.

443.

Pharm. BEZETTA COERVLEA. *Succus* HELIOTROPII ſ. LACMVS ſ. TORNAE ſ. LACCA COERVLEA.

Croton tinctorium; foliis rhombeis repandis, capſulis pendulis, caule herbaceo LINN. *Spec. pl. p.* 1425. Croton tinctorium, foliis petiolatis ſubouato-rhombeis, repando-ſubdentatis, tomentoſo-byſſinis, villisque ſtellato-echinatis, obſitis; capſulis tricoccis pendulis; caule herbaceo JACQU. *Collectan. ad bot. chem. et hiſt. nat. vol.* 1. *p.* 299. Heliotropium minus tricoccum CLUS. *Hiſt. rar. plant. lib.* 4. *cap.* 31. *c. icone* egregia. Heliotropium tricoccum C. B. Ricinoides, ex qua paratur Tourneſol Gallorum NISSOLLE in *Mem.*

Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris 1712. *p.* 336. *tab.* 17. NIC. LAUR. BURM. *Fl. Ind. tab.* 62. *fig.* 1. ex GARCINI Herbario in Jaua collecto. Planta annua, in Languedocia nominatim circa Monspelium, item in Gallo-prouincia et Delphinatu ſpontanea; item in vetere Carnia, inde in maritimam vsque Dalmatiam progreſſa (JACQU.), nec non in India (BURM.).

Licet mallem, quae hacce ſectione proponenda ſunt, ad Lichenem Roccellam L. cui ad ſententiam recentiorum plurima pars pigmenti iſtius coerulei, quod LACMVS vocatur, debeatur, transferre: honos tamen quoque habendus eſt Gallis quibusdam, qui in loco natali, vbi Croton tinctorium creſcit, ſpeciem quandam huius pigmenti inde parari ex autopſia confirmant, NISSOLLIO (*l. c.*) et cl.mo MONTET (*Mem. de l'acad. d. ſc.* 1754. *p.* 687.). Hi ipſi, poſterior praecipue, ample modum per ſecula iam vſitatum in vico Gallarguës ditionis Niſmes, quatuor vel quinque leucas Monſpeliis diſtante deſcribunt. Cl. FERBER (*n. Beytr. z. Mineralgeſ. vol.* 1. *p.* 379.) officinam aliam Lunellae obuiam nouit. Nolo hic infidem conſentientem priſtinae aetatis vocem commemorare. In eo errat NISSOLLE, quod fructum

vel

el racemulos modo plantae (Gallis Maurelle) oſſe adhiberi innuat, et folia excludat. Sed tota contrario planta radice modo excepta (MONTET) dmittitur. Diſtinguendum vero iam initio eſt nter ſuccum linteis exceptum (*Tourneſol en drapeau u chiffon, Bezetta coerulea*), et ſuccum in glebas ubicas formatum (*Tourneſol en pate, en pain, en ierre, pierre bleu.*) Quod ad priorem, quo lintea mbuta proſtant, attinet, a Belgis copioſe eiusmodi intea quotannis emuntur, ſiue illa ad tingendas varias res colore coeruleo eorundem ope adhibeant, ſiue ad alterum pigmenti genus cubicae formae inde effingendum. Pro linteis colliguntur a ruſticis m. Auguſto plantae ſpontaneae ſpatio quindecim ad viginti leucarum. Recentes, nec terra conſpurcatae, tum in pultem molendino conquaſſantur, quale iſtud eſt pro oleo Oliuarum deſcriptum a cl. ASTRUC (*Mem. pour l'Hiſt. nat. de Languedoc v. 336. ſq. tab. 6. fig. 1.*). Puls dein intra ſaccum iunceum prelo ſubiicitur, vt ſuccus exprimatur, quo ipſo telas variae magnitudinis cannabinas (puto telas linteas, aeque commodas eſſe, ſed cannabinae in hac parte Galliae videntur pro veſtitu eſſe vſitatiores) rudiores et vilioris pretii iamque ad varios ſcopos adhibitas, modo non conſpurcatas

(ſiqui-

(ſiquidem tum lotione prius opus eſt), vel pinguedine inquinatas, ſollerti manuum tractatione et infuſionis adiumento imbuunt, vt eundem probe imbibant. Sic humectatae ſucco ſupra ſepes expanduntur et calore ſolis feruidi ſiccantur. Probe ſiccatae intra cupas, vrina et calce viua repletas, vaporibus ex hac miſcela ſurgentibus ſarmentis vel arundinibus ſuffultae per viginti quatuor horas vel plures dies exponuntur, probe cauendo, ne vrina humectentur, quod colorem deſtrueret. Nonnulli eius loco telas vaporibus fimetorum exponunt. Olim quoque loco calcis viuae alumen inditum. Hiſce artificiis profunde coeruleſcit ſuccus, quem tela imbibit, quae antea viridis fuit. Quo tanto melius telae tingantur, ſubinde repetitis vicibus noua portione ſucci ad normam praedictam impraegnantur. Hac ratione praeparatae ſaccis probe obtectae per mercatores in Belgium transferuntur. Color iſte coeruleus ipſi ſtirpi ineſt, prout ipſe in ſicca planta, quam ſeruo, cognoſco, vt quae in coeruleum inclinat. Vrina vel fimetum eam modo efficaciam habet, quod eundem euoluat, id quod ſub additamento calcis viuae ad vrinam tanto efficacius fit. Negotium totum tantae ſimplicitatis eſt, vt foeminis committatur.

Sed

Sed iam quaeſtio exſurgit inſignis momenti, n coeruleum, quo hae telae tinctae ſunt, vere a Belgis pro glebis iſtis cubicis vſurpentur. Arcanam ſſe artem gentis huius notum eſt: attamen ex nomentorum variorum ſcita combinatione veritas, uam celare cupis, feliciter enucleatur. Id dubio aret, quod materie colorante telae hae facile xui poſſint: ſufficit ſola aqua frigida. Hinc cl. ONNET cum tot aliis ante eum credidere Amſte-odami huic fini inſeruire et admiſceri calcem ex-inctam et lotium vel et cineres clauellatos, vt amen peculiaria experimenta ad omne dubium ollendum requirat. Tinguntur hiſce telis vina, tem bellaria piſtorum dulciariorum, cruſta caſeo-um rubicundum colorem illis debet, charta pro onis ſacchari inuoluendis coeruleum ſuum colo-em inde adipiſcitur, panni lintei quoque et nerior iſte (*Kammertuch*) coeruleſcentem nitorem x iisdem adſciſcunt.

Non ex ſola Bezetta coerulea maſſas cubicas tas parari, iam VALENTINUS (*Hiſt. ſimpl. reform.* . 152.) ſubolfecit, ſignificans addi pigmento oeruleo lotium, calcem et ſubcineream terram, erelle dictam. Hocce poſterius indicato addita-ento Lichen Parellus L. intelligitur, qui ipſe,

vt

vt recentiora praeprimis experimenta edocent, egregium coeruleum erogat. Praeſtantiorem tamen colorem ſubminiſtrat Lichen Roccella L., quae algacea ſtirps in rupibus inſularum quarundam Africanarum et Archipelagi praecipue autem Canarienſium creſcit, (de qua re infra ſuo loco pluribus). Et quoniam in officina prope Amſtelodamum, vbi Lacmus parabatur, ſagax harum rerum indagator cel. FERBER (*l. c. p.* 380.) et paſtam ex hoc Lichene paratam (Orſeille) vidit et eandem in doliis vrina emollitam imo intra ciſtas pro maiori emollitione repoſitam reperit, variaque de praeparatione ex hoc ipſo percontatione reſciuit: non licet dubitare, parando ſucco Lacmus inſeruire. Quum tamen non ſemper probitas eiusdem eadem ſit, nec valor idem: probabile, mox ex Crotone tinctorio, mox ex Parello, mox ex Roccella, forſitan et ex duobus vel tribus horum iunctim, effingi. Modus autem, quo cum Roccella fiat, hic eſt. Ciſtis quibusdam ligneis quadrangularibus Roccella vna cum vrina, aqua calcis, calce extincta et tantillo cinerum clauellatorum, immergitur. Poſt moram aliquot hebdomadum ea lichen emollitur, in ſpeciem fermentationis tranſit, vel reſoluitur, et materia colorans contenta inde extri-

extricatur. Ad putredinem arcendam maſſa ſubinde agitari debet, nec diutius conſiſtere, donec lichen euaſerit coeruleus et in pultem pulpoſam redactus fuerit, id quod aeſtate citius quam hieme fit. Hiſce factis tota miſcela in proprio molendino adhuc magis conquaſſatur et per colum ex ſetis transpellitur. Nihil tum reſtat, quam vt puls iſta craſſa modulo chalybeo vel aurichalceo, quadrato oblongo, in varios loculos diuiſo illinatur, et dein alio modulo prominentiis quadratis ſimilibus inſtructo alteri applicato in aſſerem ligneum ſubſtructum excutiatur et ſiccetur (Conf. in FERBERI libro *cit. tab. 3. fig.* 18. *e. f.*). Et haec quidem paſtarum quadrato oblongarum vendibilium origo. Pollicem circiter longitudine aequant, ſubdurae et fragiles ſunt. Saliuam violaceam reddunt ſenſumque ardoris in faucibus excitant guſtatae. Odorem Violarum prae ſe ferunt, quod forſitan ex radice Ireos Florentinae addita repetendum, ideo fortaſſis addita, vt odor vrinoſus celaretur et pondus augeretur. Poſteriori fine aliquando arena aliaeque quisquiliae admixtae ſunt.

De efficacia *Herbae* Crotonis tinctorii in gangraena et carcinomate, quae paſſim memoratur, nihil certi conſtat.

Aſt medicis ſummi momenti eſt ſuccus Heliotropii ſ. Lacmus pro exploranda ſalium natura diuerſa. Notum eſt, colorem coeruleum vegetabilium in hunc ſcopum conuenientiſſimum eſſe habitum, vt qui acidis in rubrum, alcalinis in in viridem mutari dicitur, cuius inuenti ROBERTUS BOYLE (*Experimental Hiſtory of colours Exper.* 20. 21. 25. in EIVSD. *Works vol.* 2. *p.* 53. 55.) auctor eſſe videtur. Nimis generaliter hoc eſſe pronunciatum, noſtro praeprimis tempore experimentis conſtitit; nimirum e. c. Indigo ſoluitur ſpiritu Vitrioli absque coloris mutatione, nec omnia acida aequalem vim in mutando colore habent, e. c. ſi chartae coeruleae pro conis ſacchari inuoluendis acetum non deſtillatum inſtilletur, color non mutatur, quum tamen id ex aqua forti inſtillata contingat. Et quod ad alcalina attinet, verum quidem, varios colores coeruleos inde virideſcere: aſt de ſucco Lacmus hoc non valet, cuius potius color coeruleus inde exaltatur. Quum multa merito contra vſum ſyrupi Violarum in hunc finem moneantur (Vid. *Appar. med. vol.* 1. *p.* 520. et addit. ad *vol.* 5.): ſucci Heliotropii ſaltim ad dignoſcendum acidum liberum tanto maior dignitas eſt, vtquod et minimam

minimam portiunculam acidi et debiliora acida prodit, quorſum acidum aëreum et iſtud, quod nonnulli per ſcintillam electricam ex aëre praecipitare valuerunt (quod tamen experimentum exercitatiſſimo in phyſicis periculis LICHTENBERGIO noſtro, vt ipſe indicat in ERXLEBENII *Naturlehre l.* 4. *p.* 447. non ſucceſſit), pertinet, quod quidem cl. PRIESTLEY (*Experiments and Obſerv. on different kinds of air*, *vol.* 1. *p.* 187. Cfr. *Exper. and Obſ. relating to various Branches of nat. Philoſophy p.* 284. *ſqq.*) aërem fixum eſſe arbitratur, cl. CAVENDISH (*Experiments on air Lond.* 1785. *p.* 3.) item eſſe acidum nitri demonſtrauit. Paranda ideo tinctura ex pigmento Lacmus, illud nimirum nitreo puro incluſum aquae deſtillatae immerendo. Confeſtim haec coeruleſcit, ſed lumini auerſum praebet colorem violaceum. Perit tamen rubedo inquinans aqua ſenſim adfuſa, et talis tinctura ideo experimento idonea eſt, quod acido mox rufeſcat. Oportet autem ex conſilio equitis BERGMAN (*Opuſc. phyſ. et chem. vol.* 1. 393.), qui pretium verum huic tincturae aſſignauit, ſimile fere vas vitreum ad eiusmodi experimenta adhibere, quoniam pro diametri diſcrimine nonnihil color variat; illud, quo magni

nominis iſte vir vtebatur, cylindricum erat diametri ſeptendecim linearum decimalium. Sen ſibilior eſt tinctura haec, quam charta coerulea ex eodem ſucco parata, nam aqua acido aëreo ſatur chartam hanc non rufat, quum tamen id fiat in tinctura. Attamen commodius in quibus dam caſibus vtimur charta coerulea e. c. in dilu tiſſimo acido Vitrioli, et aceto deſtillato diiudi cando. Ad dignoſcendum alcali non commod eſt haec tinctura, ſi, vt vulgo exiſtimatur, viri deſcere inde eam debere putes: ad alia reagentia vt tincturam Fernambuci vel Curcumae aquoſam potius recurras. Aſt charta coerulea aceto deſtil lato rubens ab alcali plus minus coerulei colori recuperat, et ſi alcali imbuitur, tanto ſaturatiu coeruleſcit.

Nihil addo, quam quod ſuccus Lacmu fraude aliquando floribus Violarum, coloris cauſ pro ſyrupo, ſubſtituatur, ſyrupo ſcilicet radic Ireos Florentinae ſuccum Lacmus admiſcend Quae fraus autem eo cognoſcitur, quod fictu iſte ſyrupus ſolutione alcali inſtillata non vir deſcat, vt ſolet in ſyrupo Violarum vero, ſe immutatus permaneat.

444

444.

Pharm. TILLI vel TIGLII *grana*, item GRANA TIGLIA.

PAVANAE ſ. MOLVCCENSE *Lignum.*

Croton Tiglium; foliis ouatis glabris acuminatis ferratis, caule arboreo LINN. *Spec. pl. p.* 1426. Cadel-auanucu *Hort. Malab. tom.* 2. *p.* 61. *tab.* 33. vbi rami quidem cum foliis et fructu, item quoad interna depicti, ſed absque flore. Granum Moluccum, Bŏri RUMPH. *Herb. Amboin. tom.* 4. *p.* 98. *tab.* 42. Ricinoides indica folio lucido, fructu glabro, Grana Tiglia officinis dicto BURM. *Theſ. Zeyl. p.* 200. Frutex in Malabaria, inſulis Moluccis, Zeylona, ſpontaneus.

GRANA. Horum in quolibet loculo capſulae trilocularis latet vnum, nigricans, ouatum, ſublanum angulis quatuor obſoletis, conſtans ex teſta fragili, quae epidermide albida intus cingitur, et nucleo bipartibili intus cauo. Hic oleo copiatet acri. Equidem guſtans nuclei, vt ſolet apud nos eſſe, rancidi tantillum, in lingua quidem acrimoniam non ſenſi, ſed paullo poſt in

faucibus ardorem ingratum percepi, diu inhaerentem, vix prandio exſtinguendum.

Sed tota ſtirps, potiſſimum tamen folia, valde acris, ita vt os, labia, fauces inflammatae intumeſcant et ardor vsque ad anum percipiatur. Radix granis mitior (RUMPH.). Olim grana per totam Indiam orientalem crebro in vſu fuerunt ad lympham hydropicorum per aluum praeprimis eliminandam, in iis vero, quorum ventriculus debilis, ſimul emeſis ſubſequuta. Fortioribus bina grana ſuffecerunt, aliis granum vnum cum dimidio. Quatuor granis necari maritos a malignis foeminis, RUMPHIUS ſignificat. Variis aliis in morbis, in quibus purgantia fortiora opportuna videntur, iſta in India adhibent. Necantur et piſces granis hiſce aquae iniectis. Et hanc quidem acrimoniam oleo ipſi ſeminis ineſſe, tam ex dictis, quam inde apparet, quod olei ex ſiccis granis expreſſi gutta vna cum Canarienſi vino capta, vulgare apud Chirurgos in India degentes purgans conſtituerit (RUMPH. *tom.* 4. *p.* 98. ex *Hort. Malab*). Immerito igitur cl. LEWIS (*M. m.* *p.* 481.) carpit cl.^um^ GEOFFROY, quod olei granum modo pro doſi, loco drachmae, quam conducere ille

ille putat, assignet. Officula autem in puluerem redacta et cum extracto capta iam pondere grani vnius aluum et ventriculum ad euacuationem sollicitauerunt (RUMPH.). Testa feminis tamen non caret purgante efficacia (HERM. *M. m. tom.* 1. *v.* 339.). Oleum expressum vmbilico inunctum pariter purgat (IDEM.). Inter tot acrimoniae indicia tamen absque noxa ad taeniam expellendam semen valuit, puluerís nimirum granis quatuor cum sacchari Canarienſis drachma dimidia quadrupla dosi per alternos dies vna cum lacte tepido datis et lacte quoque superbibito, si tormina et tenesmus vrgent; sic etiamsi aegra, quae experimentum subiit, deiectiones virium insignes passa fuisset, analepticis tamen commodis easdem recuperauit, taeniaque libera euasit (COHAUSEN in *Act. nat. curios. vol.* 9. *p.* 39.). Succesſit quoque quoque VOGELIO (*M. m. p.* 176.) semen in grauiori morbo pituitoso (qualem non describit) sine vllo incommodo exhibere. Exulauit illud ex hodierna praxi medica.

Lignum PAVANA, quibusdam PANAVA dicitur, raro in officinis obuium. Esse ex eadem stirpe ac semen Tiglium, post HERMANNUM (*M. m.*

vol. 1. *p.* 240.) RUMPHIO credas, cui radix lignosa est. Est lignum leue, spongiosum, pallidum, vestitum cortice cinereo saporis pungentis et caustici, odoris ingrati. Recens aquam sursum et deorsum pellit et inflammat; siccum moderatius aluum subducit, et parciori dosi sudorem mouet, ideoque in hydrope et leucophlegmatia et in aliis quibusdam chronicis opportunum censetur. Dosis, correctio et formulae, ligni huius obsoletae farinae ex HERMANNO peti possunt.

445.

Pharm. LACCA s. LACCAE *Gummi.*

Croton lacciferum; foliis ouatis tomentosis serrulatis petiolatis, calycibus tomentosis LINN. *Spec. pl. p.* 864. Ricinus aromaticus spicatus, folio Circaeae, spinis ad imum duplicatis armato, laccam in granis fundens PLUK. *Almag. p.* 320. Ricinoides aromatica arbor Circaeae foliis hirsutis, floribus spicatis maior BURM. *Thes. Zeyl. p.* 201. *tab.* 91. Halecus terrestris RUMPH. *Amb. vol.* 3. *p.* 197. *tab.* 127. cit. a LINNEO in *Syst. veg. ed.* 13. *p.* 722. sed flores paniculati non racemosi, folia integra non serrata. Arbor Indiae orientalis.

Vix

Vix vllius alius rei a natura productae hiſtoria pluribus lacunis laborauit pluribusque fuit contaminata fictionibus, quae plerumque, quando verum difficile eſt extricatu, eiusdem in locum ſuggeruntur (quaſi non praeſtaret, nihil de re quadam ſcire, quam erronea vel falſa), quam Laccae, ſiue ſtirpem, ex qua originem capiat, ſiue inſectum, quod illam inhabitet, ſiue ipſam naturam Laccae ſpectes. Iam in plerisque certiora nouimus.

LINNEUS (*Diſſ. Obſ. in Mat. med. p.* 8.) fide HERMANNI ab inſectis ex Crotone dicto colligi innuit, reſpiciens ſine dubio ad *Muſeum Zeylan. p.* 46., vbi HERMANNUS Laccam perpulchram ſe non raro ex ramulorum finibus ad foliorum ortum inde collegiſſe ſignificat. De fide remotis a patria ſtirpis non licet diſputare: dubium tamen ſupereſſe, ipſe HERMANNUS (*Mat. med. tom.* 1. *p.* 648.) non negauit, quin in Materia medica aliam nominat, ſcilicet Juiubam Indicam rotundifoliam ſpinoſam etc. BREYNII. Mirum, RUMPHIUM de Laccae origine ex Crotone omnino tacere. Non vnam vero ſtirpem, ſed plures eſſe, quae illam erogant, recentiſſime a teſte fide digniſſimo,

cl. KERR (*Phil. Tranſ. vol.* 71. *part.* 2. *p.* 376.), didicimus, vt qui Ficum religioſam L. Ficum Indicam L. Plaſonem Horti Malab. et Rhamnum Juiubam L. in extremis ramorum inſectis numeroſiſſimis, quae in Bengalia Laccae ſeſe aſſociant, obtectas vidit. Apparent hi rami inde quaſi puluere rubro obſiti, et ſucci eorum tantum diſpendium obſeruatur, vt marceſcant, nullum fructum ferant, et frondes decidant, vel in nigredinem ſpurcam vergant. Haec ipſa inſecta per aues, quarum pedibus adhaerent, dum ſeſe in ramulos iisdem foetos demittunt, in aliam arborem vicinam transferuntur. Ficus iſtae ſauciatae lacteum ſuccum fundunt, qui ilico in viſcum tenacem coagulatur, qui ſub dio indureſcens refert cellulas inſecti Laccae. Arbor Plaſo *Hort. Malab.* dicta gummi rubrum inciſione largitur, Laccae ſimile. Raro illa in Rhamno Juiuba occurrit, et inferior pretio eſt iſta reliquarum arborum. In Bengalia praecipue reperitur in montibus incultis ad vtrumque fluuii Ganges latus. Nec pro colligenda illa aliud requiritur, quam vt rami diffringantur (KERR).

Cuiusnam generis iſta inſecta ſint, diu ſcrutatores naturae latuit. Quin ipſe LINNEUS anno adhuc

adhuc 1772. (*Diſſ. ſupra cit.*) ignota ſibi eſſe querebatur. Formicas alatas vocat GARCIAS AB HORTO (in CLUS. *exot. p.* 158.), et easdem Laccam elaborare arbitratur; alii pro muſcis habuerunt. Qui ex propria indagine lectu aliquid dignum de iis reliquerunt, horum tantum non omnes modo ſiccis iis, prout in Lacca ramulis affixa apparuerunt, in ſummum aqua emollita, et microſcopio ſpectata, inhiarunt. Nec horum induſtria laude ſua defraudari debet, quum illuſtret varia, quae ſerius in patria ſtirpis cominus detecta ſunt, et alia nonnulla non notata ſuppleat, vel curatius iisdem indagandis anſam praebere poſſit. Grata itaque memoria recolenda quae circa haecce publici iuris fecerunt obſeruata cll. GEOFFROY (in *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris* 1714. *p.* 121. verſa in *Act. nat. curioſ. vol.* 3. *app. p.* 60. *ſq.*), LEDERMÜLLER (*Mikroſkop. Ergezungen p.* 60. *tab.* 30.), SWAGERMANN (in *Verhandelingen door het Genootſchap de Wetenſ. te Vliſſingen vol.* 7. *p.* 227. *c. tab.*). Horum iuncta opera conſtitit, intra alueolos ſatis regulares (GEOFFROY, LEDERMÜLLER) in Lacca reperiundos, mox ouula, mox puppas (GEOFFROY, LEDERMÜLLER), mox inſecta perfecta (SWAGERMANN) deprehendi. Demum obſeruationibus elegantiſſimis

cl.

cl. KERR (*loc. cit. p.* 374 *cum figg.* adiectis *p.* 382.), in patria ipsa factis, euincitur, esse ex genere Cocci, vnde hocce insectum Coccus Lacca ab eo appellatur. Ex eius descriptione magnitudinem exigui pediculi habet, oualis, rubra, trunco annulis duodecim transuersalibus notato; pedibus sex; antennis in duos vel tres pilos diuergentes desinentibus; cauda biseta. Nunquam illud eidem alatum comparuit (contra morem Coccorum, quorum masculi alati, foeminae apterae), et de sexu pariter nihil isti constitit; de quibus momentis ab aliis supplementum exspectamus. Ex vtero materno excussa insecta per aliquod tempus in ramis arborum deambulant, et tum medio Ianuario succosis extremis ramorum iuniorum adhaerescunt, et circumdantur liquido spisso subtransparente, quod videtur illos conglutinare cum ramo. Vlteriori eius, qui sensim fit, commeatu cellulae formantur pro quolibet Cocco, et post duos menses a primo adhaesionis initio cellulae omnino completae sunt, et insectum refert sacculum oualem, laeuem, rubrum, vitae expertem, magnitudinis Coccinellae exiguae, fine obtuso emarginatum et scatentem liquido grate rubro. Mensibus Octobri et Nouembri viginti vel triginta oua elliptica, vel potius totidem vermi-

vermiculi intra rubrum liquidum matris conſpiciuntur. Hocce liquido omnino exhauſto inſecta tenella dorſum matris perforant et ſingula aufugiunt, exuuiis relictis, quae ipſae albae iſtae membranae ſunt, quas in vacuis cellulis Laccae ramulorum videre eſt (KERR). Vnde ratio manifeſta eſt foraminulorum, quae in ſuperficie Laccae obuia ſunt.

1) Iam itaque origines iſtius Laccae cognoſcuntur, quae *Lacca in ramulis*, ſ. *baculis* (Stick Lac Anglis, Lacque en baton Gallis) vulgo dicitur. Eſt haec materies vel magis vel minus rubicunda, fere pellucida, inaequalis, nodulosa, dura, ſed friabilis, incruſtans ramulum quoad partem vel toto ambitu ad craſſitiem lineae ſupraque et latitudinem aliquot pollicum, multis foraminulis pertuſa, quae communionem cum cauernulis iſtis habent, quae in media huius materiae parte latent. Figurae GARCIAE (CLUS. *exot. p.* 159. et LEDERMÜLLERI (*l. c.*) illam probe exprimunt. Nondum tamen ex hactenus dictis liquet, vtrum materies iſta ſuccus ex ipſa ſtirpe exundans et aëre condenſatus ſit, an a Coccis aliunde collecta et ramulis agglutinata? Si verum eſſet, quod nonnulli

nulli fabulati ſunt (V. GARCIAS *l. c.*), bacillos terrae lutoſae in vicinia arborum eo fine infigi, vt inſecta materiem iſtam agglutinarent: operoſius omnino negotium iſtorum eſſet, nec abſimile iſti, quo apes perfunguntur in cera vel melle colligendo. Aſt ex hiſtoria a KERRIO ſuppeditata colligi poſſe videtur, praecedere tempore Laccae liquidae prouentum, et eo iam praeſente Coccos modo figi et nouo eiusdem vel continuato demum affluxu obuolui et recondi. Domicilium igitur haecce materies Coccorum praebet, in quo condendo autem non aliud meritum inſecta ipſa habere arbitror, quam quod particulas quasdam proprii ſucci affundant vegetabili iſti. Quamuis enim in ſiccis ramulis nulli fontes, ex quibus proruperit, in conſpectu ſint, vt monuit GEOFFROY (*l. c. p.* 122.), extenuari tamen ſenſim ſucci prouentum, et inciſione ramorum ſimilem ſuccum profluere obſeruauit KERR, quin in eo conuenientem cum altero, quod cellulas formet; vnde ne hoc quidem exiſtimo, tribui ipſis Coccis poſſe, quod volumine corporis ſui et motitatione primum impediant, ne materies in compactam maſſam concreſcat. Vereor ne ſitus alueolorum Laccae a quibusdam iuſto magis regularis deſcribatur et depingatur. — Quo profundius

undius rubra Lacca eſt, eo melior cenſetur. Pallida et perforata vilioris pretii, quippe inde Coccos ex cauernulis ſuis aufugiſſe, et colorans principium eo quoad partem deperditum, indicio eſt. Nec opaca et ſordibus inquinata eſſe debet. Et haecce Lacca ita comparet, prout natura illam producit, et ex India orientali nominatim Bengalia, Pegu, Malabaria, Sumatra, ad nos transfertur. Largus quoque eius in regni Mexicani prouinciis Cohuixchi et Tlahuichi eſt prouentus (CLAVIGERO *Storia del Meſſico p.* 66.).

2) Lacca haec, in fruſtula exigua a ramulis ſeiuncta, *Lacca in granis* (Seed Lac Anglis, Lacque en graines Gallis) dicitur. Quidam e. c. NEUMANNUS (*Chymie vol.* 2. *part.* 2. *p.* 456.) vero ſuſtinent, extractionem ſemel plerumque iam ſubiiſſe, et priuatam colorantibus particulis. Equidem in ſpeciminibus, quae coram habeo, cellulas pariter conſpicio. Tutius tamen, ſi coloris ratio habenda, ſemper eligitur Lacca in baculis.

3) Lacca vero praecedente articulo commemorata, ſi liquatur in placentas, ab Anglis Lump-lac nominatur (KERR *l. c. p.* 378.), quae tamen vox rarius in libris occurrit.

4) *Lacca*

4) *Lacca in tabulis* vel *maſſis* (Shell Lac; Lac en oreilles) eſt illa, quae maceratione in aqua particulis ſuis tingentibus orbata fuit, dein per ſacculum ſuper carbonibus retentum torquendo tranſacta, in tenuem laminam, dum mollis adhuc eſt, diducitur (Conf. KERR (*l. c.*). Lego quoque fieri ſic, quod Lacca aqua bulliente liquetur, vnde ſuperficiem petat, ex qua excepta inter plana marmorea in teneriores laminas comprimatur (BERG. *M. m. p.* 770.) — Sic refert vitrum Antimonii forma et colore. Lacca haec ore voluta dura et friabilis perſiſtit, ſed liquatur igne et ardet odore grato. Remota ab iſto iterum indureſcit, ſed minori fragilitate.

Lacca igitur ex ramulis auulſa eſt materies vegetabilis, cui per totam maſſam vel maximam eius partem particulae animales ex Cocco immixtae fuerunt. Ob haſce proxime dictas partes accenſa nidorem aliquem ſpargit. Maſticata ſaliuam colore purpureo tingit; aquae calidae colorem chermeſinum impertit cum ſedimento nigricantis pulueris: quod reliquum eſt odore ſaporeque omni deſtituitur. Ad reſinoſam naturam vel potius ceraceam (NEUMANN. *l. c.* et CARTHEUS. *plant. princ. p.* 36.)

proxime

proxime accedit, vt tamen rubedinis tantillum, quae animalis originis tota videtur esse, semper etiam in Lacca in tabulis dicta superſit. Vim variorum menſtruorum, alias valde efficacium, eludit. Nam Lacca in granis nec oleis expreſſis nec deſtillatis ſoluitur, vixque illa tingit. Acidis mineralibus pariter non ſubigitur. Nec vim ſoluendi eam habet mucilago gummi Arabici (BUCHHOLZ in *Nov. act. nat. cur. tom. 5. p. 56. Exper.* 22.), nec cereuiſia lupulata (*l. c. Exper.* 23.) — Soluitur autem fere integre oleo Tartari per deliquium (*l. c. Exp.* 24.); item ſpiritu Salis ammoniaci vinoſo (*l. c. Exp.* 25.); item ſpiritu vini etſi paullo lentius, qui ipſe inde ſaporem ſubamarum vel ſubadſtringentem obtinet cum odore grato (NEUM. *l. c.* p. 459.). Omnes et ſingulae hae ſolutiones mucilaginoſae apparent et rubro tinctae. Ad menſtrua eius quoque liquor terrae foliatae Tartari referendus (HUXHAM. *Oper. tom.* 1. *p.* 160.). Nec non ſolutio Boracis aqua facta (CARTHEUS. in *Act. Mogunt.* 1776. *p.* 56.). Adiuuat ſolutionem combinatum alcali et alcoholis vini auxilium, ſcilicet ita, vt Lacca contuſa in pulticulam oleo Tartari p. del. irroretur, aliquoties alternis vicibus aëre libero illam liquefaciendo et exſiccando,

demum alcohole vini repetitis vicibus perfundatur, donec omne ſolubile extractum fuerit (BOERH. *Chem. Proc.* 56.). Operae pretium eſſet iterare experimenta haec omnia cum Lacca in tabulis. Solutio machina Papiniana multum adiuuatur (TIEBÖL in CRELLS *Chem. Journ. P.* 6. *p.* 124.). Aperto igne deſtillata easdem fere partes ac cera ſuppeditat, quarum modo hic olei ſpiſſi ſiue butyrii vncias fere decem ex libra vna Laccae erutas memoro (NEUM. *l. c. p.* 460.). Acidum ineſſe etiam Laccae in granis, tingentibus partibus orbatae, ſunt, qui ſuſtinent (LEMERY, GEOFFROY in *Mem. de Paris cit. p.* 133.), alii negant (NEUMANN. *l. c. p.* 460.).

Non taeduit me amplioribus perſequi naturae productum, quod quidem vſu ſuo in variis artibus longe magis claruit, quam medico. Sed quum omitti nequeat ex cenſu medicamentorum, opus fuit, fulcrum argumentis medicis ſubſtruere firmius quam cui antea inaedificata fuerunt. Serico, goſſypio, lanae, egregiam rubedinem ſeu colorem coccineum impertit pars iſta Laccae, quae aqua eruitur, aliis artificiis vlterius figenda. Pigmentum iſtud olim exceptum fuit paſtis ſiccis varia

propor

proportione pro diuerſo gradu rubedinis expetito; dein nomen tranſiit in alias paſtas ſiccas vel pulueres coloratos multiplicis coloris et materiae, quorſum Lacca Florentina, Lacca in globulis, rel. Tingitur et eo corium colore rubro in Gallia, vt aemuletur iſtud Leuanticum. Pictorio vſui quoque inſeruit. Priuata pigmento ſuo vernicis genus egregium ſuppeditat. Et tum quoque cera ſigillaris pro obſignandis litteris inde parari poteſt. Phyſici magni Laccam faciunt ob inſignem vim electricam originariam, quae illi ineſt; hinc et tabulae pro electrophoris inde fiunt commodae et hae prae reliquis cognitis corporibus aptae recipiendis figuris ex puluere reſinoſo (V. cel. LICHTENBERG in *Comment. ſoc. ſcient. Gott.* 1778. *p.* 66.).

Non probabile, Laccam ſolui a noſtris humoribus poſſe.

Ex variis PRAEPARATIS, quae olim pharmaceuticum apparatum auxerunt, vt *Lacca lota*, *Trochiſci de Lacca*, *Species Dialaccae*, hodie vnum modo ſupereſt:

TINCTVRA LACCAE *Ph. W.* *p.* 226. ex Lacca in baculis, Alumine crudo et aquis quibusdam deſtillatis. *Ph. Edinburgenſis* vetuſtior *ed. Brem. p.* 43.

tincturam parat compendiosiorem spiritu Cochlearíae. In laxitate, cruentatione et putridis scorbuticisque vlceribus gingiuarum, confert illam extus penicillo vel linteo carpto applicare. — Aliam tincturam ex alcali et spiritu vini (V. supra), in arthritide, rheumatismo, affectionibus hydropicis et fluore albo, ob amarorem et adstringendi vim depraedicauit BOERHAAVIUS (*Chem. Proceff.* 56. *ad finem.*).

IATROPHA.

LINN. *Syst. veg. p.* 723. *Gen. pl. p.* 503.

446.

Pharm. RICINI MAIORIS *Semen*, item NVX CATHARTICA AMERICANA s. NVX BARBADENSIS.

Iatropha Curcas; foliis cordatis angulatis LINN. *Spec. pl. p.* 1429. Iatropha assurgens, Ficus folio, flore herbaceo BROWNE *nat. Hist. of Jam. p.* 348. Munduy-guaçu PISO *Ind. vtriusque re. nat. et med. p.* 179. c. icone. The Physic-nut tree, Ricinoides HUGHES *nat. Hist. of Barbados p.* 115. Arbor humilior Americae calidioris vt nouae Hispaniae, Galliae aequinoctialis Iamaicae, Barbados.

Arbor

Arbor ex venenato genere eſt. SEMINA tamen eius olim a medicis vſurpata fuerunt, hodie extra patriam omnino ſpreta, tantoque iuſtius, quum nonniſi rancida et inertia in noſtris officinis proſtent. Latent horum tria oblonga in quolibet fructu, qui capſula tricocca eſt, Iuglandem minorem magnitudine aequans. Intra corticem nigrum fragilem ſeminis continetur nucleus amygdalinae naturae, qui bipartibilis eſt, et intra cotyledones foliola primordialia luculenter manifeſtat. Iudicium de effectu in corpore noſtro valde variat. Ita nuclei tres vel quatuor manducati mox ſurſum et deorſum crudos humores magna violentia euacuare dicuntur (PISO). Et ob hanc quidem vehementiam in Iamaica ſemina parum modo hodie ingeruntur (BROWNE). Alii rurſus absque noxa nucleum edi poſſe nec Amygdalis cedere gratia et innoxia vi teſtantur (HUGHES; BANCROFT *nat. Hiſt. of Guiana p.* 35.). Sub hoc diſſenſu pronum eſt coniicere, conditiones ſubeſſe aliquando peculiares, quae effectum mutent. Foliola iſta duo, quae intra cotyledones ſeminum deliteſcunt, quidam accuſant (e. c. BANCROFT, haud ſine omni veri ſpecie, quum ſtirps lacteſcens ſit): aſt contraria ſunt experimenta cl. HUGHES et aliorum,

quos citat, nam effectus idem, siue adfuerint, nec ne. Auferre tamen iubet cl. BANCROFT hasce partes, si innoxie et absque emeseos et purgationis metu edantur. An modo copia infesta sunt? Certe in Anglia in viro superioris ordinis ex viginti circiter seminibus (of the Ricinoides or Castornut of Barbados), praegressa masticatione ingestis, euacuationes vehementes tam sursum quam deorsum subsequutae, et post virium perfectum dispendium et spasticas affectiones mors, etiamsi varia commoda remedia tempestiue in vsum tracta fuerant (PERCIVAL in *medical Transactions*, *vol.* 3. *p.* 96.).

Qui mitius de seminibus hisce sentiunt, largiuntur tamen, oleum vnguinosum erogare purgans; *oleum Cicinum* dicunt, quod nomen antiquitus cognitum alii ad Ricinum communem referunt. Coctione contusi seminis cum aqua eruitur. Hoc ipsum in hydrope, colica, ileo, arthritide, vermium affectionibus, ore captum depraedicat MONARDES (CLUS. *exotic. tom.* 1. *p.* 299.); item inunctum vel instillatum in contracturis artuum, obstructionibus viscerum, aurium doloribus, surditate, vitiis variis cutis aliisque morbis. Purgandi efficaciam exserit, siue ore capiatur, siue abdo-

abdomini inungatur, ſiue in clyſmate admittatur. MONARDES, qui guttatim hoc oleum ingerendum curat, timidior eſt aliis, qui cochleare eius integrum ad intumeſcentias hydropicas per aluum diſpellendas ingerere haud dubitant (HUGHES).

447.

Pharm. RESINA ELASTICA ſ. GVMMI ELASTICVM ſ. CAVTCHVC vel vt Galli ſcribunt CAOVTCHOVC ſ. RESINA CAYENNENSIS.

Iatropha? elaſtica; foliis ternatis ellipticis integerrimis ſubtus canis longe petiolatis LINN. *Suppl. pl. p.* 422. Ad Iatrophae genus ob fructum iuncto nomine triuiali et differentia ſpecifica dicta refertur a LINNEO iun. (*l. c.*), etiamſi haud ſine omni dubio. Hevea guianenſis AUBLETI *Hiſtoire des plantes de la Guiane Françoiſe tom.* 2. *p.* 871. vel, vt in *tab.* 335. vocatur, Hevea peruuiana. Vterque tamen florem eiusdem non examinaſſe fatetur; locus igitur in AUBLETI opere ſecundum ſyſtema ſexuale, ſcilicet Monoecia Dodecandria, illi ab adiutore B. JUSSIEU aſſignatus videtur. An eadem arbor

Caoutchouc, cuius florem deſcribit ex obſeruationibus Cayennae factis cl. RICHARD in ROZIER *Obſ. ſur la phyſique tom.* 27. *p.* 138. *tab.* 2. et quibus ſuffultus eam refert ad Monoeciam Monadelphiam? Conuenit eius icon cum Aubletiana quoad folia, et deſcriptio fructus, inflorescentia autem non eſt ſpicata, ſed potius duplicate racemoſa, et in maribus modo antheras quinque numerat. Diſcrepant flores in multis a charactere generis Iatrophae a LINNEO (*Gen. pl. p.* 503.) concinnato. Iconem mancam et erroneam ſtirpis et foliorum fructusque antea dederat FRESNAU in *Mem. de l'ac. d. ſc. a.* 1751. *tab.* 20. Heve dicitur ab incolis prouinciae Eſmeraldas, Cautſchuc ab incolis Mainas, Pao xiringa ſ. Seringa a Luſitanis ditionis Para, Bois de Seringue ou le Seringat a Gallis. Eſt arbor procera 50 ad 60 pedum, craſſa pedes duos et dimidium, creſcens in variis regionibus Americae auſtralis e. c. in ſyluis Guianae, prouinciae Quito, ad fluuium Amazonum in regno Mexicano.

Sic igitur cognita eſt arbor, ex qua, in Guiana Americes certiſſime, celebris iſta Reſina elaſtica elicitur.

elicitur. Dum arbori adhuc ineſt, vel nouiſſime emerſit, ſuccum lacteum refert. Hic vt eruatur, poſtquam truncus arboris lotus fuerit, adunco ferro inciſiones in cortice trunci prope baſin transuerſim ſed oblique ad lignum vsque fiunt, vna ſupra alteram (FRESNAU *l. c. tab.* 20. *fig.* 15.); vel, ſi eius larga copia colligenda, ad baſin trunci plaga profunda inciditur et alia a ſumma eiusdem parte ad plagam iſtam vsque progrediens et per interualla iterum alia lateralia et obliqua. Per haecce vulnera lac in vas ſuppoſitum infimae plagae defluit (AUBLET *l. c. p.* 873.). Deriuatur ſuccus in vas ſuppoſitum, quod ſubinde in cucurbita dimidiata conſiſtit, per folium largius concauum argilla ſuffultum, vel canalem, cui, vbi deſinit, praefigitur folium (FRESNAU. DE LA BORDE in ROZIER *Obſerv. et Mem. ſur la Phyſique tom.* 1. *p.* 462 *ſq.*). Tum ſenſim ſponte aëris contactu ſpiſſeſcit in reſinam mollem rubicundam et elaſticam (AUBLET *l. c. p.* 873.). Quod cl. DE LA BORDE (*l. c. p.* 464.) narrat, Indos arcano quodam modo eundem praeparare, antequam ſicceſcat, non confirmatur ab aliis, ſine quo artificio ceram modo referre duritie et liquefactione per calorem innuit.

Transfertur ad nos variis formis, ampullarum mox maiorum mox minorum arundine clauſarum, auium, quadrupedum, vtenſilium variorum, globulorum etc. quibus ductus varii in ſuperficie impreſſi ſunt. Nimirum, dum adhuc fluidus eſt, illinitur modulis ex argilla non cocta, vel et cocta, factis per ſtrata, quorum quodlibet, antequam nouum ſuccedat, ſiccari debet fumo denſo vel igne, donec digito non amplius adhaereat. Quo plura ſtrata ſibimet inuicem ſuperdata fuerint, eo ſolidius fit corpus et, antequam vltimum plane ſiccum euaſerit, ope ferri vel ligni varie ſecti ductibus vel impreſſionibus multiplicis generis in ſuperficie ornamenti cauſa diſtinguitur. Modulus tum aqua emollitus facile eluitur, vel, ſi ex argilla cocta factus fuerit, fractus in exigua fruſta eximitur. Globulorum, quorum aliquot diametri pollicum duorum praeſto ſunt, alia ratio eſt; hi enim diſſecti ex laminis eiusdem materiae, ſed albidis, conuolutis et interſtitiis variis hinc inde relictis, conflari, et lamina craſſiori cingi cernuntur.

Aſt non diffitendum, praeter iſtam arborem alias eſſe, quae fundant ſimilem reſinam. Cl. FRESNAU

FRESNAU (*l. c. p.* 324.), vir militaris, qui quatuordecim annos Cayennae vitam traxerat, iam varias memorat, licet botanica ſcientia deſtitutus determinare eas exacte non valeret, quorſum Ficus quaedam (Figuier ſauvage, Luſitanis Comacai), arbor Couma Luſitanis dicta, arbor Pao comprido Luſitanorum. LINNEUS pater (*Mant. pl.* 2. *p.* 499.) ex deſcriptione ill. DE LA CONDAMINE coniecit, eſſe ex Cecropia peltata; nec contrarius eſt filius, Ficum Indicam aliasque non ab eo recenſitas in libro (*Suppl. pl. l. c.*) addens; an forſitan intellexit inter eas, quas ſilentio praeterit, Ficum Benghalenſem, Iatropham vrentem, quas coram fratri ADOLPHO MURRAY a. 1780. ſignificauit?

Docent quoque quaedam experimenta, ſimilem fere reſinam miſcela lactei ſucci variarum arborum Americanarum emergere (FRESNAU *p.* 324. *ſq.*).

Quod ex coniectura primum conceptum (DELIUS in *Adverſ. phyſ. med. Faſc.* 2. *p.* 11.), ex noſtratibus plantis lactescentibus ſimilem materiem obtineri poſſe cultura, ſtudio, tempore, hoc experimentis, etſi non omnino abſolutis, robur quoddam nuperius obtinuit. Gluten ſcilicet, quod

quod ad radicem Chondrillae iunceae ſeſe accumulat, et cuius vſus fit in Gallo-Prouincia, adl Americanam reſinam proxime accedit. Idem valet de ſucco variarum Euphorbiarum, Apocynorum, Ficus vulgaris (FAUJAS DE SAINT-FOND, *premiere Suite de la deſcription des experiences aëroſtatiques tom. 2. p. 262.*). Quod ad Euphorbias nominatim attinet, ſuccus lacteus ſpeciei cuiusdam non indicatae niſi ſub nomine Tytimale (quod falſo video verſum Milk thiſtle in *monthly Review vol. 46. p. 690.*) ſiccatus refert reſinam hanc etiam in eo, quod gradum aliquem elaſticitatis habeat (MACQUER in *Mem. de l'ac. d. ſc. 1768. p. 214.*). — Gluten quoque ex Viſco albo erutum natura ſua in plerisque cum reſina elaſtica conuenit, vt adeo ſpes ſit, quod olim iisdem vſibus inſeruiturum ſit (Vid. experimenta cl. TIELEBEIN in CRELLII *neueſt. Entdeck. in d. Chemie P. 7. p. 58. ſqq.* et FAUJAS DE SAINT-FOND *l. c. p. 260.*).

Dubio quoque caret, arte poſſe aemulam materiem produci. Eius originis corpora iſta multangularia ſolida habentur, quae ex China, nomine *Reſinae elaſticae Chinenſis*, variis coloribus picta transferuntur, quae ipſa ſecundum iudicium cl.

cl. LIND ex oleo Ricini et calce parant (FAUJAS *l. c. p.* 258.). Alibi reſinam elaſticam Chinenſem nihil eſſe, niſi oleum quoddam expreſſum calore euaporatum, declaratur (RETZII *Prolegom. in Pharm. regni veget. p.* 60.). Catheteres flexiles acutiſſimi phyſici cl. PICKEL, de quibus infra pluribus, nouum eius rei exemplum praebent.

Elucet inde, quanta cautione in diiudicanda reſina elaſtica venali opus ſit, ne ſpeciminibus peruerſae naturae imponi nobis ſub experimentis patiamur. Colore profunde bruno, fere nigro, plerumque quidem occurrit; ſed ipſe iam coram habeo globum elaſticum inſtar Succini clarum flauumque diametri circiter $\frac{2}{3}$ pollicis medio canali pertuſum, de quo non dixerim, vtrum ſit modo vulgaris iſta reſina colore obſcuro priuata (quod arte in teſtis teſtudinum fieri poſſe notiſſimum), an artificiale omnino productum. Eiusmodi reſinam elaſticam ſuccinei coloris et pelluciditatis deſcribit quoque cl. THOREY (CRELLS *chem. Journ. P.* 2. *p.* 108.), qui fiſſuras facile agere illam animaduertit, quin dehiſcere repetitis iactitationibus in pauimentum vidit. Occurrit et ſpecies coerulea et rubra, quae coloratae arte eſſe videntur

videntur (Cfr. BERNIARD in ROZIER *Obſerv. ſur la Phyſique tom.* 17. *p.* 280.). Nigra reliquis omnibus longe magis elaſtica eſt.

Genuina reſina elaſtica iam adoleſcente hocce ſeculo nonniſi in collectionibus rerum naturalium inſtar cimelii ſeruabatur, nec de origine eius aliquid veri conſtabat, donec ill. DE LA CONDAMINE per Americam auſtralem peregrinans ex notitia, quam in itinere ad ripas fluuii Amazonum et Prouinciae Smaragdinae acquiſiuerat, de illa ad Academiam ſcientiarum Pariſienſem a. 1736. referret, iunctis aliquot ſucci huius cylindris, et ſerius a. 1745 (*Relation d'un voyage dans l'interieur de l'Amerique meridionale* recuſ. in *Mem. de l'ac. de ſc. de Paris p.* 430.). Idem poſtea a. 1751. (*Memoires de l'ac.* 1751. *p.* 322.) quaedam experimenta ad eius naturam ſpectantia adiecit. Arborem determinare, et naturam eius vſumque varium multiplici experimentorum ſerie expiſcari, ſerioribus annis relictum fuit. Quae quod praeſtari potuerint, peregrinationibus nuperioribus et vberiori reſinae huius per Luſitanos transmiſſioni debemus. Liſbonae in tabernis nomine Boracho ſub variis ſingularibus figuris venditur. (TWISS's *Travels through Portugal and Spain p.* 323.).

Memo-

Memorabilis eius elaſticitas, qua, licet longe vltra naturale volumen diſtendi ſe paſſa fuerit, ad priſtinum tamen reſilit, Europaeorum attentionem mox initio ad ſe conuertit. In re tam inſolita non mirum, aliquos peregrinatores incredibilia quaedam narrationi de hoc phaenomeno attexuiſſe, e. c. annulum exinde formatum potuiſſe expandi in amplitudinem armillaris, collaris, quin cinguli, vel globum eius ex alto loco cadentem vltra diſtantiam eius a pauimento reſilire. Fruſtula vero in formam parallelopipedam redacta, et ad extrema inter aſſerculos cochleis firmata, ponderibus appenſis ad duplum quin vltra triplum longitudinis ſuae extendi potuerunt (JULIAANS *Diſſ. de Reſina elaſtica Cayennenſi p.* 18. Cfr. ACHARDS *chymiſch phyſ. Schriften cap. de Reſina elaſtica p.* 212. Quod recuſum eſt ex *Beſchäft. d. Berl. naturf. Freunde vol.* 3. *p.* 356. *ſqq.*) et ampullula, cui aër vi inflatur, extenuatur in chartae tenuitatem et pellucida inſtar velicae euadit, demum fragore inſigni crepat (ACHARD *l. c.*). Sed caloris in hiſce experimentis ratio habenda eſt.

In temperie aëris, modice calida, flexilis et expanſilis deprehenditur, frigore autem indureſcit, et

et renititur motus potentiae coloremque ex nigro in cinereum mutat; quin frigore glaciali fragilitatis aliquem gradum adipiſcitur (JULIAANS *l. c. p.* 25.). Aquae iniecta innatat, nec ea ſubmergitur, quod non ſolum de cauis corporibus ex inde paratis, ſed et de ſegmentis et globis, expertus ſum. Flammae ignis admota mox ardet luce clara et flaua, quodi vſui pro facibus primam anſam dedit, fumo nigro, odore fere nullo. Lente tamen deflagrat ſimulque guttae defluunt. Sub gr. 100. Reaumuriano quoque liquatur in maſſam vnctuoſam brunam, quae nec frigore in nouum coagulum redigi poteſt (ACHARD *l. c. p.* 213.), et variis praeterea aliis notis a ſucco elaſtico ſeſe diſtinguit (JULIAANS *l. c. p.* 27. *Exp.* 4.). Deſtillatione ſicca reſinae in fruſtula minora diſciſſae, lento igne peracta, obtinetur phlegma ſubalcalinum, oleum fluidiſſimum, flauo rubicundum, ſpiritus alcalinus volatilis fuſcus, oleum ſpiſſum, ſpiritus ſubflaueſcens alteri naturae ſimilis ſed debilior, remanente carbone nigro (JULIAANS *Diſſ. p.* 28 *ſqq.* Cfr. ACHARD *Exp.* 2. BERNIARD in ROZIER *Obſervations ſur la Phyſ. tom.* 17. *p.* 281. *Exp.* 23.).

Maxime vero interfuit, tam ad ſucci huius naturam explorandam, quam ad eundem in varia

commoda

commoda conuertendum tentare, quibusnam menſtruis ſolui poſſet, qua in re praecipue opera cll^rum MACQUER, ACHARD, JULIAANS, BERNIARD, multum deſudauit, cuius proxime dicti experimenta tum modo citabo, quando ab iſtis aliorum diſcrepant. De omnibus hiſce diſſerere huius loci non eſt: praecipua autem recenſere iuuat. Et hiſce quidem tentaminibus conſtitit, quaedam in alia etſi corpora efficacia, in hunc nullam vim exſerere; alia ſubigere quidem illum, ſed ſimul deſtruere elaſticam eius indolem; alia demum non ſoluere modo eum, ſed ſolutione exſiccata priſtinam eius integritatem reſtitui. Et haecce effectus diuerſitas mihi pro filo in experimentis enucleandis erit. In vniuerſum ſciendum, quaedam nonniſi ignis protractioris, quin coctionis ſubinde, ope ſoluendi ſuam vim exſeruiſſe, qui tamen caloris gradus multis aliis exemplis iners fuit. Patebit ex dicendis manifeſtius, neque gummi neque reſinae nomen commode illi impertiri, ſed eſſe materiem proprii ſui generis ab omnibus reliquis ſuccis vegetabilibus diuerſam.

Non ſoluit hunc ſuccum aqua, nec in coctionem vsque incaleſcens; nec in olla Papini tractatus aliam mutationem ſubit, quam quod frigefactus

durior et contractior appareat (MACQUER in *Hiſt. de l'ac. d. ſc. d. Paris* 1768. *p.* 59.). In ebulliente aqua retentus tamen griſeus euadit et craſſitie augetur (JULIAANS *p.* 26.).

Parem impotentiam habet alcohol vini, ſiue digeſtio per plures hebdomades continuata (JULIAANS *l. c. p.* 47.), ſiue machina Papiniana (MACQUER), in auxilium ſumatur. Acetum vel concentratiſſimum duritiem potius auget et vim extenſilem diminuit (JULIAANS *l. c. p.* 44.). Sal ſedatiuum Hombergii fruſtra tentatur. Iners quoque in ſoluendo hocce ſucco alcali fixum eſt (*l. c. p.* 44. ACHARD *l. c. p.* 221. *Exp.* 19.). Item alcali volatile (*l. c. p.* 45. ACHARD *l. c. Exp.* 221.). Nec plus virium ineſt ſalibus neutris, ſiue perfectis ſiue imperfectis (JUL. *l. c. p.* 46.). Nihil ſoluit ſapo, nec mel (*l. c. p.* 45.). Nullum plane effectum exſerere in reſinam hanc oleum animale Dippelii, queritur cl. ACHARD (*chym. phyſ. Schriften p.* 224. Conf. JULIAANS *p.* 55. *Exp.* 48.), ſed cl. MACQUER (*Mem. de l'ac. d. ſc.* 1763. *p.* 50.) inde emollirii eandem ita expertus eſt, vt intra digitos poſſet in varias formas elaborari, attamen reſumere priſtinum robur fumo fuliginis vel foeni admotam. —

Haec

Haec modo dicta etſi ſolutionem praeſtare non potuerunt, pluribus exemplis tamen reſinae colorem conciliarunt cinereum, variegatum, fuſcum, duritie priſtina eum exuerunt, extenſilitatem minuerunt, tincturam quoque magis vel minus conſpicuam aſciuerunt.

Sequantur iam menſtrua, quae ſoluere quidem reſinam elaſticam valent, ſed in quibus, ſi poſtea menſtruum exhalationi committitur, reſiduum elaſticam ſuam naturam perdidiſſe deprehenditur. Horum e numero eſt acidum vitriolicum concentratum, quod ſoluit reſinam tam cum igne, quam ſine illo (JULIAANS *Diſſ. p.* 35. ACHARD *p.* 217. *Exp.* 10.); acidum nitri fumans (JUL. *l. c. p.* 37. ACHARD *p.* 218. *Exp.* 13.); acidum ſalis, quod tamen ex vno experimento pauxillum modo ſoluit (JUL. *l. c. p.* 42.), ex alio nihil (ACHARD *Exp.* 11.). Inflammatio quoque commemoranda eſt, quae incidit, quando reſina ſpiritu nitri fumante ſoluta, aqua praecipitatur. Deiecta ſcilicet maſſa ad punctum ebullitionis calefacta flammam confeſtim capit; et ſpiritu vini omnibusque acidis et alcalinis ſolubilis euadit (ACHARD *p.* 219. *Exp.* 15.). Inflammatur quoque reſina liquata et ſpiritu nitri

fumante perfusa, intra pauca temporis minuta prima (ID. *Exp.* 16.) — Oleorum vngúinosorum vis soluendi nonnisi caloris ope sese manifestat, nec omnia eiusdem potentiae sunt. Eminet oleum Amygdalarum, Oliuarum, Lini, Ouorum (JULIAANS *p.* 51.). De oleo Lini negat vnus (ACHARD *p.* 225.), item de oleo Papaueris, quo tamen aliquam solutionem fieri obseruauit alter (JULIAANS *p.* 51.). Singulare, hac efficacia destitui omnino oleum Ricini (ID. *p.* 52.), et oleum Nucum valde parum modo soluere (ACHARD *p.* 225.). Soluitur et cera liquata et ad punctum ebullitionis vsque calefacta (BERNIARD *l. c. p.* 280.). — Inter olea destillata multa eam soluunt e. c. Oleum Carui, Rorismarini, Nucis moschatae, Angelicae, Foeniculi, Florum Naphae, Melissae (ACH. *p.* 223.). Non sine digestione paullo diutius continuata soluit oleum Anisi (JULIAANS *p.* 53.). Antistat reliquis oleum Chamomillae, quod facillime celerrime et maxima quantitate resinam soluit, et oleum Terebinthinae, quod haecce perpetrat sine digestione adeo (ACHARD *l. c. p.* 223.). Oleum Caryophyllorum eius nihil, Cinnamomi (ACHARD *l. c.*) pauxillum modo soluit. — Ex censu oleorum empyreumaticorum soluunt eam oleum Cerae, Succini

Succini rectificatum (ID. *p.* 222. 224. JULIAANS *p.* 54.). Sed oleum Tartari modo quoad exiguam partem. Soluitur et Petroleo (JUL. *p.* 55.). — Addo modo Camphoram ſpiritu vini ſolutam ſubigere reſinam, ſed ſimul elaſticitatem eius omnino deſtruere (MACQUER *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris* 1768. *p.* 212.).

Longe vero maioris momenti eſt, ea menſtrua noſſe, quae reſinam quidem hanc ſoluunt, ſed non eam ita perdunt, quin reſuſcitari natura eius priſtina elaſtica poſſet, quippe quum hiſce detectis pro lubitu et pro varia indigentia in commodas formas redigi poſſit. MACQUERO debemus, quod omnium primus in Aethere ſiue naphtha Vitrioli hanc dotem detexerit (*Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris* 1768. *p.* 214.). Debet vero eſſe rite rectificata. Huius debita portio infunditur, intra phialam vel ampullam, reſinae elaſticae in fruſtula exigua conciſae, et epiſtomio vas clauditur: ſic absque caloris adiumento, ſola agitatione ſubinde facta intra decem vel duodecim horas reſina intumeſcit, aether colorem flauidum adipiſcitur et ſolutionem praeſtat pellucidam, naphtha pura craſſiorem, quae inſtillata corpori ſolido paullo poſt illud cruſta elaſtica obducit, item aquae inſtillata, illico eam cuticula

inſtruit ſolida, flexili, elaſtica, extenſionis notabilis capace (MACQUER). Succeſſit idem experimentum etiam aliis e. c. cl^mo THEDEN (*N. Bemerk. a. d. Wundarzneyk. P. 2. p. 152.*), qui modum Naphtham deſtillandi ample deſcribit); vt igitur obiectio cl^mi FAUJAS DE ST. FOND (*Prem. Suite des experiences aëroſtatiques, tom. 2. p. 264.*), neminem praeter MACQUERUM aetheris vitriolici ope potuiſſe ſubigere reſinam, item anonymi Galli, qui initiales modo litteras nominis ſignificauit (in *Journ. de Medec. tom. 55. p. 174.* Cfr. BERNIARD in ROZIER. *Obſerv. ſur la Phyſ. p. 17. p. 275.*) vana ſit: concentrato ſcilicet opus eſt. Nonniſi reſinae drachmae vna a naphthae huius vncia vna ſolui perfecte poteſt (THEDEN *l. c. p. 149.*). Naphthae ſalis eadem vis competit, vt ſerius edocti ſumus (ACHARD *l. c. p. 221. Exp. 22.*). Naphtha nitri vero pauxillum modo eius ſoluit, ſed deſtructa ſimul extenſili et elaſtica natura (JULIAANS *Diſſ. p. 49.* ACHARD *l. c. p. 222.*) — Praeter iſtas naphthas, oleum Guaiaci digeſtione fortiori non ſolum copiam reſinae elaſticae ſoluit, ſed, oleo hocce euaporatione abacto, reſina remanens aëri expoſita poſt aliquod tempus recuperat firmitatem ſuam et elaſticam indolem (ACH. *l. c. p. 225.*).

Clariſſimi

Clariſſimi ACHARD indagine, cui hoc inuentum debemus, etiam comperimus (*l. c. p.* 224.), ſolutiones per olea aetherea factas ſpiritu vini affuſo decomponi, quippe qui ſeſe combinat cum oleis eaque cogit, vt connubium cum reſina dimittant; haec tum ab oleo ſeparata forma mucilaginis vel magis vel minus firmae comparet, quae poſtea libero aëre retenta in priſtinum reſinae robur et elaſticitatem redit. Haecce encheireſis pro inſtrumentis variis parandis ob minus pretium praerogatiuam haberet prae iſta cum aethere vitriolico. Sed dolendum acutiſſimo in hoc argumento obſeruatori JULIAANS non ſucceſſiſſe, arte cl^mi ACHARD reſinae ſolutae ſiccam et elaſticam naturam reſtituere. — In memoriam quoque hoc loco reuocanda, quae ſupra dixi de vi olei animalis DIPPELII emolliendi reſinam ita, vt in placitas formas digitis fingi poſſit; quem eundem effectum et exſerit oleum Terebinthinae ſuper calce rectificatum (*Hiſt. de l'ac. d. ſc. de Paris* 1763. *p.* 50.). Quin vapores horum liquorum, alluentes reſinam intra vitrum clauſum, hoc praeſtant. Imo et vapores Camphorae (*l. c.*).

Non ad finem noſtrum pertinet, experimentis cum reſina elaſtica flaua inſtitutis diutius inhaerere,

aliunde petendis (V. de hiſce THOREY in CRELLS *Journal l. c.*), quum ad vſus medicos non faciant.

Hoſce de altera hactenus dicta priusquam perſequar, praemittam quaedam de commodis, quae in oeconomicos varios ſcopos et artes inde redundant. Semina Heveae nucleum includunt, ſapore gratum, Auellanae aemulum, et in patria ſtirpis vſitatum nec vllo modo noxium (AUBLET). Sed redeundum ad reſinae conſiderationem. Diu iam cognitae fuerunt faces, inde absque ellychnio paratae, quarum longitudo aequat duos pedes latitudo pollicem ſeſquialterum ad duos, folio Muſae cuiusdam inuolutae, vt commode teneri poſſint. Officio ſuo ſingulae per 24 horas pares ſunt (DE LA CONDAMINE in *Mem. de l'acad. d. ſc. de Paris* 1751. *p.* 320.). Viuida luce ardent et in patria reſinae ab incolis crebro vſurpantur, prout ipſe ill. DE LA CONDAMINE iis in itinere ſuo per varios Americae auſtralis tractus vſus fuit. Syringae inſtar Americanis inſeruiunt ampullae pyriformes, quarum collo canalis affigitur, vnde et nomen Luſitanicum Pao de Xiringa, Gallicum Bois de Seringue, nam compreſſa ampulla vi excutitur aqua vel quicquid liquidi infuſum fuerit (*l. c. p.* 321. Cfr. et *Memoires de l'ac. d. ſc.* 1745. *p.* 430.

p. 430.). Quoniam aquam non tranſmittit: veſtitus varia genera in loco natali inde effinguntur, tum praecipue vtilia, quando pluuiae, niui, vel itineribus per aquoſa loca vacandum eſt, pallia nimirum ex linteo, cui inungitur reſina, dum adhuc liquida eſt, pilei, calcei, ochreae, vmbellae (DE LA CONDAMINE; DE LA BORDE; CLAVIGERO *Storia del Meſſico tom.* 1. *p.* 67.). Liquida bene multa commode ſeruantur et transferuntur ampullis ex hac reſina, nec metus ſubeſt, ne, inſtar vitri, frangantur. Nec minimum emolumentum hoc eſt, quod affricta litteras aliosque ductus, molybdaena in charta vel tabulis laeuigatis ſcriptoriis factos, absque vlla macula relicta deleat, quo artificio munditiei et commoditati in figuris delineandis praeſertim conſulitur. Vernicis loco ſoluta placuit celebri per auram nauigatori, ROBERTO, pro obliniendis machinis aëroſtaticis, etſi queritur cl. FAUJAS DE SAINT-FOND (*Deſcript. des experiences aëroſtatiques p.* 193.), quod non probe ficceſcat, formulam tamen ſolutionis ſuppeditans (*l. c. p.* 194.). Taceo pilas, quae etſi ponderoſae ludi cauſa per aëra in America iactantur, et lucrum, quod gentes iſtae ex multiplicibus formis fructuum, animantium, vtenſilium rel., in quas effingitur, quaſi ex merci-

bus, trahunt. — Dedecet vero nominare ſcopos obſcoenos, qui vtrumque ſexum reſpexerunt (Vid. TWISS's *Travels through Portugal and Spain p. 323. not.*)

Enumerare iam oportet varia inſtrumenta et lora, quibus in vſum praecipue chirurgicum parandis reſina opportuna eſt. Et ad haecce illam commendabilem reddit mollis flexilitas et elaſtica natura cum robore coniuncta, vnde ad omnes corporis noſtri formas et flexiones ſe accommodat ſimulque preſſionem neceſſariam exercet. Verum nonniſi rarioribus caſibus hae virtutes in vſum trahi poſſent, niſi menſtruorum corporis noſtri vim vel omnino vel per ſatis longum temporis ſpatium eluderet (qua de re infra enucleatius), et niſi ars ſuppeteret ſoluendi reſinam, ſolutamque ad varias neceſſitates rurſus compingendi. Nam raro eiusmodi auxilia chirurgica ex ipſis regionibus Americanis obtinere contingit, ſi ampullas excipias, quae, paucis adiumentis accedentibus, ad plures eximias adminiſtrationes aptae reddi poſſunt. Plerumque hactenus acquieſcere oportuit inſtrumentis, quae ſolutione reſinae in aethere vitriolico concentrato, ſuaſore MACQUERO, parantur. Nam, quantum equidem ſcio, hactenus oleum

DIPPELII

DIPPELII vel oleum Terebinthinae, quae ad cereos vel ſpecilla conficienda HERISSANT commendauerat (*Hiſt. de l'acad. d. ſc. de Paris* 1763. *p.* 51.), ſerio non adhibitum eſt, nec methodus alia ſolutionis a cl^mo ACHARD commendata in vſum tracta (Vid. ſupra *p.* 182 *ſq.*). MACQUERUS (*Mem. cit.* 1768. *p.* 217.) ipſe quidem tentauit ſua arte tubos in varios fines inde effingere, et vt modulum, cui illineret ſolutam reſinam, haberet, ceram elegit, quam ipſam aqua feruida dein eliquauit: ſed ipſe confeſſus eſt, non aequalem ſic obtineri ſuperficiem et craſſitiem eandem. Nimis praeterea mollis eſt eiusmodi tubus, quam vt intrudi per canalem longum poſſet, e. c. per vrethram virilem in veſicam vrinariam, in qua inſuper glandulae et ſphincter veſicae remoram faciunt, et compreſſioni externae reſiſtere. Hiſce vitiis tollendis operam primum dedit cl. THEDEN (*Sendſchreiben üb. d. neuerfundenen Catheter*, *Berlin* 1777. Cfr. commentatio, in qua iſta epiſtola, tempore prior, recuſa exſtat in EIVSD. *Neue Bemerk. u. Erfahrungen in d. Wundarzneyk.* *p.* 150. *ſqq.*) in catheteribus ſuis variae pro aetate et ſexu amplitudinis, quos ſenſim perfectiores reddere anniſus eſt. Quo fulcrum illi praebeat firmum, vtitur filo aureo, rarius aurichalceo, quoniam

quoniam hoc minus durabile eſt, obuoluto filo tenui ſericeo (*Carcaſſendrath*). Hoc ipſo ſtilum pro amplitudine diuerſa vrethrae craſſiorem ſpiralibus gyris obducit; tum exemto ſtilo, filo contorto illinitur ſoluta reſina quadragies vel quinquagies, exſpectando poſt quamlibet inunctionem, donec prior probe exaruerit. Non defecit hoſce publicatus (V. e. c. SCHWEDIAUER *on venereal complaints* *p.* 85.). Cum hiſce catheteribus conueniunt iſti, ab artifice inſtrumentorum chirurgicorum BERNARD a. 1779. fabrefacti et ab academia chirurg. Pariſ. probati, et in eo tantum differunt, quod filo argenteo non aureo ſerico pariter obuoluto reſinam illineret (*Journ. de Medec. tom.* 54. *p.* 191. *et tom.* 58. *p.* 89.). Hi ipſi catheteres praerogatiuam prae vulgaribus argenteis flexilibus habent hanc, quod facilius et absque laeſione membranae internae vrethrae poſſint intrudi et ſine incommodo geſtari. Habent hi tamen catheteres, praeter pretium nimium, id moleſtiae: quod frigore ſubinde diſſiliant; quod continuato per aliquot dies vſu reſina vi lotii corrodantur et emolliantur, ita vt hinc inde filum contortum illa denudatum compareat, vel reſina ſeſe contactu ſeparet; quod, vtut flexiles, diametrum tamen ſuum, dum intrudantur

dantur vel corpus aegri moueatur, nullo modo pro neceſſitate coarctent, vt taceam alios quosdam defectus, qui potius catheteres vetuſtiores BERNARDI quam THEDENII feriunt. Alios igitur catheteres denuo excogitauit BERNARDUS, quorum baſis eſt tela quaedam ſericea in cylindricam formam contexta et vtrinque reſina elaſtica obducta; ſocietatis tamen R. medicae Pariſienſis membra, quae horum iudices et commendatores exſtiterunt, arbitrantur reſinam elaſticam ſubſtantia quadam emplaſtica fuiſſe mixtam, de cuius natura non conſtat (Vid. *Journ. de Medec. tom.* 58. *p.* 90.). Videntur cum hiſce conuenire iſti, quos artifices DURAND effingunt, praeconio pariter ill. ſocietatis vna cum aliis inſtrumentis ex hac materie celebrati (*Journ. de Medec. tom.* 62. *p.* 109.). Poſſunt illi ſine ſtilo medio vel vna cum eo applicari. Non vltra duodecim vel quatuordecim dies autem relinqui debent, ne calculoſis particulis incruſtentur. Si cauum eorum ſanguine coagulato vel muco obturatur, ſtilo flexili ex balaenae cartilagine reſerari poterit. (*Journ. de Med. l. c.* 110.). An hi catheteres anſam dederint iſtis a cl^mo PICKEL inuentis, non dixerim: certe ille cylindros vel vaginas fericeas pariter contexendas curat, ſed differunt

differunt in eo maxime, quod loco resinae elasticae vernice vtatur ex tribus partibus olei Lini cum saturnino quodam cocti et vna parte Succini liquati et aequali parte olei Terebinthinae, qua miscela vaginae istae pluries obliniantur et per vices partim aëre libero partim calore furni pistorii siccentur, dein terra Tripolitana et oleo poliantur. Tam pretio moderato quam duratione commendabiles sunt (RICHTERI *chir. Bibl. tom.* 6. *p.* 512.). — Non minus opportuni sunt in affectionibus vrethrae cerei (Bougies) ex hac resina facti, tum praecipue, quando eius dilatationi prospiciendum est (*Journ. de Medec. tom.* 62. *p.* 110.).

Canalis ex hac resina paratus commodum quoque instrumentum constituit ad elicienda liquida in cauum thoracis effusa. Potest in hunc finem ex inuentione THEDENII (*Bemerkungen P.* 2. *p.* 154.), quam hic ample exponere non vacat, sipho applicari, vel si suctione oris perfungi velis, vesica spongiam madidam continens illi annecti, vt intra istam liquidum colligatur. Idem instrumentum ad iniectiones, si requirantur, in empyemate valet; nec non ad sanguinem hauriendum in vulneribus abdominis (*l. c. p.* 155.). Cauendum autem, ne canales hi in contactum vnguentorum

torum digeſtiuorum ex Terebinthina veniant, quum haecce reſinam ſoluat. Ad euocandum vero aërem ex cauo pectoris, e conſilio eſt, ampullam adhibere ex reſina elaſtica ſuo tubulo inſtructam, qui per plagam thoracis immittitur (BELL's *Syſtem of Surgery vol. 2. p. 367.*). —

Sufficit hic vno verbo inſtrumenti pro clyſmate meminiſſe, cuius canalis pariter velamentum ex hac reſina habet (THEDEN *l. c. p. 162.*). Ita veſicis vulgaribus pro clyſmate longe praeferenda eſt ampulla ex reſina elaſtica commodae amplitudinis (WHITE *on management of pregnant and lying women p. 103.*). — Canales pro bronchotomia ex eadem materie condi poſſunt (THED. *l. c. p. 162.*). — Item conducit praeeunte cl. THEDEN vaginam ſiue canalem pro acu triquetra, qua paracenteſis veſicae vrinariae per inteſtinum rectum fit, ex hac reſina conficere, qui ipſe praeſtat canali flexili argenteo, vtpote adhuc nimis duro et irritante (*Gött. Anz. 1779. Zug. p. 407.*). — Commoda pariter eſt pro tubo inſtrumenti ad recipiendas foeces ani artificialis deſtinati (JUVILLE *Traité des Bandages herniaires p. 143.*); item pro tubo receptaculi lotii ſub eius incon-

incontinentia (*l. c. p.* 167.). — Lorum, quod in bracheriis inter femora traducitur, si ex hac resina paratur, pressio vniformis versus herniam fit, quod in omphalocele in primis magnum emolumentum praestat (THED. *Bemerk. l. c.*). — Egregium quoque vsum in omphalocele habent particulae huius resinae loro adsutae et tela sericea obductae (JUVILLE *l. c. p.* 165.); item ad coercendam anum prolapsum (*l. c. p.* 174.). — Ad papillas mammarum erigendas et lactis futuram excretionem adiuuandam in foeminis grauidis, quae ipsae lactare infantes sibi proposuerunt, conducit tres vel quatuor hebdomades ante partum applicare speciem antliae ex vitro fere infundibuliformi, cuius tubulosum extremum collo ampullae ex resina elastica cingitur adiuuante filo linteo (THEDEN *l. c. p.* 259. *tab.* 3. *fig.* 3.); sic aëre primum ex ventre ampullae expresso, post applicationem illa expanditur et vitrum firmiter instar cucurbitulae adhaeret. Idem instrumentum absoluto enixu quoque idoneum deprehendi, quum lactis prouentus non satis vber contingeret. — Iniectiones emollientes et antisepticae ope ampullae huius generis loco syringae commode fieri possunt in vterum, quando lochia, nimis acria et putrida resorpta,

reſorpta, febrem puerperarum intendunt (WHITE's *Inquiry into the ſwelling of the lower extremities in lying-in women p.* 61.

Peſſaria ex reſina elaſtica reliquis omnibus antecellunt. Horum forma varia excogitata. Simpliciſſima eſt ficus vtrinque perforati orificio duorum trium vel quatuor linearum, quod amplum ſatis eſt pro emittendis liquidis ex vtero exundantibus. Superius orificium non debet eſſe iuſto amplius, ne os vteri cum collo intret, etenim coarctatione reſinae ſymptomata vehementia incidunt. Cingitur inferius orificium ligula, cui duae aliae digitum longae ad latera adſuuntur, quarum ope peſſarium pro lubitu extrahi poteſt (JUVILLE in *Journ. de Medec.* 1783. *tom.* 60. *p.* 285.). Quoniam tamen os vteri facile conſtringitur a peſſario mox deſcripto, aliud inuentum eſt ex ampulla huius reſinae mediocri, priuata collo ſuo, et perforata in fundo, tum alteri dimidio immerſa. Sic enaſcitur conus cauus, cuius baſis orificio vteri obuertitur, apex deorſum vergens infundibulo exiguo aureo cum amplo margine ſurſum verſo inſtruitur. Ligula et hic pariter adſuta, vt pro arbitrio eximi peſſarium poſſit (JUVILLE *Traité des Bandages herniaires p.* 184. *ſq.*). Haec

ipſa praeſtant me iudice iis ſubplanis oualibus ex ebore, lamina reſinae elaſticae obductis (quae deſcribit CHAMBON DE MONTAUX *des maladies des femmes tom.* 1. *p.* 44.). Alia ſimilia exſtant oualia commodiora ex corpore molliori coriaceo vel chartaceo, cui vndique reſina elaſtica illita fuit. Nec reticendum aliud genus peſſariorum ex tubo eburneo baſi verſus vterum dilatata, ſuis loris pro firmando eo inſtructum; ad finem lororum femoralium, tubo vicinorum, fruſtula oblonga reſinae elaſticae recondita ſunt, quae ſub motu corporis elongari poſſunt (JUVILLE *Traité des Bandages herniaires p.* 179.).

Aptas et inuenit ſagacitas ill. INGENHOUSS (*Verhandel. te Rotterdam vol.* 6. *p.* 131. *tab.* 4.) ampullas ex hacce reſina ad transferendum aërem dephlogiſticatum ex veſica eodem repleta in nares aegrotorum, dum ſcilicet foramen oblongum ampullae forfice vna ſectione exciſum naſo firmiter applicatur.

Qui experimentis ad medicinam infuſoriam in brutis pertinentibus, ſiue aër, ſiue medicamen ſit: immittendum, delectentur, hiſce pariter eiusmodi ampulla ſuo tubo et ventilatore inſtructa commoditatem praebet (BLUMENBACH *med. Bibl. vol.* 1. *p.* 107.).

RICINVS.

RICINVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 723. *Gen. pl. p.* 503.

448.

Pharm. RICINI VVLGARIS ſ. CATAPVTIAE MAIORIS *Folia; Semina.* RICINI ſ. PALMAE CHRISTI *Oleum.*

Ricinus communis; foliis peltatis ſubpalmatis ſerratis LINN. *Spec. pl. p.* 1430. Ricinus vulgaris C. B. Ricinus foliis peltatis inaequaliter ſerratis, capſulis hiſpidis MILL. *Figures of plants tab.* 219. Elegans quoque icon exſtat in REGNAULT *Botanique*, Le Ricin ou Palme-Chriſt, item in HUNGERBYHLERI *Diſſ. de oleo Ricini medicamento purgante et anthelmintico.* In horto botanico Gottingenſi tres exſtant Varietates: α), *glauca*, caule petiolis coſtisque foliorum ſtipulis pedunculis capſulisque *pallide rubris.* Ricinus ruber RUMPH. *Herb. Amb. tom.* 4. *p.* 97.; β) *nitens*, caule petiolis coſtis foliorum ceterisque partibus et ſummis foliis *ſanguineis.* Ricinus lucidus JACQU. *Miſc. Auſtr. vol.* 2. *p.* 360. et *Icon. rarior. tab.* 27., vt puto; γ) *glauca* totaque *viridis* praeter ſtylos rubicundos. Ricinus albus

RUMPH. *Herb. Amb. tom.* 4. *p.* 92. Avanacoe, ſ. Citavanacu *Hort. Malab. tom.* 2. *p.* 57. *tab.* 32. Proxime dicta folia gerit non tam profunde, vt reliquae, inciſa lobis tam amplis, vt ſinus contrahantur et ſuperficies ſubplicata fiat. Aſt reliqua omnia tantopere conueniunt, vt non audeam inde peculiarem ſpeciem conſtituere. — Sponte creſcit in inſulis Indiae occidentalis, nominatim inſulis Sous le vent dictis, tam Angliae quam Galliae ſubiectis; item in America auſtrali, India orientali, Africa et Europa calidiori vt Hiſpania, item Creta. Sed cultura plerumque accedit ad ſeminum vberiorem prouentum obtinendum. In caldariis perdurat vltra biennium et arboreſcit; et in horto noſtro plantae ex ſeminibus vaporario mandatis ſuccreſcentes, primo anno in area probe ſtercorata et meridiem ſpectante ſemina matura ſatis abundanter ferunt, niſi aeſtas ſolito frigidior incidat.

Qui SEMINA haec inter medicamenta producunt, ad Varietatum diuerſitatem non attendunt, cuius tamen ratio pro ſcopo medico videtur habenda eſſe. Aſt RUMPHIUS vires medicas ad Ricinum ſuum album refert. Fructus capſula tricocca

tricocca eſt, ſubrotunda, obſita aculeis ſuccoſis, triualuis et trilocularis. Huius cuilibet loculo ineſt nux ouata, vtrinque compreſſa, interiori praecipue ſuperficie, quae et linea longitudinali diſtinguitur, magnitudine ſeminis Phaſeoli minoris flore phoeniceo, hilo prominente ſurſum notato, cui callus ante adhaeſerat. Cortex ex bruno luteoque variegatus, fragilis, cingit nucleum album, veſtitum cuticula tenella concolore. — Figurae ſeminis cum inſecto Ricino (Acaro Ricino L.), bobus et canibus infeſto, ſimilitudo anſam denominationis totius plantae dedit.

Capſula ſponte violenter dehiſcit, vt et ſemina exſiliant, calore ſolari vel furni, vel, ſi parcendum tempori, in mortario lapideo piſtilli lignei ope ſeiungi a ſeminibus poteſt, et dein agitatione vel et digitis facile auferri.

Praeter dictam tamen ſpeciem, quantum coniicere licet et alia, ſcil. *Ricinus inermis* JACQ. *Miſcell. Auſtr. vol.* 2. *Icon. rarior. tab.* 28. *f.* Ricinus foliis peltatis ſubpalmatis ſerratis, petiolis glandulosis fructibus inermibus LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 865. oleum vſui medico commodum ſuppeditat. Semina eius deſcribuntur maiora inſtar Amygdalae,

ceterum minoribus dictis omni modo similia. Haec ex America Londinum transmissa et melius adeo oleum subministrasse dicuntur (ODIER in *Journal de Medec. tom.* 49. *p.* 455. *sq.*). Capsulam horum seminum aculeis destitui et ad magnitudinem Iuglandis accedere ex satione Brunsvigae facta constitit (HEYER in CRELL. *chem. Annal.* 1784. *vol.* 2. *p.* 27.); sed nomen Ricini Mappae L. perperam adscriptum esse, facile apparet.

Ante omnia vero prospiciendum est, ne semina Ricini cum seminibus affinium aliquot stirpium ex genere Crotonis vel Iatrophae, de quibus iam facta mentio est, vel aliis cognatis, confundantur, qua in re impositit figurae fructus item nominis similitudo: sed acrimonia haec ipsa infesta sunt et drasticam vim exserunt. Κικι s. Κροτων DIOSCORIDIS (*Mat. med. lib.* 4. *cap.* 164.) cum nostra stirpe conuenit, cuius semina et emesin ciere et aluum deiicere, sed molesta et laborioſa purgatione innuit, et oleum cicinum erogare. Praeparationem huius olei duplicem, quam infra discutiam, quoque proponit, nec dissimiles vires ab iis, quae recentius inclaruerunt, nominatim purgantem et anthelminticam (DIOSCOR. *lib.* 1. *cap.* 38.

cap. 38.). Idem ſemen oleumque aliis Graecis e. c. PAULLO AEGINETAE et AËTIO ſatis quoque nota fuerunt. Meminit ſtirpis ſub eodem nomine PLINIUS. Arabibus vero ſub voce Cherua venit. (Hiſtorica varia vetuſtiorum temporum de hac planta perſequuti ſunt FISCHER et SCHMID in *Diſſ. de Ricino Americano, Erford.* 1719.).

Semen paucis adhuc retro annis apud auctores medicos tantum non omnes nequitiae nota diſtinguebatur, et inflammare oeſophagum ventriculumque, purgare violenter, febrem ſyncopenque excitare ferebatur; hinc mentionem eiusdem potius fecerunt ad alios ab vſu eiusdem arcendos, quam ad eundem alliciendos. Huius indolis erat iudicium cll. GEOFFROY, LINNEI, VOGELII, CRANZII aliorumque, qui de medicamentis ex inſtituto egerunt. Nec falſum declarari poteſt, modo de integro ſemine, corticali parte adhuc inſtructo, ſermo ſit. Hoc etiamnum ſuſpectum eſt in locis plantae natalibus, adeo vt raro ab incolis (V. THUNBERG. *Diſſ. de medicina Africanorum p.* 4.) ſuſpenſa manu, hoc eſt, vnum vel alterum ſemen commanſum draſtico ſcopo ingeratur. Sic legimus eiusdem grano vno vel duobus, per decem vel

duodecim dies ingeſtis, nigritas in America, ſuperbibito oleo, ſe a gonorrhoea inueterata aliisque malis venereis liberare (CANVANE's *Diſſertation on the oleum palmae Chriſti ſ. ol. Ricini or (as it commonly called) Caſtor — oil — its uſes in biliary calculous and other diſorders Ed.* 2. 1769. Verſ. Gall. cl. HAMART DE LA CHAPELLE 1777. *p.* 9.).

Haecce experimenta ſine dubio ad errorem anſam dedere, quod tota ſtirps veneno imbuta eſſet, et tactu adeo, quin halitibus vmbraque ſua infeſta. Sed ad hunc refellendum praecipue faciunt experimenta a cl. BONELLI (*Memoria intorno all' olio di Ricino volgare p.* 8-10.) expoſita et cum ſucco caulis et foliorum, guſtatu, reagentibus, chemicaque analyſi inſtituta, quibus ipſis nulla euidens acrimoniae nota ſeſe manifeſtauit. Nec vllum obſeruatorem noui fide digniorem, qui Ricinum reum faceret eiusdem malignae naturae, quae pluries de Toxicodendro et aliquot congeneribus plantis explorata, ſcilicet vaporibus exundantibus nocere hominibus. Quin contra ea beneficam vim exſerunt FOLIA. Etenim haec parum igne flaccida reddita ſolantur dolores podagricorum et chiragricorum, ſi repetitis vicibus impo-

imponuntur; itidem contrita externa applicatione oculorum inflammationi ſubueniunt; recentia autem eryſipelatoſis et inflammatis artubus applicantur (RUMPH. *l. c. p.* 94. de Ricino ſuo albo). Abdomini impoſita tormina diſpellere et colicam feruntur (IDEM *l. c. p.* 97. de Ricino ſuo rubro). Lacte in cataplaſma cocta maturans eximium conſtituunt, (BROWNE *nat. Hiſt. of Iam. p.* 350.), nominatim in furunculis (BROWNE. FIELITZ *Erinnerungen — beſſere Wundärzte zu bilden p.* 60.); conſolidant plagas ex veſicantibus (BROWNE), praecipue ſi gangraenam minantur, et macerata aceto herpetem, ſcabiem, tineam capitis, ſanant (CANVANE *verſ. Gall. p.* 10.). Mirum igitur, quod caſu ſingulari folia Ricini fronti per noctem contra hemicraniam foeminae applicata coecitatem peperiſſe dicantur, licet arte dein ſublatam (*Hiſt. de la Societé R. de Medec. à Paris vol.* 2. *p.* 302.). Verum foliorum laude conterranei plantae magis hactenus, quam exteri, capti. *Radix* diureticum efficax praedicatur (BROWNE). Semina tamen vbiuis potiorem partem agunt.

In *feminibus* omnino diſtinguendum eſt inter teſtam fragilem illam externam, cui pellicula

alba ſubiacet, et nucleum. Fateor diſcrimen virium, quae inſunt partibus hiſce, euinci non poſſe experimentis chemicis, quibus tamen pharmacopolae periti BALLANTI et CONTI (in cl. BONELLI *libro cit. p. 5. ſq. a* §. 4-11.) indulſerunt. Equidem teſtam recentis ſeminis ſed maturi guſtans inſipidam illam inueni: attamen huic acrimoniam ineſſe haud mediocrem, licet nucleus innocuus ſit, certe eius modo exiguam partem includat, aliis indiciis extra dubium ponitur. Non magis hoc mirum eſt, in Ricini fructu, quam in vtroque Anacardio, quorum nucleus edulis, putamen cauſticum. Etenim teſta ſi vnguibus ſeparatur, inflammatio digitorum cum inſigni tumore enaſcitur (HEYER in CRELLS *n. chem. Entdeck. P. 2. p. 47.* item GLENDENBERG in eiusd. cel. viri *chem. Annal. 1785. vol. 2. p. 34.*), quod non videtur a fragmentis exiguis ſubter vnguem intruſis dependere, quippe quae ſub exploratione non viſa ſunt (V. *vlt. locus cit.*), ſed ab acri latente. Hinc in loco natali conquaſſando in mortario ligneo exuuntur ſua teſta (LABAT *Voyage aux Iſles de l'Amerique tom. 3. p. 281.*). Certiſſima concluſio de vera acrimoniae ſede fieret ex partibus feminis, figillatim hominibus vel brutis per os ingeſtis; cuius

generis

generis experimenta duo singularia recensuit cel. BERGIUS (*Mat. med. p.* 773.): alterum viri, qui ex semine vno testa sua adhuc obducto, vesperi deglutito, mane vomuit violenter et per totum diem alternos ad emesin et alui deiectiones nisus expertus est; alterum foeminae tenerae, quae semen vnum testa sua et pellicula orbum innocue deglutiuit. Pellicula insipida. Nucleus recens amaricans est. Post aliquam moram ardoris sensum etsi mitiorem in faucibus sensi. Non omnem tamen nuclei virtutem in oleum transire, exemplo Amygdalarum amararum cognoscitur, vt quae oleum blandum dulce erogant; nec semen Sinapis expressum tam acre est, vt destillatum; vt taceam alia exempla.

Duplex est ratio OLEVM ex seminibus eliciendi, nimirum vel per coctionem vel per expressionem. Vtraque in America in vsum vertitur. Si *coctio* eligitur, nuclei decorticati contunduntur in mortario marmoreo, pastaque sacco immissa cum aquae communis sextuplo vel octuplo intra vas terreum in ebullitionem vsque coquitur, sub qua encheiresi superficiem aquae petit oleum, quod cochleari auferri debet; coctio vero continuatur,

nuatur, donec nihil olei amplius aſſurgat. Sic longe plus olei eruitur, quam expreſſionis ope, vt vel inde conſtat, quod ex paſta poſt expreſſionem reſidua, recuſante vlteriores per eandem ſuppetias, noua portio olei coctione elici poſſit. (CANVANE *l. c. p.* 18. HEYER in CRELLS *chem. Entd. P.* 2. *p.* 74.). Mirum, quod coctio aliquando non ſucceſſerit, ſed emulſiuum modo liquidum erogauerit (GLENDENBERG in CRELLS *chem. Annal.* 1785. *vol.* 2. *p.* 30.). Sed minori in pretio habetur oleum coctione paratum quam expreſſum, quoniam igne dulcedinis pars perit, et ad rancorem diſponitur. *Expreſſione* ſi eliciatur oleum, quidam ſuadent decorticati ſeminis praeuiam conquaſſationem in mortario (CANVANE *l. c. p.* 20.), ſed inde ob mucilaginis euolutionem, quae ſimul contingit, craſſum et turbidum euadit oleum (quod bene adiecit BONELLI in *verſione libri* cl. CANVANE *p.* 63. *n.* 2. GLENDENBERG *l. c. p.* 32.), nec niſi difficulter eruitur. Praeſtat igitur nucleos integros premere. Facilius quoque euocatur oleum ex ſeminibus, quae moram aliquam traxerunt, quam ex recentibus, mucilago enim ſenſim ſiccior euadere videtur, tumque connubium ſuum cum oleo relaxare (HEYER in CRELLS

CRELLS *Entd. P. 3. p. 74.*). Expreſſio ipſa intra ſaccum ope preli conſueti absque calore fit.

Larga autem olei copia ineſt ſemini, proportione quidem non ſemper eadem. Nempe decoctione ex libris decem ſeminis (puto non decorticati) vna olei eruta (HUGHES *Nat. Hiſt. of Barbados p.* 118.). Alius ex vna libra (arbitror nucleorum) circiter octo vncias obtinuit (BONELLI *l. c. p.* 45.). Expreſſionis calidae auxilio librae duae et vnciae tredecim decorticati ſeminis erogarunt olei libram vnam cum ſex vnciis (GLENDENBERG *l. c.*). Mirum alio experimento ex nucleorum ſemunciis viginti tribus olei expreſſi adeo $17\frac{1}{2}$ ſemuncias excuſſas fuiſſe (HEYER in CRELLS *Entd. P. 2. p.* 48.); vnde colligere pronum eſt, mucilaginoſas partes multas ſimul exundaſſe, quod ſpiſſitudo adipis mollis, quo comparatur, colorque pallide luteus confirmat. Teſtae paullum ſupra quartam partem ponderis ſeminum conſtituunt. Minus pondus olei expreſſi lucramur ex ſeminibus teſta inſtructis, quod tamen neque colore nec ſapore differre ab altero legimus (GLENDENBERG *l. c.*).

Commu-

Communis tamen fere vox exui feminam primum iubet putamine externo, quum oleum acre et corrosiuum inde euadat. Quin teste cl. ODIER (*Journ. de Medec. tom.* 49. *p.* 454.) hoc, in discrimen alterius, *Oleum escharoticum Ricini* s. Huile de pignons d'Inde (sed Gallicum nomen variae speciei fructibus tribuitur) dicitur, huiusque vel vnica gutta sufficit ardori faucium et vomitionibus et diarrhoeae cum doloribus colicis violentis excitandis (Cfr. DUNAND *l. c. p.* 51.). Est hoc sine dubio oleum, quod cl. DE MACHY (ROZIER. *Observations tom.* 7. *p.* 480.) describit crassum, obscure flauum, tam causticum, vt ne gustari quidem possit, difficulter frigore condensandum, ardens flamma obscura fumo multo et ingrate olente; sub cuius olei expressione refert, exhalationes ascendisse, pruritum quin dolorem in manibus et facie excitantes, imo in locis sub labore contrectatis erysipelas cum destructione epidermidis exortum. An eiusdem naturae fuerit crassiusculum et brunum illud, quod vomitum copiosum, nauseam perpetuam, ardorem, colicam diram et frequentissimas alui deiectiones, referente ill. GRUNER (*Med. Almanach* 1783. *p.* 168.) excitauit, non dixerim; experimenta aliquot

aliquot chemica cum hoc ſpurio facta leguntur (in cl. FUCHS. *Diſſ. de oleo Ricini, Ien.* 1782. *p.* 16.). Alia vero ratio acrimoniae in nimia ſeminum vetuſtate latet, qua ipſa oleum ranceſcit (CANVANE *l. c. p.* 9.). Et quidni ipſum oleum iam paratum longiori mora, vt ſimilia quaeuis, ranceſceret et blandam, naturam deponeret. Nocere tum, experientia ipſa edocet (DUNAND in *Journ. de Medec. tom.* 49. *p.* 45.). Quod ſi fit, albeſcit, et prout ſic acrimonia eius creſcit, ſenſim purgandi eius vis debilitatur (DE MACHY *l. c. p.* 481.). Oleum quoque per coctionem euolutum ob calorem adhibitum magis inclinare in acrimoniam quam alterum frigida expreſſione elicitum, ſponte patet. Fac praeterea ſubſtituta fuiſſe vel commixta aliena ſemina acria (qua de re ſupra *p.* 198.); vel oleo vero diuerſum acre vel iners (DE MACHY *l. c. p.* 48.) aliquod, vel recenti oleo vetuſtum lucri cauſa additum fuiſſe. En argumenta multa, quae pharmacopolis iniungunt, vt oleum hocce ipſi praeparent, quo genuinum praeſto ſit, quum tamen venale iſtud tantum non ſemper ex America petitum fuerit. Fieri hoc poterit ex ſeminibus ex America transmiſſis, prout Londini ſolet, donec cultura ſtirpis in Europaeis

paeis regionibus vſitatior fiat, iis in locis, quibus beneficium temperatioris climatis eandem concedat. Quod Veronae ex feminibus ibidem collectis erutum erat, paullo eſſe viribus inferius videbatur (BONELLI *l. c. p.* 8.). Ad depurandum illud et a rancore tuendum, conducit illud dupla aquae quantitate conquaſſare, inde partes rudes et ſalinae vel praecipitantur vel cum aqua ſeſe commiſcent, et oleum ſuperficiem petit (Inuentum cl. RENAUDET apud CANVANE *l. c. p.* 25.).

Genuinum oleum Ricini craſſum et viſcoſum eſt, expreſſum cum mucilagine fluida comparet (CONTI. BONELLI *l. c. p.* 16. Cfr. HAMART *Pref. p.* 4.), fere inſipidum vel dulce, nec vllum acrimoniae ſenſum in faucibus relinquens (ODIER in *Journ. de Medec. tom.* 49. *p.* 455.). Recentius et melius eſt ſubopacum, quam illud diaphanum et coloris crocei (HAMART *Pref. p.* 7.). Colorem glauco virideſcentem prae ſe fert, et grauitate ſpecifica tam olea omnia reliqua vnguinoſa, quam pinguedines animales antecellit, frigore ſolideſcit, colore Succini, pellucidum fere (BRANDIS *Comm. de oleis vnguinoſ. p.* 22.). Accenſum ellychnio claram flammam edit absque nidore et fumo, ſed odore

odore grato quaſi cerae. Tranſeo experimenta cum reagentibus et ope deſtillationis facta (BONELLI *l. c. p.* 15. *ſq.*). Quibusdam referre viſum eſt oleum Amygdalarum cum ſapore poſt aliquam guſtationis moram nauſeoſo (GRUNER in *Med. Almanach* 1783. *p.* 168.), vel vt quaſi ex oleo Nucum ſubrancido (BONELLI *l. c.*). Venale multiplici modo colore et acrimonia variat. Quo albidius eſt, tanto minor purgandi efficacia inſidet. Sic coctione cum aqua repetitis vicibus facta prout colore priuatur, etiam cathartica vi (DE MACHY *l. c.*), ita vt dupla olei quantitas impune ingeri poſſit. Aetate ſpiſſeſcit magis in denſitatem mellis recentis, rubicundum et diaphanum fit (BERGIUS *Mat. med. veget. p.* 772.). Aeque clarum tamen iſtud coctione elicitum deſcribit LABAT (*l. c. p.* 281.), ac oleum Oliuarum.

Vtilitate oeconomica ſaltim extra patriam non valde inclaruit. Lampadum pabulum in Indiis iam dudum idoneum habitum fuit, et adhuc crebro habetur (RUMPH. LABAT *l. c. p.* 283. BROWNE. AUBLET *des plantes de la Guiane Françoiſe tom.* 2. *p.* 885.). Tatari quoque fluuio Terek vicini oleum pro lampadibus adhibent (FALKS

Beiträge zur topograph. Kenntniſs d. Ruſſ. Reichs. vol. 1. *p.* 91.). Iauani vero et Malayenſes calci viuae illud admiſcent pro obturandis et oblinien-dis nauibus loco picis (RUMPH.).

Ampliori multo encomio ob virtutes medicas ornari meretur, quibus ipſis quidem multa cum aliis oleis vnguinoſis communia habet, haud pauca tamen prima et peculiaria. Quae veteres de olei cicini efficacia reliquerunt non multum ponderis habuerunt ad oleum Ricini ſerioris aetatis medicis commendandum. Nec in *Horto Malabarico* (*Tom.* 2. *p.* 59.) de purgante eius et colicis doloribus ſubueniendi praeſtantia notata, nec effectus, quos ven. LABAT (*l. c. p.* 282.) recenſuit varios, medici, nec BOERHAAVII (*Hiſt. pl. horti Lugd. Bat. p.* 335.) rectum de feminum putamine, quoad acrimoniam et olei quoad blandam naturam, iudicium, nec alia ſparſim obuia de eodem effectu celebritatem quandam illi inter Europaeos conciliare valuerunt. Noſtro autem tempore primum Anglorum quorundam, qui vſum in inſulis Americanis, vbi dudum inualuit, didicerunt, FRASER et CANVANE, experientia per partes enucleata obliuioni illud eripuit, et poſtea iuncto horum cum conterraneorum aliquot

et

et exterorum ſtudio extra dubium eſt poſitum, efficacioribus pariter ac tutis remediis eſſe accenſendum.

Oleis vnguinoſis quidem, vt pinguedinoſis in vniuerſum, vis aluum mouendi inſidet, quippe quae foeces emolliunt, inteſtina lubricant et relaxant et ſpaſticas conſtrictiones, quae tam ſaepe deiectiones aluinas remorantur, reſoluunt. Sed negari nequit, peculiarem Ricini oleo ſtimulum ineſſe, qui licet oleoſorum partium connubio obuoluatur, ſat tamen virium retinet ad inteſtina blande vellicanda. Videtur illa maturius cognita fuiſſe reliquis olei virtutibus, nec mirum, ſi apud gentes rei medicae rudiores oleum aliquando vſu venerit, dum alia purgantia magis idonea fuerint. Generalius tantum notata fuit in *Horto Malabarico*, a ven. LABAT, item a cl. AUBLET, qui iunioribus nigritis a quibusdam medicis exhiberi purgandi ſcopo memorat. Agnoſcunt eum effectum recentiores omnes, qui dedita opera in naturam huius olei inquiſiuerunt. Nec in chronicis modo malis, ſed et acutis conuenit, quando aluum aperire conducit. Pertinet huc caſus pertinacioris adeo obſtructionis aluinae plurium dierum cum ſordium

latentium in ore indiciis, et intumescentia ventris (BONELLI *p.* 30. *sqq. Obs.* 5. 6. 7. 9.). Multo promtius reliquis purgantibus operatur. Et tam blande, vt recens adeo nati eius cochleare paruum pro Thea ad expellendum meconium ferant (FRASER in *Medical Observations and Inquir. vol.* 2. *p.* 239. CANVANE *l. c. p.* 13.). Infanti annuo, in colica cum motibus conuulsiuis ex sordibus ventris collectis, vncia eius vna mederi contigit (BONELLI *l. c. p.* 32. *Obs.* 8.). Alii infanti bienni vermi-noso eadem quantitas subuenit (GRUNER *Almanach cit. p.* 168.). Puerperis pariter commodum et securum purgans est in febre puerperali adeo, qua vncia vna primum et vncia dimidia omni trihorio post ad effectum vsque dare conuenit, et prima quidem dosis plerumque cito per intestina in haud leue aegrae solatium decurrit (HULME *on the puerperal Fever p.* 58.). Commode et tum puerperis subactum vitello oui in Mannae miscela et dilutum aqua offertur (LEAKE *on child-bed Fever p.* 129.). — Adultis vncia eius dimidia vel integra, sesquialtera, quin duae simul concedi possunt (BONELLI *l. c. Praef. p.* 7.). Dosin duarum vnciarum pro nigritis iunioribus quoque adsignat AUBLET. Nimia quantitas simul capta facile emesin ciet, hinc praestat

praeſtat per interualla illud ingerere (HAMART *Praef. p. 5.*).

Sunt vero multi morbi, in quibus, dum aluum expedit, alias ſimul beneficas vires praeſtat. Horum e numero colicae variae ſpecies ſunt; in quibus in vniuerſum eſt, qui ſine dubio iuſto liberalius oleum laudauit (LABAT *l. c. p.* 282.). Eminet autem efficacia in colica pictonum, Anglis Dry-belly-ach, ante reliquas ſignificanda. Haec quoniam in inſulis Americanis frequentiſſima eſt, Weſt-India Dry Gripes quoque dicta, et ibidem ſpecifici titulo oleum hoc condecoratur (BANCROFT *l. c. p.* 36.). Nihil tam certo et blande aluum in hoc morbo adſtrictam referare experti ſunt viri varii eximii, qui ibidem praxin medicam exercuerunt BROWNE (*l. c. p.* 350.) in Iamaica, FRASER (*l. c. p.* 238.) in Antigua, cl. CANVANE (*l. c.*). Qualiscunque cauſa atrocis huius morbi et ſequelis ſuis funeſti ſit, primum et praecipuum hoc eſt, vt aluus referetur, eiusque liberum profluuium alatur, quo ſtimulus latens et vellicans ſubducatur, qua in re tanto magis praeſtat hoc oleum aliis purgantibus, quod ſimul acre ſpaſticas inteſtinorum conſtrictiones ſuſcitans inuoluat. Aliquando ſim-

pliciſſima exhibendi illud ratio ſuffecit, ſcilicet cochleari vno quauis hora dato, et tertium vel quartum plerumque alui deiectionem efficit (FRASER. *l. c. p.* 238.). Opus quoque eſt, vt multum diluentis liquidi calide ſuperbibatur. Niſi ore receptum ſuccedat, vel ſi ventriculus illud faſtidiat, clyſmati emollienti commode additur (*Ibid.*). Miror, quod cl. WARREN (*Medical Tranſact. vol.* 2. *p.* 77.) innuat, perinde eſſe, quale catharticum capiatur, modo non nimis rudem actionem exſerat, accuſat quoque oleum hoc, quod magis reliquis ad ſubuertendum ventriculum inclinet, confeſſus tamen non opus eſſe, vt vſus eius tam ſaepe ac reliquorum purgantium repetatur. Ad prius iudicium propius quoque accedit ill. QUARIN (*Animadv. pract. p.* 253.), qui non plura eo praeſtare valuit, quam olei Amygdalarum cum Manna conſociatione, quod pluries optimo ſucceſſu obtulit. Sponte liquet, in malis diuturnioris morae ad alia commoda auxilia in hoc morbo inſuper tranſeundum eſſe, quae vero exponere huius loci non eſt. In recenti malo acquieſcere eo licuit, prout in caſu pictoris a cl. ODIER recenſito (*Journ. de Med. tom.* 49. *p.* 337.). Vere ſaturnina eaque recens erat colica ex illito vnguento ſaturnino in leproſo, qui,

qui, quotiescunque oleum hocce ingereret, colica liberabatur cum alui deiectione (ODIER *l. c. p.* 340.). Plurimum ſolaminis etiam iuueni attulit hac cauſa praeſente (PERCIVAL'S *Eſſays med. and experimental vol.* 2. *p.* 191.) aluum reſerando. Ex bilis vitio deriuant colicam iſtam Americanam cll. FRASER et CANVANE, qui ipſi et in aliis vitiis eiusdem fontis multum huic oleo tribuunt. Quicquid ſit, tamen in aliis variis colicae ſpeciebus eximiam opem praeſtat. Eius rei exemplum exſtitit in homine robuſto, cui poſt moleſtam intumeſcentiam ventriculi colica vehemens cum vomitu contigit (BONELLI *p.* 28. *Obſ.* 1.). Aliud legitur de puella quatuor annorum vorace, quae carnem bubulam edens tendinem craſſum octo ad nouem pollicum deglutiuit, vnde colici dolores, ſed ceſſantes, poſtquam ope olei Ricini per aluum eiiceretur. (ODIER *l. c. p.* 342.). In colica nephritica ſ. calculoſa pariter eximiam opem affert (CANVANE *p.* 106. BONELLI *p.* 29. *Obſ.* 3. FRASER *l. c. p.* 239.), vtpote quum et vias vrinarias lubricet et feceſſum ſabuli et calculi adiuuet, et aluum ſollicitando preſſionem foecum moleſtam tollit. Commode hoc oleum in affectionibus calculoſis generatim aliis remediis lithontripticis interponitur, niſi ipſi

ſoli quaedam ſoluendi virtus tribuenda ſit (CANVANE *p.* 111.). Inſigne leuamen calculoſus, arthritide ſimul vexatus, tulit ex Lactuca oleo Ricini, loco olei Oliuarum humectata, et veſperi ingeſta (CANVANE *p.* 13.).

Contra ileum quoque commendabile exſtat (CANVANE *p.* 13.). Eum nominatim ſuſtulit, qui ex arthritide ab extremis in ventrem translata originem traxit (KÖLPIN in cel. TODE et SALHOLT *Diſſ. Adnotata medico-pract. p.* 34.). Et in vomitionibus a voluulo vel calculo felleo ſimilis praeſtantiae eſt (BERG. *M. m. p.* 773.). — Adiungo efficaciam, in cardialgia cum vomitu et pertinaci alui obſtructione aliquoties exploratam (QUARIN *Animadv. p.* 253.).

In dyſenteria pluribus finibus ſatisfacit. Initio morbi datum loco purgantis prodeſt (FRASER *p.* 239.). Frequenter lenit dolores colicos, vt primum capiatur, vt fere anodyni aliquid illi ineſſe crederes, et praeter deiectiones, quas ſuſcitat largiores, teneſmum mitigat (CLARK's *Diſeaſes in voyages to hot countries p.* 228.). Signa ſordium in ore obuia praeuium aliquando emeticum requirunt; nec vlla alia medela in itinere nauis Danicae tam

tam promtum et efficax auxilium praeſtitit hocce oleo ad ſemunciam omni hora dato, donec aluus aliquoties moueretur (TODE *Diſſ. cit. p.* 33. Conf. CANVANE *l. c.*).

Variis paſſim in hoc opere documentis euictum, quantum olea vnguinoſa in vermibus inteſtinorum necandis valeant. (Vid. de oleo Iuglandum *Appar. med. vol.* 1. *p.* 60. de oleo Oliuarum *l. c. vol.* 2. *p.* 44. de oleo Amygdalarum *l. c. vol.* 3. *p.* 255. de oleo Lini *l. c. p.* 488.). Sed quum oleum Ricini manifeſte ſimul aluum ſubducat: apparet palmam reliquis praeripere, niſi ex efficacia praeclara fere conſtituendum ſit, ineſſe partes peculiares, vermibus infeſtas. Pauciora hactenus noui experimenta lumbricis infeſtantibus capta. Memoranda tamen cardialgia verminoſa, per duas vncias olei huius, quae decem deiectiones aluinas effecerunt, et vna vermes eliminarunt, ſublata, et recrudeſcens poſt aliquot dies eodem remedio exſtincta (BONELLI *l. c. p.* 30. *Obſ.* 4.). Redit quoque in mentem infans biennis, ex vncia vna lumbricum deiiciens (GRUNER *l. c. p.* 168.). — Querela tamen mota, lumbricis robuſtis et magnis (CHAMBERLAINE *on the Stizolobium verſ. Germ. p.* 16.)

non sufficere. An lumbrici in vniuersum contra vim huius olei taeniis obstinatiores: saltim immersi eidem humani 44 ad 48 horas vixerunt (ARNEMANN *de ol. vnguinos. p.* 76.). — Ast tanto magis depraedicandum est, quum vermem contra remedia multo alias pertinaciorem, Taeniam, subigat. Lectu digna de hac virtute debemus duobus medicis Genevensibus ODIER et DUNANT (*Journ. de Medec. vol.* 49. *p.* 44. *sqq. l. c. p.* 333. *sq. p.* 450. *sqq.*), quibus et opportunitatem dedit frequentia, qua hic vermis Genevae obuenit. Tutissimum est, puluerem radicis Filicis maris vel Filicis foeminae praemittere ea dosi, quam matrona NUFFER commendauit, hoc est, ad drachmas duas vel tres. Sed loco boli eius drastici, quae tot plerumque incommoda parit, scilicet vomitus, colicas, deiectiones insignes virium rel. absque periculo oleum Ricini exhibetur, et quidem circiter bihorium post vncia dimidia in cyatho Theae vel iusculi tenuis, sic per dimidias horas repetendo, donec vnciae duae et dimidia vel tres consumtae fuerint. Aliquando ante hanc quantitatem ingestam vna vel altera alui deiectio subsequitur et vermis simul euerritur. Subinde instar glomeris expellitur, subinde in longitudinem diductus. Si nimis in

intestinis

inteſtinis tardat, adiuuari poteſt expulſio clyſmate ex aqua calida et tantillo oleo Oliuarum. Adſunt caſus (ODIER *p.* 341. 351.), quod ſolum oleum Ricini absque radice Filicis ſuffecerit; ſed non aeque tuto, nec aeque facile contigit, ac in vtriusque connubio (*l. c. p.* 351.). Experimenta vnice cum Taenia lata L. capta fuere, quum Taenia Solium L. Genevae valde rara ſit. Succeſſit quoque cl.^mo RAYMOND pluries oleo hocce taeniam expellere (*Hiſt. de la Soc. de Medecine tom.* 2. *p.* 226.). Species tamen de qua loquitur vix determinatur nomine Ver ſolitaire.

Leuat aſthma, quod a vaporibus ſaturninis proficiſcitur (SELLE *Medicina clinica p.* 610.).

Non lubet plures virtutes enumerare, quas vel communes cum aliis oleis vnguinoſis habet, vel quae ratiocinio modo vel nimia in illud fiducia nituntur. Non omni culpa, me iudice, cl. CANVANE ob haecce praeconia abſolui poteſt.

Malo ſubiungere, quibus formis et modis hoc oleum commodius aſſumi poſſit. Sunt enim, quorum palatum vel ſtomachus merum oleum non fert. In elaeoſaccharum cum ſacchari eadem quan-

quantitate redactum, vel cum syrupi Althaeae aequali pondere, vel cum melle mixtum, capi potest, sicque infantibus praecipue placidum redditur (CANVANE, BONELLI.). Tanto gratius eiusmodi elaeosaccharum additamento succi Limoniorum (lime-juice) euadit (FRASER *l. c. p.* 238.). Subigitur oleum vitello oui, e. c. sic vt olei vncia vna cum dimidio vitello, contrita diluatur aquae cuiusdam vnciis duabus (WARREN); aqua Menthae piperitae nauseae et vomitioni tanto efficacius obuiam ibit. Magis vero mihi placet, miscibile illud reddere cum aqua ope mucilaginis gummi Arabici, vnde species emulsionis redundat. Drachmae duae olei sibi vindicarunt mucilaginis dictae vnciam dimidiam (cl. ARNEMANN *de oleis vnguinos. p.* 50.). Additus syrupus tanto plus gratiae hisce miscelis conciliat, cuius rei exemplum esse poterit illud (QUARIN *Animadvers. pract. p.* 335. *n.* 35.): ℞. Ol. Ricin. ʒiij. Syr. Alth. ʒij. Vitell. ovor. q. s. diu tritis et subactis add. aquae comm. ʒx. M. qua ipsa miscela in cardialgia cum vomitu et pertinaci alui obstructione tantum profecit. Adeo autem innocuum est hoc oleum, vt dosis quinque vel sex vnciarum vna capi posset, nisi verendum esset, ne vomitu mox excuteretur; hinc

hinc praeſtat in duas ad minimum doſes neceſſariam quantitatem diuidere, et interuallum commodum concedere (HAMART DE LA CHAPELLE *l. c. Praef. p.* 5.).

Clyſmatibus emollientibus optimo ſucceſſu additur, quando fruſtra per os capitur vel ventriculo aduerſum eſt (FRASER *l. c. p.* 298.). Fugat vermes exigua quantitate aluo iniectum (CANVANE *p.* 16.). In clyſmate quoque mitigat renum affectiones. In infantibus immorigeris confert in dictos ſcopos abdomini illud inungere, vnde vna vel duae alui deiectiones (CANVANE). Iuuat etiam in doloribus corporis cauta olei perunctio (*Hort. Malab. vol.* 2. *p.* 59.).

Quidam exiſtimant hanc plantam, fuiſſe Cucurbitam JONAE ex verſione LUTHERI, ſiue Hebraeorum Kikajon, ſub cuius tegmine Vates ille gratum refrigerium quaerebat, quum loco natali, cadente tenui pluuia, erucae nigrae copioſae generentur, quae ſaepe tam cito folia per vnam noctem depaſcunt, vt praeter coſtas eorum nihil reliquum ſit (RUMPH. *Herb. Amboin. tom.* 4. *p.* 95.). Cl. NIEBUHR (*Beſchr. v. Arabien, p.* 148.) tamen ex teſtimonio Iudaeorum quorundam et Chriſtianorum in Arabia ſibi lato, ſpeciem Cucurbitae Elkerra fuiſſe, reputat.

MERCV-

MERCVRIALIS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 746. *Gen. pl. p.* 527.

449.

Pharm. MERCVRIALIS *Herba.*

Mercurialis annua; caule brachiato, foliis glabris, floribus ſpicatis LINN. *Spec. pl. p.* 1465. Planta *maſcula*, prae defectu verae de ſexu cognitionis olim dicta Mercurialis ſpicata ſ. foemina C. B.; et *foeminea:* Mercurialis teſticulata, ſiue mas C. B. Icon: REGNAULT *Botanique*, la Mercuriale. Pl. annua, in temperatiori Europa locis vmbroſis et hortis neglectis creſcens.

Obſolenit in hodierna praxi HERBA, quae apud veteres praecipue inter aluum ſubducentia et, extus applicata, inter relaxantia locum obtinuerat. Copia ſucci aquoſi ſubſalſi quoad ſaporem ſcatet, odore autem caret. Mucilaginem cum miſcela exigua ſalis ad cl. LEWIS (*M. m. p.* 382.) mentem recondit. Quod ſi eſſet, verius emolliendi vi illam inſtrui affirmaretur. Sunt vero, qui mucilaginem in dubium vocant (CRANZ, BERGIUS, PLENCK *M. m.*), licet herbis emollientibus numero quinario a ma-

a maioribus noſtris aſſociaretur. Quod aluum purget, ſeriori etiam tempore confirmatum. Ruſtici nimirum Ferrarienſes inſtar pultis hoc fine herba cocta probo effectu vſi ſunt (ANT. MUSA BRASSAUOLUS in *Exam. omn. ſimpl. medic. p.* 136.). Clyſmati quoque ad aluum ſollicitandam decoctum eius inſeruit, item mel mercuriale aliis clyſmatibus eundem in ſcopum additur.

Quum ex infeſta tricoccarum familia ſit, iam inde ſuſpecta pro vſu interno euadit. Sed et in congenere ſpecie ſubfoetente, Mercuriali perenni L. cuius icon vide in MILLERI *Illuſtratione ſyſt. ſexual.* vis noxia obſeruata. Etenim vir quidam cum coniuge et tribus liberis ex huius herba cum lardo frixa vomitu, alui purgatione, ſopore aliisque malis afflictus, et vnus liberorum mortuus eſt (SLOANE in *Phil. Tranſ. vol.* 17. *p.* 875.). Sed non hominibus vnice, ſed et ouibus pronunciatur deleteria (LINN. *Fl. Suec. p.* 360.). Ipſa Mercurialis annua ante coctionem non viſa ſatis tuta eſt (BRASSAVOLUS *l. c.*). Nociuae partes ſine dubio coctione diſſipantur vel deſtruuntur. Alias vix comprehendi poſſet, quomodo veteribus pro cibo eſſe potuerit, ſi vere venenata eſſet.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

HERBAE QVINQVE EMOLLIENTES offic. V. ſupra.

MEL MERCVRIALE. *Ph. W. p.* 114. Ex ſucco herbae cocto cum melle. Vſus ſupra notatus.

SYRVPVS MERCVRIALIS *Ph. W. p.* 214. Neque ſelectus rerum, ex quibus componitur, nec laus ad prolongandam vitam et contra morbos natura multo diuerſos, genio ſeculi noſtri accommodata eſt, quamuis vtrumque a ZWINGERO (*Miſc. nat. curioſ. ann.* 7. *p.* 18.), TOURNEFORTIO (*Hiſt. des Plant. de Paris vol.* 1. *p.* 362.) aliisque repetatur.

THEA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 412. *Gen. pl. p.* 269.

450. 451.

Pharm. THEAE BOHE *Folia.*

Thea Bohea; floribus hexapetalis LINN. *Spec. pl. p.* 714. *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 412. *Amoen. acad. vol.* 7. *p.* 236. *ſqq.* vbi monographia c. ic. HILL *exotic botany tab.* 22., adiudicante LINNEO, quem librum ego non vidi. THUNB. *Flor. Iapon. p.* 225. Chaa, herba in Iaponia C. B. qui ſub iſta cognitionis plantae infantia eam male inter vmbellatas collocauit. The Sinenſium ſ. Tſia Iaponenſibus BREYN. *exot. plant. Cent. p.* 111. cum icone absque flore, recuſa inter EIVSD. *Icon. rarior. plant. p.* 17. *tab.* 3. Tſja; Thea frutex folio Ceraſi flore Roſae ſylueſtris KÄMPF. *Amoen. exot. p.* 505. cum figura elegante ad partem inſerta Diſſertationi dictae LINN. inuerſa quoad latus forma, et BLACKWELLIAE *Herb. tab.* 352. ſed nonnihil diſtorta; et male in editione German. flores colore roſeo depinguntur, qui albi eſſe deberent. Conf. KÄMPF. *Hiſtory of Iapan. p.* 115. *tab.* 38. vbi eadem

icon, item *Append. p.* 1. *ſqq.* ſed addita figura mala ex herbario Iaponico. De The RANOUW *Kabinet der natuurlyke Hiſtorien* 1721. *P.* 5. *p.* 462. *tab.* 30. vbi frutex integer depictus; *tab.* 31. vbi multiplex magnitudo et figura foliorum apparet. The Tea-Tree: LETTSOM's *Natural Hiſtory of the Tea-Tree* cum icone omnium optima, ſed coloratio plus ſollertiae requiſiuit. Le Thee: FOUGEROUX DE BONDAROI in ROZIER *Obſervations et Mem. ſur la Phyſique tom.* 1. *p.* 326. *ſq. Avril tab.* 1. 2. praecipue huius *fig.* 1. Arbor exigua Iaponiae et Chinae.

Pharm. THEAE VIRIDIS *Folia.*

Thea viridis; floribus enneapetalis LINN. *Spec. pl. p.* 735. *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 412. HILL *exotic botany tab.* 22. (ad mentem Linnei). Green Tea: BLACKWELL *tab.* 351. quam ex nomine modo addo, delineatam ad exemplar ramuli a SLOANE ſeruati. The The verd REGNAULT *Botanique;* vbi eleganter depingitur ad exemplum horti R. Pariſ. ſed corolla ludit petalis quatuor, quinque quod ſuetiſſimum, vel ſex, coloris ſulphurei. Pariter nomine modo

modo inductus huius figurae hic memini. Arbor exigua, cui Chinam vnice patriam LINNEUS assignat.

Theam vtramque tanquam diuersas duas species hic sisto, non auctore LINNEO tantum, qui ipse fatetur (*Amoen. l. c. p. 238.*), se HILLIUM in discernendis iis pro numero petalorum dicto sequutum esse, sed quoniam in Britanniae Regis horto Kewensi duo diuersi frutices commonstrantur aduenis, hisce nominibus sicuti characteribus variis distincti. Ad testimonium viri quidem militaris, sed in re naturali sagacissimi (Maior GARDNER), mihi coram Gottingae datum, Thea Bohea ibidem seruata gerit folia scabra et saturatius viridia, Th. viridis autem folia glabra laete viridia. Qui in Anglia venales prostant frutices differunt etiam pretio, ita vt a. 1778. Londini Thea viridis constaret summam minorem (10 shilling 6 Pens), Thea Bohea autem maiorem (1 pound sterl. 1 shill. Vid. LUEDER *botanischprakt. Lustgärtnerey vol. 3. p. 22.* ex MALCOLM's *catalogue of Hothouse- and Greenhouse-plants* 1778.). Autoptarum est, emendare differentias specificas a LINNEO optimo suggestas, quum compertum sit obseruationibus,

numerum petalorum inconſtantem in Thea eſſe, quin a tribus ad nouem variare (LETTSOM *l. c. p.* 2. Conf. et ſupra facta citatio EX REGNAULTO), vnde et erroris accuſat cl. LETTSOM HILLIUM, quod duas diuerſas ſpecies botanicas aſſumſerit. Theae viridi adſcribit LINNEUS (*Spec. pl. cit.*) folia longiora, Boheae breuiora, vel, vti alibi profert, (*Amoen. l. c. p.* 237.) iſti oblongiora, huic oualia.

Prout in hiſce hiſtoria Theae manca eſt, ita et laborat etiam aliis defectibus, ſi diuerſitates iſtas varias Theae ſpectes, quibus ſingularia nomina impertiunt Chinenſes et cum iis mercatores Europaei, Indias orientales adeuntes, ſiue diſcrimina odoris colorisque, quorum omnium ratio nondum plane euicta eſt. Multum ſine dubio facit diuerſitas ſoli et ſtationis, aetas arborum, nec non foliorum ipſorum decerpendorum, vel iunior vel adultior aetas, collectionis ipſe modus tempusque, item, quando cultura accedit, eius ſollertia diuerſa. Sed ipſa praeparatio pariter magni ponderis eſt, cuius momenta ſingula nondum ſatis explanata ſunt. Nec plura nec certiora in longa iſta annorum ſerie innotuere, quam quae CLEYERUS (in BARTHOL. *Act. med. et philoſ. Hafn. vol.* 4. *p.* 1.. cum

cum icone omnium prima), TEN RHYNE (in *Append. ad* JAC. BREYN. *exot. pl. Cent. p.* 9.) demum KÄMPFERUS (*l. c.*), qui omnium vberrimus et accuratiſſimus eſt, nobis reliquerunt, quorum ſingulorum narratio vnice ad Theam Iaponenſem attinet, quae exigua modo quantitate a Belgis in Europam transfertur, nec ad Chinenſem, cuius potiſſimum res agi debet. Valde etiam probabile, quod, vt ingenii humani vis fert, temporum ſucceſſione varia in Theae gratiam et commendationem molimina mutata et in melius verſa fuerint. Id modo ſerius lucrati ſumus, quod botanica ſtirpis indago ad maiorem accurationem deducta fuerit, poſtquam propagandi eam varia tentamina ſucceſſum habuerint, et quod vires Theae in corpus humanum experimentis bene multis plus lucis obtinuerint. Cauſa lacunarum, in hiſtoria Theae adhuc obuiarum, in iſtarum gentium erga Europaeos inuidia continetur, qua ducti non ſolum eosdem ſollicite ab acceſſu ad interiora imperii arcent, ſed et ſtudioſe encheireſes celant, vel quod peius eſt, narrationibus ſuis maligne fallunt.

Vtne vero ſeries narrationis de Thea vera interrumpatur, praemittenda eſt earum plantarum

commemoratio, inter quas et Theam confuſio ſubinde facta fuit, tum et earum, quas ſubſtituendas illi operae pretium duxere.

SIMONEM PAULLI erraſſe, dum Myricam Galen cum Aſiatica iſta arbore eandem haberet, tempeſtiue conſtitit (Vid. noſter *App. medic. vol.* 1. *p.* 73.). Quae in hortis multis Europaeis pro Thea venditatur arbor, Caſſine Peragua L. eſt. Difficilior diſtinctio eſt a Camellia Saſanqua (THUNB. *Fl. Iapon. p.* 273. *tab.* 30.), quae vix niſi ſtaminibus baſi connatis, aliquando tamen et dehiſcentibus, a Thea differt. Ipſi Chinenſes imponunt Europaeis eadem ſpecie vel altera C. Iaponica L. (LINN. *Amoen. vol.* 7. *p.* 251.). Adduntur Saſanquae folia Theae ad odorem gratiorem illi conciliandum (OSBECKS *Reſa p.* 159.).

In Theae autem locum folia aliarum variarum plantarum ſubinde vel vere ſuffecta ſunt, vel ſufficiendi conſilium datum. Et ad haec quidem ſuaſit defectus Theae, vel parſimoniae cupido vel noxae cuiusdam ex Thea redundantis formido. Ipſis gentibus remotarum terrae partium ſuccedanea eiusmodi hinc inde familiaria ſunt. In America auſtrali Caſſine Peragua L.

(Para-

(Paraguaythee, Herbe de Paraguay, Herbe de Saint Barthelemy). Iſta nempe ſtirps nec Prinos glaber, nec Viburnum caſſinoides, contra quorundam mentem eſſe creditur, quae in ſyluis regni Paraguay ſponte quidem creſcit, ſed etiam cultura adiuuatur, et tantum in deliciis eſt, vt copia inſigni eius ramuli et folia magno cum lucro ad Chili et Peruuiam per mulos inter ſaccos ex pellibus bouinis transferantur (FREZIER *Voyage de la mer du Sud, tom.* 1. *p.* 443. *ſqq.* CHARLEVOIX *Hiſtoire du Paraguay P.* 1. *p.* 13. *ſqq.*). Melaleucae ſcopariae, fruticis nouae Zeelandiae, flores et ramuli floriferi recentes cum foliis tenellis in itinere COOKII ad inſulas auſtrales illi et ſociis itineris infuſum aromaticum leniter adſtringens exhibuerunt, ex prima infuſione gratum, ex altera moleſte amarum (FORSTERS *Reiſe um die Welt p.* 97. 151. *tab.* 11. Cfr. GEORG. FORSTER *de plantis eſculentis inſul. oceani auſtral. p.* 78.). Gallis in America placet decoctum Caprariae biflorae (Thé des Antilles). Alſtonia theaeformis, frutex Americae meridionalis, Theae ſimilis, ſimilem vſum promittit (LINN. *Suppl. pl. p.* 264.); et auctore cl. JUSSIEU Prinos glaber (FOUGEROUX in ROZIER *Obſerv. tom.* 1. *p.* 328.). Calmucci delectantur infuſo foliorum Glyzyrrhizae

aſperae (PALLAS *Reiſ. tom.* 1. *p.* 319.). Mungalenſes autem et Tartari Sibirici folia Saxifragae craſſifoliae exſucca tertio anno cauli adhaerentia eodem fine adhibent (*l. c. tom.* 2. *p.* 565. GEORGI *Reiſen tom.* 1. *p.* 215. FALKS *Beyträge z. topograph. Kenntniſs d. Ruſſiſch. Reichs vol.* 2. *p.* 177.). Ditiores tamen inter Mungalenſes et Burätos ad exceſſum vsque vtuntur Thea quadam in tabulas redacta (Ziegelthee), quae in ſeptentrionalibus prouinciis Chinae ex foliis fruticis cuiusdam feri, referentibus folia Ceraſi auium, aqua putreſcentibus, dein gelatina ſanguinis animalium miſtis paratur. Admiſcent fruſtulo eius liquefactae lac butyrum vel adipem caudae veruecinae, etiam tantillum farinae, imo ſalis alcalini (PALLAS *v. d. Mogoliſchen Völkerſchaften vol.* 1. *p.* 180. *ſq.*). In America ſeptentrionali Ceanothus Americanus (Jerſey-thee) a quibusdam loco Theae eſt. (KALM, *Kårt Berättelſe om Norra – Americas växter p.* 9. MÄRTERS in VON BORN *phyſik. Arbeit. eintr. Freunde* 1. *Jahrg.* 4. *Quart. p.* 35.). Chinenſes pauperiores ſub defectu verae Theae acquieſcunt foliis Rhamni theaezantis (OSBECKS *Reſa p.* 161. 232.), item muſco quodam (*l. c. p.* 161.).

Aſt

Aſt pluris intereſt, noſſe ſtirpes, quas Europaeis Theae ſubſtituere viſum eſt. Veronicae variae ſpecies huc pertinent, praecipue Ver. officinalis (Vid. *Appar. med. vol. 2. p. 206. ſq.*). Aliis placuerunt folia Roſae caninae (THOMASIUS in *Eph. nat. cur. cent. 3. et 4. p. 473.*), Fragariae, Pruni ſpinoſae, Rubi arctici, Liguſtri (*Vet. Acad. Handl. 1763. p. 253.*), Polygalae vulgaris (*Schleſ. oekon. Nachr. 1773. p. 99.*), Menthae, Meliſſae (*Leipz. Intell. Blatt 1768. n. 16.*), Origani vulgaris, Hiſpanis Chenopodii ambroſioidis (Thé du Mexique ou d'Ambroſie), Betulae albae; aliis alia (Conf. LOCHER *de nouis et exoticis Thee et Coffée ſuccedaneis, Norimb. 1717. 4.* item *Collegii med. Kungörelſe om det miſbruk, ſom Thee och Caffé är underkaſtadt, ſamt anviſning på Svenſka örter at bruka i ſtälle för Thee Stockh. 1746.*). In Helvetia commiſcere varias ſtirpes adſtringentes et aromaticas in vſu eſt, nomine Theae Helveticae ſ. Vulneraires de Suiſſe ſ. Faltranc, de quo alibi iam iudicium tuli (*Appar. med. vol. 1. p. 208.*). Mungalenſes praeter Saxifragam craſſifoliam indigenas varias ſtirpes colligunt (Vid. PALLAS *Samml. v. d. Mongoliſchen Völkerſchaften vol. 1. p. 181.*).

Sed quicquid horum ſit, equidem fateri cogor, harum omnium plantarum nullam gratia exaequare Theam veram, ne dicam antecellere, et varias harum e numero eſſe, quae ob calidam ſuam naturam pro vulgari vſu longe minus commodae exiſtant, quam iſta. Anne vero in vniuerſum praeſtaret proſcribere vſum potus eiusmodi calide bibiti, alia quaeſtio eſt, infra ſub incudem reuocanda.

THEH Chinenſibus, ſiue TSJAA Iaponenſibus (ex ſcriptione KÄMPFERI), eſt arbor ſemperuirens exigua, humanam ſcilicet, vel orgyalem magnitudinem vix ſuperans, vnde quibusdam quoque fruticis nomine venit. Sponte creſcit iis in regionibus, vnde folia repetuntur, et ſaepe in declivibus montium et locorum praeruptorum, vnde collectio foliorum fieri non poſſet, niſi vel per gradus effictos ſiue ſuſtentacula exſtructa acceſſus leuaretur, vel per baculum vncatum rami deorſum traherentur, vel, ſi locus elatior eſt, ſimiae montoſa inhabitantes vario molimine irritarentur, quae in ſui vindictam ramos diffringunt et deiiciunt, ex quibus tum folia decerpuntur; quae adiumenta paſſim picturis Chinenſium repraeſentantur

(LETT-

(LETTSOM *l. c. p.* 19. 23.). Delectatur vero praeterea ſtatione in vallibus et ad ripas fluuiorum. Quo autem folia tanto plus gratiae nanciſcantur, in colenda arbore ſedulo operam collocant. Iaponenſes eum in finem agrorum margines eligunt, in quibus ſemina plura intra ſuas capſulas adhuc recondita (40 ad 50 teſte cl. TEN RHYNE *l. c. p.* 9. vel 6 ad 12 teſte KÄMPFERO *Amoen. p.* 612.) per modica interualla ſingulis foli ſcrobiculis immittunt. Numerum tantum ſeminum intra eosdem cancellos ſerere ideo opus eſt, quod pleraque germinare detrectant. Vnde tamen fit, vt plures trunci eodem loco emergant. Chinenſes ob largiorem foliorum conſumtionem totos campos plantationi arborum impendunt (LETTSOM *l. c. p.* 16.). Studioſiores domini terra ſimo ſubacta easdem fouent.

Collectio vero foliorum differtur, donec triennis arbor euaſerit, iſtaque continuatur ad ſeptimum vel decimum annum vsque, quo temporis ſpatio, quoniam parcius frondeſcit, truncus prope radicem amputatur eo effectu, vt ex ſurculis copioſis tum exſurgentibus frondium tanto vberior prouentus fiat (KÄMPFER *p.* 612.). Decerpuntur digitis

digitis folia ſingula ſeorſim conductis mercenariis labori huic aſſuetis, initiumque eius fit ad exitum Februarii vel Martio menſe ineunte, quo tempore tenella nondumque explicata exſtant, ſimul vero praeſtantiſſima. Secunda collectio fit ad finem Martii vel Aprilis initium, et tertia menſe ſubſequente, niſi pluris intereſſe videatur, totam meſſem ad vltimum dictorum menſium differre. Sed tum accedat oportet foliorum diſpertitio ſollers pro aetate varia; vnde tres bonitatis claſſes emergunt, quarum vltima folia bimeſtria et rigidiora in vſum plebis comprehendit (KÄMPFER *l. c. p.* 614.). Vix operae pretium eſt, hic operoſius iſtud in colligenda Thea, Imperatori Iaponenſi dicata, ſtudium diſcutere, quod in abſtinentia a quibusdam cibis et lotione protracta praeuia et chirothecarum indutarum adiumento conſiſtit, nec aliam vtilitatem habet, quam quod ſumtus creſcant, prout principum fere eſt naturae dona ob vana artis ludibria absque virtutis augmento cariſſimo pretio redimere. Auulſa folia, quantocyus fieri poteſt, torrenda ſunt, eodem die, quo decerpuntur; nam, ſi id in ſubſequentem diem differtur, nigreſcunt et iactura virtutum fit; nec in cumulo ſeruari debent, ne vitioſe incaleſcant.

leſcant. A pauperioribus toſtio fit absque magno apparatu in lebete fictili rudique manu. Verum, vt aptius fiat, officinae publicae, quibus et ruſtici folia ſua vendere poſſunt, adornatae ſunt, in quibus exſtructae aliquot fornaces humiles, 5, 10, 20, tectae ſartagine ferrea ampla, plana, quadrata vel rotunda, altera parte decliui. In hancce aliquot foliorum librae ſimul immittuntur, quae ex ſubſtrato igne inſudant et ex attactu ferri crepant. Verſari autem ambabus manibus ſedulo folia debent, vt aequalis toſtio contingat, donec calorem manus amplius non ferant. Tum mox eximenda ſunt ope rutabili lignei, ac in tabulam aulaeis iunceis tectam palma volutanda motu vniformi, quo folia ſeſe contorqueant, donec refrixerint, quo vt potiantur fine, flabelli ventilatio accedit. Ne vero iterum dehiſcant, ſed ſenſim omnino areſcant, alternis vicibus aliquoties, ſcilicet quinquies vel ſepties, in ſartagine et tabula volutantur, vltimis tamen vicibus leuiori et mitiori igne. Remotis foliis vel inconcinne contortis vel aduſtis, de conſeruatione reliquorum cogitandum eſt. Attamen quo tanto tutius omnis humiditas abigatur, aliquot menſes poſt ex ſuis loculis iterum eximuntur, et de

nouo

nouo leniter torrentur. Mentio et fit foliorum primae collectionis, quae ante toſtionem breuiſſimo temporis ſpatio bullienti aquae immergantur (KÄMPF. *Amoen. p.* 618.). Vnde enata falſa apud Europaeos opinio, quod Chinenſes nonniſi folia, quae ipſi in potulentum iamiam vertiſſent, effoeta transmitterent. Vix crediderim, encheireſin hanc in vniuerſum fieri; prout et dubito, an ſemper folia ſecundae et tertiae collectionis vaporibus aquae calidae exponantur, antequam ad toſtionem res deuenerit (Ita quidem aſſeritur in *Hiſtoire des etabliſſemens des Européens dans les Indes, tom. 2. p.* 218.). Summum in conſeruatione momentum eſt, vt iacturae partium volatilium ſollicite praecaueatur, et Thea nullum alienum odorem contrahat. Iaponenſes ideo Theam indunt ollis magnis fictilibus arcto orificio inſtructis vel et murrhinis. Chinenſes vtuntur ciſtis ex ſtanni vilioris laminis, quae, ſi maiores ſunt, firmantur ligneis, omnesque harum rimae intrinſecus et extus charta tenui obducuntur (KÄMPFER.). Subinde plures pyxides in receptaculo communi reconduntur. Quo pretioſior Thea, eo plus ornamenti ciſtis vel pyxidibus extrinſecus impertiunt coloribus, characteribus picturisque variis, tela ſericea,

vel

vel florum figuris adglutinatis, vel arundine artificiose texta, qua totam ciſtam obducunt. Vidi tamen quoque ciſtas ex mera charta pluries conglutinata, denſa (Pappe) paratas, quae tamen non tam aptae mihi videntur ad ſcopos conſeruationis modo dictos aſſequendos. Hiſce quidem praeſidiis ſeruata in Europam, vel nauibus, vel terreſtri itinere per Ruſſiam, Thea transuehitur.

Praeter vulgatiſſimam autem iſtam foliorum contortorum formam aliquando et aliis offenditur. Nempe nonnunquam folia maiora explanata et ſiccata colligantur filo ſericeo, faſciculi in modum, dein chartae immittenda (OSBECKS *Oſtindiſka Reſa p.* 159. Conf. figura eiusmodi faſciculi in ROZIER *Obſervations et Mem. l. c. tab.* 2. *fig.* 6.) ad librae dimidiae vsque pondus (OSBECK), quae Thea autem vix niſi itinere terreſtri integra transmitti poteſt. Subinde ſpeciem placentae prae ſe fert, quae charo pretio venit, ponderis circiter vnciarum duarum (OSBECK. LETTSOM *l. c. p.* 27.). Rotatur et aliquando in globulos magnitudine piſi vel minori (LETTSOM *l. c.*). Item extractum ex foliis parant, quod placentarum forma vel cylindrica ſeruatur (OSBECK. FOUGEROUX *l. c. p.* 336.).

Iaponen-

Iaponenſes delectantur puluere foliorum, mola manuali verſatili contritorum (KÄMPFER), nec in quibusdam Chinae prouinciis iſte pro potu negligitur: (DU HALDE).

Res tricarum plena eſt, ſpecies omnes diuerſas Theae, quae in mercatura obuiam veniunt, enumerare, et cauſas diſcriminum explicare. Quin ne duae quidem iſtae, ad quas reliquae omnes tanquam ad diuerſa genera reſpiciunt, Thea Bohea et Thea viridis, ita quoad originem cognitae ſunt, vt conſenſus communis obtineret. Notum eſt, Theam Boheam colore foliorum profundius bruno, viridem colore viridi vel magis vel minus in coeruleum vergente et odore magis fragrante, diſtingui, quae diſcrimina et in infuſis recens factis obſeruantur. Vndenam vero iſta foliorum viriditas, in quibusdam Theae ſpeciebus conſpicua? Ab arbore ſpecie adeo botanica diſcrepante ſi, ad recentiorum quorundam mentem, vt ſupra iam innui, eandem dependere extra omne dubium ponatur: cadent ab aliis prolatae multiplicis generis, partim ingenioſae, explicationes. Etenim eſt, qui coniecit (OSBECK *l. c. p.* 160. In *Hiſtoire philoſophique et politique des etabliſſemens*

et

et du Commerce des Européens dans les deux Indes, tom. 2. p. 218. etiam mentio fit ſartaginum cupearum, etſi non ſtatuitur inde viredine ſua Theam tingi), pro viridi Thea vſtulationem foliorum in ſartagine cuprea fieri, pro altera in ferrea. Aſt, vtne dicam, neminem praeterea Europaeorum, qui in patria Theae ſollertius in eiusdem praeparationem inquiſiuerunt, hocce artificium commemorare: nulla cupri latentis veſtigia alcali volatili in Thea viridi deteguntur, quo ſcilicet adhibito infuſum huius Theae mox coeruleſceret. Magis adhuc lubrica eſt coniectura, (e. c. cl. SHORT *upon Tea p.* 16.), quod adderetur Vitriolum viride, vtquod, quoniam ferrum continet, nigredinem potius, quam virorem, foliis impertiret. Pigmentum viride vegetabile addi, alius hariolatur (LETTSOM *l. c. p.* 29.). Circa fragrantem odorem, qui in Theae ſpeciebus vendibilibus mirifice diſcrepat, noua exſurgit dubitatio, vtrum naturalis ſit, an factitius, quum in recentibus foliis nullus ſentiatur: ſunt tamen varia vegetabilia, quae nonniſi exſiccata odorem ſpargunt. Non teneriora vel aetate iuniora eſſe folia Theae viridis, quam alterius, explicatione eorum in aqua calida facile cognoſcitur, vtqua ipſa in magnitudine nihil

diſcriminis obſeruatur. Quae primo collectionis menſe, et quidem duorum vel trium dierum aetatis, decerpuntur folia tenella ſunt, nec plane expanſa (Vid. FOUGEROUX *l. c. tab. 2. fig. 7.*). Haec pretioſiſſimam Theam conſtituunt, vnde *Thea caeſarea* vel *Flos Theae* (*Blumenthee*) dicitur; quod proxime ſignificatum nomen quibusdam impoſuit, vt petala arboris vera crederent. Quoniam autem haec exilia folia etiam immixta aliis ferioris meſſis inueniuntur, ſollicite ex reliquorum connubio in lucri fauorem ſeliguntur. Taedet inhaerere nominibus diuerſis, quibus Theae ſpecies mercatura inſignit. Iaponenſes diſtinguunt primum Theam variis denominationibus pro diſcrimine menſium collectionis. Chinenſium nomina rationem habent vel bonitatis Theae, vel locorum, vbi arbor culta fuit; horumque varietatem itineratores (Vid. cl. DU HALDE *Deſcription de l'empire de la Chine vol. 3. p. 586. ſq.* et OSBECKS *Oſtind. Reſa p. 158. ſq.*) enumerant bene multam. Contrahi poſſunt nomina ad eas ſpecies, quae in Europa vſitatiores ſunt, ex China translatae (V. NEUMANN. *Chymie vol. 2. tom. 4. p. 422.*), ſcil. ad tres Theae VIRIDIS, nempe *Bing; Hy-tiann; Singlo;* — et quinque ſpecies Theae BOHEAE, nempe *Soochuen; Camlio;*

Camho; Congo; Pecko; et vulgarem Boheam, Chinenſibus *Moji.* An horum omnium diſcrimen modo dependeat a ſolo, cultura, aetate foliorum, toſtionis et ſiccationis eorum diuerſa encheireſi, prout multi ſentiunt (Vid. e. c. ELLIS in *directions for bringing over ſeeds and plants from the Eaſt-Indies*, *Verſ. Germ. p.* 44. LETTSOM *l. c. p.* 7.), venturae aetatis eſt omnino diſcutere.

Multa tentamina facta ad hanc plantam in Europam transferendam, partim vt botanicis melius innoteſceret, partim vt exploraretur, an plantationibus lucrum, Chinenſibus hactenus tributi quaſi inſtar collatum, eripi poſſit. Duplex eſt ratio, eandem transmittendi vel per fruticulos, vel per ſemina. Non omnis deeſt mercatoribus opportunitas eiusmodi arbuſculas in commoratione apud Chinenſes emendi, licet ſubinde illi aſtute Camelliam ſupponant: ſed in reditu in patriam per tantam locorum diſtantiam agitatio nauis, mures, defectus commodi cultus, morbi, tantum non omnes perdiderunt (Vid. eiusmodi exempla in OSBECKS *Reſa p.* 265. et LINN. *Amoen. vol.* 7. *p.* 251.). Maior igitur ſpes ſucceſſus eſt, per ſemina Theam propagandi. Nuda intra capſulas

ſuas translata, etiamſi matura, germinare detrectant, quoniam oleum, quod ineſt, copioſum duplici per aequatorem tranſitu ſubito ranceſcit. Praeſtat eadem obuoluere cera (ELLIS *l. c. p.* 5.); attamen magis proficuum eſt, ſemina non nimis humida cum capſulis ſuis pyxidi ex Stanno et Zinco, Theae ſiccae alias deſtinatae et papyro ſericeo probe intrinſecus obductae, immittere, eamque tum charta dicta repletam operculo ſuo rite obturare locoque frigido et aëre perflato ſeruare (ELLIS *p.* 7.). Reliquis artificiis praeferendum eſt, quod ſemina mox ante nauis e China diſceſſum in ampulla terrae mandentur, quo in itinere, poſtquam nauis aequatorem praeteruecta fuerit, germinent. Hoc conſilio, cl. nauarcho Suecico CAROLO GUSTAVO EKEBERG ab Equite A LINNÉ dato, contigit, vt copia plantularum Gothoburgum transferretur, e quorum numero duae vegetam vitam in horto Upſalienſi duxerunt (LINN. *Amoen. l. c. p.* 251.). Ab hacce arte non differt multum haec, quod Cantono valedicentes ſemina terrae leui intra ciſtam, filo metallico ad arcendos mures aliaque noxia animalia ſupra munitam, immittant, et in iuſto madore et tutela a maris vaporibus ſeruent (LETTSOM *l. c.*

l. c. p. 34.). Huic encheireſi originem ſuam debent pleraeque plantae iam in Anglia obuiae, quarum omnium prima floruit arbor in fundo Ducis Northumbriae. Propagatio ibidem et per abſciſſos ramos fit; et tam facilis deprehenditur, vt, quum ante aliquot annos hortulanus GORDON pro magna et bene florente arbore centum Guineas poſceret, iam valor arborum Theae in Anglia valdopere decreuerit (FABRICII *Briefe aus London p.* 130.). Ex arbore, quae olim Caſellis floruit, ramuſculum poſſideo, flore vno inſtructum, in quo ſeptem petala numero. Sub dio hae arbores per aeſtatem tuto collocantur, hieme autem eas hactenus in frigidariis ſeruare oportuit. Si porro perpenditur, non circa Cantonum modo ſed et ſeptentrionali magis climate, cui Pekinum, vbi hieme frigus valde moleſtum eſt, ſubiacet, Theam vigere: ſpes omnino alitur, in Europa pariter nominatim in calidioribus regionibus, cum lucro coli illam poſſe. Anglos deterret merces nimia, quam operarii ſibi vindicant, forſitan tanto iuſtius, quum ipſa Chinenſium laborioſa gens taedii plenum nec valde lucroſum laborem iudicent Theae collectionem et praeparationem. Hinc in Anglia non dubitarunt, Gallis arbuſculas

ibidem obuias vendere, dum nuper easdem in insulam Corsicam transferre animus esset. Galli iam inde a plurimis annis in insula Martinica plantationes Theae instituisse feruntur, multique ibidem eam suis in hortis colere dicuntur, nec libra dimidia foliorum ibidem collectorum in Galliam transmissa ab Asiatica differre pretio visa est (*Nouvelles considerations sur St. Domingue vol.* 1. *p.* 177.). Anne hoc potius de Capraria biflora valet?

Potatio aquae, Theae foliis impraegnatae, a Iaponensibus, vel potius ob vberius commercium a Chinensibus, ad reliquas gentes tam Indiae quam aliarum mundi partium transmigrauit. Quidnam autem primum istos ad singularem eiusmodi consuetudinem prouocauerit, et quo anno illa primum inualuerit, enucleari nequit. Chinensium animos permulcet fabula de quodam Darma, Indorum Regis filio, a. 519. post Christum natum in Chinam appulso; qui quum, religioni totus deditus, noctes pariter ac dies peruigil transigeret, tandem humanae imbecillitati succumbens obdormiuit, quod nefandum violati voti facinus vt expiaret, resecuit eiusdem instrumenta, palpebras vtriusque

vtriusque oculi, et in terram iratus proiecit, vnde arbuſculae prognatae, Thea ſcilicet, cuius foliis quum vteretur, mira laetitia affectam mentem ſenſit et reſtauratum egregie exſuccum ieiuniis peruigiliis aliisque ſanctitatis documentis corpus. Haſce egregias virtutes quum enarraret diſcipulorum ſuorum cohorti, communi applauſu et vſu folia recepta fuere (Effigies ſancti viri exſtat in KÄMPFERI *Amoen. p.* 509.). Veroſimilius eſt, Chinenſibus primum Theam commendabilem fuiſſe redditam vi eius in corrigenda aqua, quae per totum fere imperium et praecipue eiusdem inferiorem partem ſalſa, ingrata, nec valetudini ſatis commoda eſt (LE COMTE *Memoires ſur l'etat preſent de la Chine, tom.* I. *p.* 193); nec potuit non inter quotidianas huius potus ſorbillationes vna vel altera medica virtus ſeſe manifeſtare, quam dein vel falſa perſuaſio vel male intellecta aliorum narratio vel fama eundo creſcens ad portenta fere euexit. Remotis gentibus, pro ea hominum in exterorum mores procliuitate, non mirum quod Thea placuerit, nouaque lenocinia dedit ſuppellectilis vaſorum ex pretioſis metallis fabrefactorum vel murrhinorum varietas, et additamentum varium ſub potu palato gratificans. Iam

per omnes totius orbis cultas gentes Theae forbillatio in consuetudinen transiit. Alere illam callide per tot annos nouerunt, qui ex mercatura in Indiam orientalem commoda quaerunt; hinc et apud eas gentes praeprimis in vsu est, quae mercatura cum India iunguntur. Belgae paullo ante medium praeteriti seculi primum Theam Europaeis instar mercis attulerunt eamque ex Iaponia petitam. Sed postea China fere omne venditionis lucrum sibi vindicauit, ad cuius vrbem, Cantonum, quotannis numerosae Europaeorum naues appellunt. Non mearum partium est disquirere, vtrum dispendium tantae copiae argenti, quae quotannis pro Thea aliisque mercibus Chinensibus ab Europaeis soluenda est, fortunas eorum labefactet, quum China prouentus alios aduenarum quoslibet spernat, anne potius haec mercatura valorem, in quo argentum inter gentes commerciis deditas ad neruum rerum gerendarum alendum conseruari debet, sustineat, vt quidem alii volunt (ABRAHAMSON GRILL'S *Tal om silfvers årliga förande til China* 1774.). Omitto et computum expensarum, quas hic ipse potus non pro Theae foliis solum, sed et saccharo, lactis cremore, igne, suppellectili, sibi vindicat, pauperiori-

perioribus haud parum moleſtarum, quarum ſequelas damnum ex iactura temporis longe ſuperat. Mihi ſufficiet, Theae in corpus humanum effectus curatius enodare. Quod vt fiat; ſedulo diſtinguendum eſt inter vires foliorum ipſorum et infuſi eorum calide et ſub vario gulae placentium additamento poti.

In naturali ſtirpium ſerie Thea inter columniferas et tricoccas medio quaſi loco comparet. Quae cum tricoccis cognatio eandem ſuſpectam reddit; accedit, quod polyandris annumeretur, quarum haud paucae naturae humanae infeſtae ſunt. Aſt, ſiquidem ſubſidiariam modo opem in diiudicandis ſtirpium viribus affinitas exhibet: experimentis potius inſiſtendum eſt. Guſtatus in Thea auſteritatem inſignem cum amaritie iunctam mox reuelat, odoratus autem fragrantiam modo fortiorem modo debiliorem. Adſtringentem naturam Theae confirmat exploratio cum Vitriolo martis, quippe cuius ſolutio infuſum Theae ſaturatum colore ſaturate purpureo (LETTSOM *p.* 39.) vel nigredine imbuit. Hac ipſa decoloratione proxime ad Gallas et Biſtortam accedit, et vtraque Thea hoc momento eiusdem efficaciae eſt

(PERCIVAL *Eſſays medical and experimental, vol.* I. *p.* 119.). Perinde quoque eſt, vtrum infuſum ſit frigidum an calidum (PERCIVAL *l. c. p.* 91.). Acetum vini autem inſtillatum minuit nigredinem et colorantes particulas plurimam partem in fundum deiicit; diſpellitur nigredo perfecte oleo Vitrioli inſtillato et infuſum clarum euadit. In cutem vitulinam recens detractam tantum valet infuſum frigidum, vt eandem induret et criſpet (*l. c. p.* 123.). Quae communis ſolet eſſe adſtringentibus antiputredinoſa vis, haec in Thea haud exigua eſt. Vtriusque infuſo caro bouilla per ſeptuaginta horas contra putredinem munita eſt, quum retenta in ſimplici aqua iam intra quadraginta putreſceret (LETTSOM *l. c. p.* 39.). Diutius arcetur putredo, ſi infuſum frigido loco retinetur, quam calido, vt experimento cum carne ouilla conſtitit (PERCIVAL *l. c. p.* 121. *ſq.*). In comparandis amaris variis ſtirpibus, proximum poſt Gentianam, Abſynthium, Rutam, vtraque Thea locum occupat (*l. c. p.* 119.). Id vero, quo praecipue fautoribus ſuis arridet, et quo plurimum in corpore humano Thea patrat, ſunt partes odorae, quae non modo naribus Theae ſiccae admotis, ſed et ſub infuſionem calidae aquae

aquae per conclaue, ſentiuntur. Theae viridi vberius hae inſunt, quam Boheae: attamen et delicatiores huius ſpecies iisdem non deſtituuntur.

Deſtillatione largae copiae Theae viridis, ſcilicet librae dimidiae cum aqua factae elicitur aqua valde fragrans et pellucida nullo oleo inſtructa, adſtringens; reliquum liquidum inſpiſſatione extracti amari ſtiptici, leuiter modo odori, vncias quinque et dimidiam ſiſtit (LETTSOM *p.* 40.). Aqua iſta odora in cauum abdominale ranae et membranam celluloſam iniecta paralyſin cruris alterutrius poſterioris excitauit, et iacturam vniverſalem motus ſenſusque (LETTSOM *p.* 40.); et alio experimento applicatio huius aquae ad neruos iſchiaticos ranae intra ſemihoram extremitates poſteriores paralyticas reddidit, et intra horam rana mortua eſt (*l. c. p.* 41.). Neutrum accidit ex iniecto vel applicato liquido altero, vel extracto ſoluto (*l. c.*). Comparatio horum experimentorum perfecte euincit, odoras vnice partes neruorum et cerebri vim deleuiſſe, quin in aliis binis (a cl. SMITH recenſitis in *Diſſ.* eiusd. *de actione muſculari Append. experim.* 36. *a. b. recuſ.* in *Theſ. medic. ſ. Diſpp. acad. Edin. tom.* 3. *p.* 113.), in quibus infuſum

infuſum Theae viridis neruo crurali ranae, item alius muſculis tibiae, adhibebatur, ſenſus motusque partium affectarum ceſſabat. Sub connubio reliquarum partium Theae dubium ſupereſſe adhuc poſſet, quales praeciſe infeſtae fuerint. Iaponenſes et Chinenſes huius Theae in ſyſtema neruoſum et muſculoſum effectus probe gnari, ipſi non audent Theam ante elapſos decem vel duodecim menſes poſt eiusdem praeparationem ſorbillare, niſi ad minimum vetuſta Thea admiſceatur (KÄMPF. *Amoen. p.* 626.). Nam licet toſtione et ſiccatione foliorum multum harum partium pereat et immerſio foliorum in aquam item aſcenſus vaporum aquae feruentis haud exiguam earum copiam diſpellat: non tamen tantum infringitur quae ineſt, noxia vis, quin praecocius largiori copia pota, capiti iniuriam faceret et tremorem artuum induceret. Huic cauſae adſcribas, quod vir mercaturae Theae operam nauans, poſtquam odoratu centum ciſtas Thea repletas exploraſſet, die poſt vertigine, cephalalgia, ſpaſmis vniuerſalibus cum iactura loquelae et memoriae, corriperetur, et, licet leuatus, poſtea tamen ſenſim paralyticus et eneruatus vita decederet; et in alio protractum in examinandis et commiſcendis Theae variis

ſpeciebus

ſpeciebus negotium cauſa probabilis apoplecticae poſt praegreſſam vertiginem mortis exſtitit (LETTSOM *l. c. p.* 47.). Praeſto quoque ſunt exempla haud pauca hominum in hac re occupatorum, qui ex ſubtili puluere diſperſo haemoptyſin et haemorrhagias narium perpeſſi ſunt, vel violentam tuſſim in phthiſin tranſeuntem contraxerunt. (ID.).

Plura hiſce ſimilia incommoda haud raro ex potata Thea percipiuntur, quorum culpa in aquam calidam vel alia potui huic admixta facile coniiceretur, niſi experimenta modo dicta fontem detegerent. Potationis Theae non vnus modus eſt. Iaponenſes praecipue, nominatim notabiliores et ditiores, contrita in puluerem folia, quantum eius apex cultri capit, cyatho immittunt illique tantum aquae calidae ſuperfundunt, vt pulpa inde euadat, quam rutabuli agitatione ſpumantem feruide ſorbillant (KÄMPF. *l. c. p.* 614. 624.). Nec Chinenſibus haecce ratio ignota eſt (DU HALDE *l. c. p.* 589.). Eſt quaedam vilior Theae ſpecies, quam ſacco incluſam vel corbe quadam ad fundum depreſſam in aheno ferreo coquere Chinenſes ſolent, quoniam fixiores partes continet, quam

quam vt infuſione erui poſſent, et de qua ad reſtinguendam ſitim cuilibet domeſticorum pro arbitrio bibere licitum eſt. (KÄMPF. *l. c. p.* 625.).

Aſt maxime vulgare eſt, infuſione aquae feruidae Theam potui idoneam reddere, quem Chinenſium morem vbiuis in occidentalibus terris receptum eſſe, inter omnes conſtat. Sic iacturae vaporoſarum Theae partium tanto magis parcitur. Chinenſes ſemper eadem vtuntur absque ſaccharo et lacte (OSBECK *l. c. p.* 196.). Exterae gentes prius ſaltim tantum non ſemper addunt. Hiſce additamentis nouae exſurgunt vires, a Thea ſola non deducendae. Non deſtrui partes iſtas, ſentiendi et motus organis inimicas, infuſione feruentis aquae, creberrimis exemplis effectuum apud eos, qui liberalius Theam praecipue viridem delicatiorem, vel Boheam fragrantiorem, ingurgitant, edocemur. Praeſtantiſſimus WHYTT (*Works p.* 641. *ſq.*), quem nouimus neruoſis affectionibus valde obnoxium fuiſſe, de ſe ipſe narrat, ſe ex mane bibita Thea ſaturatiori, ventriculo praecipue vacuo, inſignem debilitatem ſenſiſſe, pulſum celeriorem inde euaſiſſe et ſaepe vertiginem enatam. Similem caſum cl. LETTSOM (*l. c. p.* 45.) de alio

alio medico ſiſtit, qui ex Thea ante meridiem pota cibi appetitum omnino amiſit, ex potato autem vel vnico poſt meridiem cyatho praeterea peruigilium aliquot horarum ſubſequente nocte contraxit, quum contra ea aquae calidae cyathus cum ſaccharo et lacte nihil omnino incommodi illi pepererit. Ipſe memini, ante plures annos quum ſenſilitate neruoſa ſingulari et debilitate ventriculi correptus eſſem, Theam viridem pretioſiorem me bibiſſe, quae, licet modice nec ſaturate valde ſorbillata, paullo poſt tamen ebrietatis ſenſum, memoriae imbecillitatem et languorem inſuetum cum diſplicentia rerum obuerſantium per tempus in me creabat. Praeter dicta mala creberrime obtingunt mox poſt ingeſtam Theam ingrata animi ſenſatio, anxietas et oppreſſio pectoris, flatus, tremor artuum, triſtitia et in aliis rurſus hilaritas inſueta. Quin nonnunquam abuſum manifeſtae conuulſiones excipiunt. Pluries haſce in membris inde enatas obſeruauit cl. GEOFFROY (*Mat. med. Traité tom. 3. p. 37.*). Singulari caſu malum hyſtericum, cum terribilibus conuulſionibus iunctum, vnice neglecto Theae conſopitum (JAMES *Diſp.* 455. apud LETTSOM). Pertinet huc exemplum puellae exiguae ex infuſo Theae nimis ſaturato

ſaturato epilepſia correptae (TODE *med. chir. Bibl.*, *tom.* 7. *p.* 199.). Sed hiſce praeſertim obnoxii ſunt, qui morboſa quadam ſenſilitate et irritabilitate laborant, vnde hacce ſublata alio tempore eadem Theae ſpecies et aeque ſaturate et copioſe ingeſta impune ferri poteſt; et nonnulli, niſi modum excedant, nihil incommodi percipiunt. Sub iſta igitur corporis diatheſi Thea tanto magis noxia eſt, et eandem manifeſte peiorem reddit. Quo minus vaporoſi Theae ineſt, tanto minus ab ea hocce nomine metuendum eſt. Hinc Thea per mare transmiſſa altera, itinere terreſtri ad nos delata, magis ſalutaris eſt; hinc Thea Bohea magis confert viridi; hinc praeſtat decocto ex Thea, quam infuſo, vti; hinc confert, primam infuſionem negligere, et poſteriores modo adhibere; hinc infuſum tepens vel frigefactum minus nocet calido; infuſum dilutum minus forti; nec mala iſta neruoſa exſurgerent, ſi Thea ex ſolutione extracti pararetur. Et quoniam vacuo ventriculo in neruos eiusdem tanto liberior actio, multi Theam tum non ferunt, quibus alias nullas moleſtias ciet. (Vtilis admonitio cl. BUCHAN in *Domeſtic medicine* *p.* 71.). Sed ſpernit eiusmodi conſilia gula, cuius lenociniis victima tot aliis momentis valetudo humana

humana euadere ſolet. Et quibus Theae potatio in deliciis eſt, eandem recens infuſam pluribus cyathis, quam fieri poteſt, feruide bis per diem quin crebius ingurgitant. Debilitanti tum Theae ipſius per odoras partes naturae, vitio calidae aquae, nouae vires adduntur, et quicquid roboris fibrarum alias ab adſtringente eius efficacia exſpectari poſſet, omnino deſtruitur. Nec mirum, quod protracto per longum tempus hocce abuſu vel in conſuetudinem quotidianam abeunte, fibrae ventriculi totiusque corporis relaxentur, vaſorum actio vegeta in humores torpeat, ſanguis aquoſis partibus oneretur et vitioſe diluatur, inſudatio violenta iacturam multorum proborum humorum efficiat, neruorum inſuper imbecillitas inſignis et oſcillatio muſcularium fibrarum vel minimo ſtimulo obſecundans generetur. Thea igitur multiplicis iſtius malorum generis, quod affectiones neruoſas appellant, mali hypochondriaci, hyſteriae, item calòroſeos, fluoris albi, foecunda mater eſt. Calore quoque dentibus infeſta; fragiles, nigros, carioſos reddit. Sponte itaque liquet, quam male ſanitati conſuluerit CORNELIUS BONTEKOE (*Traktaat van het Excellenſte Kruyd Thee* 1679.) commendando ad finem praeteriti ſeculi Theae potum vberiorem

ad centum vel ducentas patellas per diem, falſa opinione perſuaſus, quod ad arcendos morbos tenuitati ſanguinis ſummopere ſtudendum eſſet. Theae iſtud conſuetum apud Europaeos connubium, ſaccharum et lac, ad viroſas iſtas Theae foliorum particulas infringendas idoneum eſſe, analogia ſuadet. Vtrumque tamen copia nociuum eſſe poteſt, iſtud acido et muco, quae in primis viis generat, hoc oleoſa ſua natura, praecipue ſi, vt vulgo ſolet, cremor eius adfunditur.

Eo, quo vſurpari vulgo ſolent modo, Theae folia vix per ſe aliquod commodum medicum afferunt; ſed quicquid boni patrant vehiculo, quo excipiuntur, tribuendum. Aliter ſentiendum eſſet, ſi in puluere, vel extracto, vel decocto eoque praecipue frigido, ingererentur, quibus formis vel a volatili principio vel ab adſtringente vires quaedam ſalutares exſpectari poſſent. Sunt tamen, qui efficaciam quandam Opio ſimilem ipſi infuſo fortiori adiudicant, et ſedatiuum ideo illud praedicant, quod ataxiam ſpirituum compeſceret, ſtimulum in ardentibus et inflammatoriis febribus debilitaret, peruigilia ſedaret (PERCIVAL *l. c. p.* 129. et hoc praeeunte LETTSOM), et vel ea efficacia

efficacia ſudorem pellere arbitrantur (LETTSOM). Euidentius vis Theae medica eluceſcit experimentis, quibus ſola capta, fuit, quorum tamen pauca mihi nota ſunt. Triginta ſcilicet grana Theae viridis pretioſioris, in puluere ter vel quater de die capta, per interualla totidem horarum debilitatem ſolidorum et decrementum caloris et peruigilii effecerunt, et tranſpirationem cutaneam mouerunt. Nauſea ſi ex ea vel maiori doſi ſubſequitur: tanto certius tranſpiratio contingit, et mitigatio ſymptomatum inflammationes comitantium. Doſis ſi in duplum augetur, increſcit nauſea et aegritudo (ſickneſs) et ingratus ſenſus vel pondus circa regionem ventriculi percipitur, quod plerumque aluo laxa diſparet (LETTSOM *l. c. p.* 60.). Vis iſta Theae anodyna confirmari etiam videtur efficacia maſticatae Theae viridis in curanda cardialgia, praecipue grauidarum foeminarum (BUCHAN'S *domeſtic Medicine p.* 456.). Id verum eſt, ſiue id a Thea ipſa, ſiue aqua calida deriuandum, homines neruoſis iſtis affectionibus correptos temporarium plerumque lenimen ſentire et hilaritatem animi per tempus concipere ſolutis quaſi a balneo interno ſpaſmis, prout vis balnei calidi externi in ſpaſticis morbis iam dudum explorata

eſt; quod quum Theae potatores aliquoties in ſe ipſi experti ſint, noua quotidie incitamenta ad iterandas ſorbillationes Theae reperiunt, incurii ſequelarum funeſtarum. Si quid ad auertendos inflammatorios morbos virium habet Thea, prout multi notarunt eosdem noſtro tempore rariores minusque obſtinatos eſſe, quam SYDENHAMI aetate, id potius aquae calidae relaxandi ſolida et diluendi fluida vi tribuo, et ſub iſto exceſſu, quem Chinenſes hocce potu faciunt, id boni enaſci poterit, quod venaeſectione non indigeant et conſequenter morbis, qui eam requirunt, quorſum inflammatorii, non laborent. Quoniam Thea pota, accedente frigidiuſculo aëre, lotium mouet, initiis calculi ſubuenire poteſt ſabulum renum et exiguos calculos expellendo; et hoc quidem forſan in cauſa eſt, quod Iaponenſes et Chinenſes a calculo immunes exiſtant (TULP. *Obſ. med. p.* 380. KÄMPF. *p.* 626.). Etenim ſub conſueta potatione vix effectus eiusmodi ab adſtringentium vi communi in pellendo calculo redundat. Quantum autem hocce nomine valeat infuſum frigefactum, exemplo memorabili cognoſcitur, quo primum nonniſi lotium vberius manauit, dein fragmenta calculi et ſabulum ex vrethra ſeceſſerunt (TISSOT *de la Santé*

des

des gens de lettres p. 196. *not.*). Quod, accedente iuſto caloris atmoſphaerae moderamine, ſudorem pellat Theae calidus potus, multiplici occaſione prodeſt. Sic criſis per ſudorem commode alitur, et refrigerio concepto rheumatiſmis febribusque multiplicis generis obuertitur; vnde peregrinantibus eximium ſolamen, quibus et id ſaepe mali accidit, quod aquam impuram offendant Thea corrigendam. Poſt repletionem ventriculi a nimio cibo ad eam attenuandam et colluuiem contractam diluendam et euacuationi opportunam reddendam, potus hicce eximie iuuat. Spirituoſorum liquidorum vim obtundere ſolet. Nec hoc nullius momenti eſt, quod commodum et vulgatiſſimum medicaminum vehiculum plerumque conſtituat. Diſſipare ſubinde decoctum corticis Peruuiani extus applicatum ophthalmias pertinaces ſatis iam nouimus: ſed idem accidit in ophthalmia ſicca ex vſu ſimili infuſi frigidi Theae Boheae, ſine dubio vtrobiuis eodem actionis modo (TODE et SALHOLT *Diſſ. adnotata medico - pract. p.* 10.).

Quae Chinenſes ſibi de praeſtantia Theae medica perſuadent, horum multa omnem fidem ſuperant. Sed de hiſce celebris itinerator, qui

et multas gentis huius formulas ſuggerit (DU HALDE *l. c. p.* 590.), audiendus eſt. Interim et ipſi Chinenſes, inter praeconiorum copiam, exceſſum inſidias valetudini ſtruere confitentur.

Nec Thea viliſſimae notae et effoeta ſine vſu proiicitur, ſed pro tingendis telis ſericeis colore badio impenditur (KÄMPF. *Amoen. p.* 625.).

BVXVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 709. *Gen. pl. p.* 486.

452.

Pharm. BVXI *Folia; Lignum.*

Buxus ſempervirens; LINN. *Spec. pl. p.* 1394. *α*) *arboreſcens* C. B. Icon: REGNAULT *Botanique* Le Buis ou Bouis; OELHAFEN V. SCHÖLLENBACH *Abbild. d. wild. Bäume Pars* 1. *tab.* 28. Haec ligni praecipue cauſa notanda. Arbor humilior Europae auſtralis, vt Hiſpaniae, Galliae, Angliae, Helvetiae, etiam Orientalium terrarum, multis Varietatibus pro figura et colore foliorum ludens. Delectatur vmbra potius quam ſtatione ſoli

ſoli obuerſa. Nec ſpernit ſterilius ſolum. Hiemes frigidiores non commode fert. Var. β) *ſuffruticoſa* L. Buxus foliis rotundioribus C. B. Χαμαιπυξος ſ. Buxus humilis DODON. *Pempt. p.* 782. Folia in vſum medicum et ab hacce peti poſſunt.

Vtraque ob perennantia folia hortorum vulgare ornamentum eſt. Varietate β areas iſtorum cingimus, cui fini tanto commodior eſt, quum tonſionem optime ferat. Radices tamen abſorbent nimis ſuccum vicinis ſtirpibus neceſſarium, et enecatorum fruticum vel ad partem vel in integrum reſtauratio tonſuraque iacturam temporis pariunt, cui vere praecipue in rebus hortenſibus parcendum.

Neutra dictarum Buxi partium hodie in medicina eminet, licet FOLIA ſaltim non carere virtute iam odor ingratus et ſapor amarus nauſeoſus edoceant. Spargunt odorem ſuum ſponte poſt pluuiam. Siccatione magnam eiusdem partem perdunt, deſtillatione autem aqua eodem abunde impraegnatur. Camelos necat Buxus, quibus ceterum acceptum pabulum eſt, vt in prouincia Perſiae Gilan, vbi illa abunde creſcit, conſtitit (HANWAY'S *Account of the Britiſh trade over the*

Caſpian Sea, vol. 1. *p.* 191.). Sunt qui aluum mouere notant ad drachmam vnam in puluere data (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1610.), quin cum vehementia (VOGEL *M. m. p.* 131.). Sed nouis experimentis aſſertio confirmanda eſt, antequam in verum vſum trahi poſſit. Decoctum foliorum efficax eſſe ſudoriferum (DU HAMEL *Traité des arbres, tom.* 1. *p.* 117.). Puluerem Buxi humilis (arbitror folia eſſe intellecta) cl. WINTER (V. VAN DEN BOSCH *Hiſt. conſtit. epid. vermin. p.* 223.) in tuſſi ſpaſmodica valde commendauit. Capillos rufos fieri, ſi frequenter lauentur lixiuio, in quo folia cum ramis decocta fuerunt, tanquam rem compertam tradit MATTHIOLUS (*Comment. in* DIOSC. *p.* 169.); ſed ſic de ea agens ambiguum relinquit, vtrum de ſolo decocto an cinerum ſolutione herba Buxi impraegnata ſermo fuerit. Simili ambiguitate laborant, quae centies ex LENTILIO (*Ephem. nat. cur. Dec.* 2. *ann.* 2. *p.* 350.) de Buxi vi capillos reſtituendi repetita ſunt. Ipſe loquitur de lixiuio, cui Buxus incoquebatur, ex vnico exemplo a puella ruſtica illi narrato, cui ex lotione iſtius liquidi capilli non ſolum reſtaurati, ſed et tota facies et collum rufis pilis foedata fuit; ſed ne partem quidem Buxi vſurpatam memorat. Quae igitur

igitur praeconii fides? Ad lignum vim caluitiem tollendi transfert HEUCHERUS (*Oper. tom.* 1. *p.*480.), dum illud praeſtantiſſimum eo fine binis verbis praedicat.

LIGNVM coloris pallide lutei eſt compactum, et tam ponderoſum, vt fundum aquae petat, qua ſpecifica grauitate omnia reliqua Europaea ligna ſuperat. Ex Campania et Hiſpania ad nos transfertur in artificum praecipue vſum, ob duritiem enim ad opificia torneatorum varia, icones exſcalpendas, pro pectinibus capillorum, dentiſcalpiis rel. creberrime adhibetur.

Maſticatum nullum fere ſaporem prodit. Extractum autem ſpiritu vini paratum, quod circiter $\frac{1}{15}$ totius ligni ponderis conſtituit, ſubamaricans eſt, et extractum aquoſum, quod $\frac{1}{30}$ pendit, ſaporis fortioris ingrati ſalini (LEWIS *M. m. p.* 157.). Hiſce quidem notis non multum virium medicarum ſpondet. Fuerunt tamen, qui hoc lignum Guaiacino in curanda lue venerea aequipararunt (AMATI LUSIT. *cur. med. cent.* 2. *cur.* 95. *cent.* 3. *cur.* 4. *et cent.* 6. *cur.* 80. in ſchol. WELSCH. *Obſ. phyſ. med. p.* 535. Cfr. HEUCH. *l. c.*).

Nec in Gallia ſerioribus annis in hoc morbo intentatum remanſit, effectu votis reſpondente (CHOMEL *Plantes uſuelles T.* 1. *p.* 357.).

PRAEPARATVM.

OLEVM BVXI *Ph. W. p.* 130. Eſt empyreumaticum ex ligni ſcobe. Goſſypio exceptum ad guttam vnam vel alteram et denti carioſo immiſſum in dentium dolore compeſcendo valuit (FONSECA *tom.* 1. *conſ.* 40. RIVER. *Prax. med. P.* 1. *p.* 260.). Ita et dolores haemorrhoidales vel ſolum vel in miſcela olei Lini applicatum ſedat (RIVER. *l. c. P.* 1. *p.* 518.). Tranſeo alias nimis liberales laudes.

ORDO

ORDO XL.

OLERACEAE.

CHENOPODIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 216. Gen. pl. p. 121.*

453.

Pharm. BONI HENRICI *Herba.*

Chenopodium Bonus Henricus; foliis triangulari-ſagittatis integerrimis, ſpicis compoſitis aphyllis axillaribus LINN. *Syſt. veg. l. c.* Bonus Henricus J. BAUH. *Hiſt. pl. tom. 2. p. 965.* Lapathum vnctuoſum C. B. Icon: *Fl. Dan. tab. 579.*; REGNAULT *Botanique*, Le Bon Henri; CURTIS *Fl. Lond.* Pl. perennis in locis incultis, ad muros, et prope vias pagorum, item fimeta, frequens.

HERBA. Mucilaginoſum ſaporem habet et ſubſalſum. Folia vix niſi recentia adhibentur, et quidem extus applicata. Iam dudum celebrata ſunt ad vulnera recentia conſolidanda; item ad ſordida purganda, et a vermibus, ſi in iisdem nidu-

nidulantur, liberanda (DODON. *Pempt. p.* 651.) et ſananda. Virtus in vlceribus noſtro tempore pluribus exemplis nouam fidem ſibi acquiſiuit. Ex horum cenſu eſt caſus ſenis, quem in ſiniſtro crure plura vlcera doloroſa et ſanationem reſpuentia male habuerunt; aliusque foeminae, quae in digito quodam vlcus tumore inſigni et dolore iunctum obſtinatum geſſit (SAM. GOTTL. VOGEL *med. pract. Beobacht. p.* 63. 64.). Nouiſſime iterum in vlceribus cutaneis impenſius laudata (FIELITZ *Erinnerungen Vorſchläge u. Wünſche Wundärzte zu bilden p.* 59.). Non minorem praeſtantiam folia declarant in exanthematibus variis chronicis. Fuit iuuenis quotannis herpete vtriusque manus correptus, ſed poſt irritum vſum variorum aliorum remediorum hoc vnico cum conſtantia ſanatus (ID. *p.* 65.). In ſcabie, niſi omnino eidem medeatur, lenimen tamen affert manifeſtum praecipue in partiali et tumore inſigni iuncta (ID. *l. c.*). Huius documentum notabile exſtitit in viro iam aetate prouecto, qui vna cum ſcabie brachiorum et pedum, tumore oedematoſo pedis dextri inſigni tentabatur, ſed, impoſita herba, vel et ſtirpis radice, quae tamen plus doloris excitauit, ex vtroque malo conualuit (DILLEN. in *Act. nat. curioſ.*

curioſ. vol. 1. *p.* 110.). Par auxilium in tinea capitis praeſtitit (VOGEL *l. c.*). Ipſe teſtis fui eximii ſolaminis, quod homini leproſo per tempus attulit, puris abditi euacuationem vlcerumque foediſſimorum depurationem promouendo (Vid. *Commentat.* mea *de Lepra*, recuſ. in *Opuſcul. vol.* 2. *p.* 392. *ſq.*). Nempe in omnibus recenſitis affectionibus folia copiam liquidorum acrium et corruptorum alliciunt, nonnunquam commeatu tam largo, vt ſplenia et reliqua velamenta quaeuis madeant, et hocce effluxu contingente dolor, quem aliquando initio cient, diſparet, vnaque tumor praeuius diſpellitur, quin tandem aluei ipſi exſiccantur. Mutanda vero folia eaque vel integra vel, quod praeſtat, conquaſſata ſiue conciſa, ſemel bis vel ter per diem; vt tamen, ſi cauſa morbi altiores fontes habet et a vitio humorum proficiſcitur, hiſce non acquieſcas, ſed ad commoda interna confugias. Contra vlcuſcula a ſcabie (Vid. caſ. DILLEN. ſupra *cit.*) et profecit puluis herbae cum vnguento pomato commiſtus.

Vis foliorum recentium in oedematum lympha euacuanda grauis viri (LINN. *Fl. Suec. p.* 78.) teſtimonio enitet, cui et caſus ſupra allatus

allatus (a DILLENIO) reſpondet. — In haemorrhoidibus coecis conquaſſata (LINN. *l. c.*), vel in linimento ex foliis recens contuſis et cremore lactis vel butyro non ſalito adhibita, dolores mitigant (VOGEL *Mat. med. p.* 80.). — Scani paronychiae imponunt contuſa (LINN. *l. c.*). Cataplaſma ex tota planta paratum podagricos dolores tuto lenit (SIM. PAULLI *Quadrip. botan. p.* 248.).

Culinaribus herbis eam quoque annumerare licet. Inſtar oleris enim coqui poteſt, ſub quo vſu aluum lubricat (DODON.), item in iuſculis adhiberi. Turiones, inſtar Aſparagi parati, ſatis ſapidi ſunt.

454.

Pharm. BOTRYOS VVLGARIS *Herba.*

Chenopodium Botrys; foliis oblongis ſinuatis, racemis nudis multifidis LINN. *Spec. pl. p.* 320. Botrys ambroſioides vulgaris C. B. Icon: BLACKWELL *Herbal tab.* 114. Pl. annua Europae auſtralioris, vt Galliae inferioris, Genevae, Valeſiae inferioris, Calabriae, locis arenoſis creſcens. In hortis noſtris, modo ſtatio non variet, ſponte ſeſe diſſeminat.

HERBA

HERBA recens ad contactum resinoso viscida et digitos inquinans odorem fortem balsamicum subingratum spargit, saporem vero edit aromaticum amaricantem. Aqua destillata lacteſcens et odoras et sapidas partes recipit. Oleum aethereum parce ineſt, scilicet ex plantae libra vna ciuili vix grana viginti quatuor eruta (CARTHEUS. *Diss. de Chenopod. ambrosioide. p.* 11. *Mat. med. vol.* 2. *p.* 133.). Est vero duplex, alterum fluidum flaueſcens sapore aromatico et amaro, odore fragrante ipsius stirpis; alterum frigore sese in speciem seui vel potius cerae albae coagulans, quod tamen non vnguinosae naturae esse, eius facilis in spiritu vini solutio testatur. Infusum aquosum amaritiem prae se fert, odorem vero planta ipsa debiliorem. Tinctura spirituosa, vna cum amaritie leuiori, sapore acri instruitur. Extracti aquosi drachmae duae et aliquot grana eliciuntur ex vncia vna, saporis salsi et amari. Efflores cit ex eius superficie copia crystallorum salinarum. Minor stirpi ineſt quantitas extracti resinosi, scilicet eius vnciae vni drachma vna cum scrupulo vno, sed hoc ipsum superius est aquoso et amaritie et acredine. Crystalli modo memoratae et figura referunt Nitrum, et in eo conueniunt, quod in carbone candente

candente detonent et fundantur; herba quoque ſicca in igne eadem phaenomena exhibet (VANBACHAUTE in *Mem. de l'acad. des ſc. de Bruxelles*, *vol.* 4. *p.* 312. *ſq.*). Anſa inde capta cultûram huius plantae et Chenopodii ambroſioidis, quae ſimilia conſpicienda dat, in vſum nitrariorum commendandi (ID.).

Rarius a medicis praecipitur, quam meretur. Nec vllibi, vtut quaeſiuerim, virtutes huius herbae medicas per partes enucleatas et ſerie hiſtoriarum confirmatas reperio, quae quidem plurimam vim habent in iisdem extra dubium ponendis. Vbiuis nuda fere morborum nomina praeſto ſunt, in breuiariis ſaepiſſime repetita, quorum fontem vberrimum apud MATTHIOLUM (*Comm.* in DIOSC. *p.* 620.) inuenies. Non repugnabo herbam incidendi, aperiendi, abſtergendi, flatus diſſipandi, efficacia inſtrui, et calidum neruinum eſſe; ſaltim iudicium ſenſuum hariolari id ſuadet. Omnes illam in variis affectionibus pectoris extollunt, nimirum in tuſſi catarrhali (FOREST. *Obſ. et curat. med. Lib.* 16. *Obſ.* 4. *ſchol.* ad finem) aſthmate pituitoſo, quin pulmonum exulceratione. Mirifice adeo purulenta exſpuentibus auxiliari indicat MATTHIO-

MATTHIOLUS vt videtur, expertus. Hyſtericis quoque medelam afferre aſſeritur, quo nomine mulieribus, Venetis praecipue, et externe et intrinſecus creberrimo in vſu fuiſſe leginus (WELSCH. in *Miſcellan.* addit. *Miſcell. nat. curioſ. Dec.* 1. *Ann.* 4. 5. *p.* 29.). Decoctum cum melle (MATTHIOL.), item puluis herbae cum melle in electuarium molle redactus (Loch de Botryde FORESTI), commoda contra mala iſta pectoris viſa ſunt.

455.

Pharm. BOTRYOS MEXICANAE *Herba.*

Chenopodium ambroſioides; foliis lanceolatis dentatis, racemis foliatis ſimplicibus LINN. *Spec. pl. p.* 320. Botrys ambroſioides mexicana C. B. Icon: REGNAULT *Botanique*, L'Ambroiſie. Pl. annua in Mexico et Luſitania ſpontanea.

Herba odoris et ſaporis fere, vt in modo dicta, ſed vtriusque, praecipue odoris, fortioris, ita vt, ſi inde ad vires concludere liceat, efficacia in morbis hanc ſtirpem ſuperiorem eſſe coniicias. Sed pauciſſima vere explorata ſunt. Theae Mexicanae nomen illi tributum in memoriam reuocat

priſtinam eiusdem, loco Theae, laudem. Paſſim olim in Germania Chinenſi ſubſtituta fuit, vt in Suevia, Bavaria (LOCHNER *de Thee et Café ſuccedaneis* in *Eph. nat. curioſ. Cent.* 5. 6. *Append. p.* 149.), Sileſia, item Hungaria inferiori (*Breſslauer Verſuche* 1717. *Decemb. p.* 443. *ſq.*). Sed neque gratia ad eius pretium accedit, nec calidae naturae herba promiſcuae et quotidianae ſorbillationi commoda haberi poteſt. Decoctum eius ſaturatum in paralyſi ſananda celebratur, eiusque virtutis exemplum narratur de paralyſi pedum recenti (RUDOLPH in BALDING. *n. Magaz. für Aerzte vol.* 5. *p.* 496.). Haec ſtirps pariter Nitri copiam includit, et cultura eiusdem prouentui et collectioni fauere cenſetur (VAN BACHAUTE in *Mem. de l'ac. d. ſc. de Bruxelles vol.* 4. *p.* 312.).

PRAEPARATVM.

SYRVPVS CHENOPODII ſ. ATRIPLICIS MEXICANAE *Ph. W. p.* 206. Inter varia alia et huius herba intrat. Pectoralis et diureticus pronunciatur; prius maiori iure. Sed exoletus.

456.

Pharm. CHENOPODII ANTHELMINTICI *Semina.*

Chenopodium anthelminticum; foliis ouato-oblongis dentatis, racemis aphyllis LINN. *Spec. pl. p.* 320. Chenopodium Lycopi folio, perenne DILLEN. *Hort. Eltham. p.* 77. *tab.* 66. *fig.* 76. Botrys praealta fruteſcens, foliis longis laciniatis CLAYTON *Fl. Virg.* GRONOV. *ed.* 2. *p.* 39. Planta perennis in Penſylvania, Yerſea noua et Bonaria indigena, locis ſiccis ſabuloſis.

SEMINA exigua, ſplendentia, fuſca, ſubrotunda, ſubcompreſſa, odoris grauis. In Europa non vſitata. Sed in America ſeptentrionali iam dudum claruerunt inſtar anthelmintici, et etiamnum clarent. Vnde Anglis ibidem Wormſeed dicuntur. Teſtes eius ſunt varii celebres viri, ibidem commemorati; et inter hoſce CLAYTONIUS (*l. c.*) et KALMIUS (*Amer. Reſa vol.* 2. *p.* 283.). Prior lumbricis aduerſa indicat, et vterque infantibus dicata ſignificat. Vſurpandi illa modum conuenientiſſimum nobis tradit cl. CHALMERS (*on the weather and diſeaſes of South-Carolina p.* 71.).

Scilicet electuarium ex feminibus subtilissime contritis et melle paratur, cuius mane et vesperi tribus continuis diebus cochleare vnum exhibetur, repetendum pro necessitate. Sic stupenda copia vermium per aluum secedere solet.

457.

Pharm. VVLVARIAE vulgo s. ATRIPLICIS OLIDAE Lond. Edinb. *Herba.*

Chenopodium Vuluaria; foliis integerrimis rhombeo-ouatis, floribus conglomeratis axillaribus LINN. *Spec. pl. p.* 321. Vuluaria DALECH. *Hist. pl. p.* 543. Atriplex foetida C. B. Icon: REGNAULT *Botanique.* l'Arroche fetide. Pl. annua ad vias Europae australioris, item aliquando locis ruderatis et in hortis, spontanea.

Vix vltra Britanniam vsurpata, vbi iam a. 1721. Pharmacopoeam Londinensem intrauit; nec in minori existimatione videtur etiamnum in Scotia esse, quum Edinburgenses adeo post tot Pharmacopoeae suae castigationes adhuc in editione a. 1783. *p.* 10. isti locum concesserint.

HERBA

HERBA recens ingrate olet, inſtar piſcis ſalſi et ſubputridi, qui foetor poſt contactum diu digitis inhaeret. Et hic ipſe debilior eſt in ſtirpibus loco ruderato creſcentibus, quam ſolo humido. Item imbecillior eſt in ſtirpe ſicca, et ſenſim in hac diſparet omnino. Aquae eundem impertit deſtillatione et infuſione. Sapor nauſeoſus.

In malo hyſterico eam adhibendi occaſionem ſine dubio foetor dedit, quippe nouimus foetida varia leuamen in paroxyſmo eius nominatim foeminis ferre. Eo fine praecipue conducit, folia contuſa cum ſaccharo in conſeruam trita dare, quam et vtiliſſimam hyſtericis pronunciat NEEDHAM (in RAII *Hiſt. pl. tom.* I. *p.* 198.). Paullo magis compoſitum eſt *Electuarium hyſtericum* FULLERI (*Pharm. extemp. ed. Lauſ. p.* 82.) ex conſeruae vnciis quatuor et olei Succini guttis quadraginta octo conſtans, cuius doſis eſt quantitas Caſtaneae. Sed et profuit infuſum theaeforme (PALMER apud RAIUM *l. c.*). Quin tinctura ſpirituoſa commendata (TOURNEFORT *Hiſt. des Plantes de Paris tom.* I. *p.* 30.). A clyſmatibus ex decocta planta non multum virium exſpecto, licet vel ſic Vuluaria commoda fuerit habita (GEOFFROY *Mat. med. Traité tom.* 5. *p.* 248.).

BETA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 217. *Gen. pl. p.* 122.

458.

Pharm. BETAE RVBRAE *Radix; Folia.*

Beta vulgaris; floribus congeſtis LINN. *Syſt. veg. l. c.* Var. *α. rubra.* Beta rubra vulgaris C. B. Icon: BLACKWELL *Herb. tab.* 235. Excluduntur igitur Varietates radice lutea vel viridi. Sed ipſa Varietas radice rubra figura et habitu ludit, vt ſubdiuiſiones eius variae locum habeant. Planta biennis.

Pro culina quidem praecipue creberrime colitur, attamen non omnino foro medico excluditur.

RADIX fuſiformis eſt, pugnum ſupraque craſſa, purpurea. Transuerſim ſecta annulos ex albido et purpureo variegatos repraeſentat. Tam ſuccoſa, quam ſicca, dulceſcens eſt. Succus expreſſus grate ruber. Eodem colore tingitur tam aqua quam ſpiritus vini infuſione. Radix copia aquoſarum partium ſcatet, adeo vt radicum duas

recentium libra vna poſt ſiccationem modo vncias duas aequet. (MARCGRAF *chym. Schrift. P.* 2. *p.* 86. Conf. *Mem. de l'ac. de ſcienc. de Berlin* 1747. *p.* 82. *ſq.*). Multum veri ſacchari recondit, etſi minorem quantitatem, quam Beta Cicla. Et hoc quidem eruitur tam vini alcohole, radicibus contritis infuſo, quod ipſum ex libra dimidia ſiccatae radicis drachmas duas cum dimidia ſacchari erogat (*l. c. p.* 74.); quam encheireſi minus ſumtuoſa ex ſucco radicum tyrocneſti tritarum expreſſo, depurato et ad iuſtam menſuram euaporato (*l. c. p.* 81.). Hactenus tamen in ſingularibus experimentis absque applicatione ad verum lucrum res ſubſtitit.

Antiquitus iam cibi genus haec radix conſtituit (Conf. SPIELM. *Diſſ. de oler. Argentorat. Faſc.* 1. *p.* 29.), ſed concoctu difficile, vnde fabrorum prandium vocauit MARTIALIS, et parci nutrimenti. Quo fine coqui poteſt conciſa cum iure carneo, ſub aromatum commodo additamento; vel conciſa fermentationi ſubiicitur inſtar Braſſicae capitatae acidulatae, ſicque grato acore magis placet. Vulgatius eſt, acetarium inde parare, dum radix cocta et in orbiculos ſecta aceto vini

diluto cum feminibus Carui ac radice Armoraciae inditur.

Succus ad linguae ſcrutinium tam blandus, naribus tamen attractus mucum copioſe prolicit. Nota iam fuit vis ſucci errhina GALENO (*de ſimpl. med. facult. l.* 8. *p.* 898. *Ed.* RICC.); nam per nares purgare indicat. PLATERUS pluries eundem ſic adhibuit in auditione graui (*Obſerv. p.* 127.), capitis grauedine (*p.*365.), aurium dolore (*p.*390.), dentium dolore ex defluxione (*p.* 400.), haec mala vt humorum ad nares deriuatione tolleret, ſed plerumque pro temporis, quo vixit, ratione cum aliis remixtum. In Dania olim contra coryzam difficiliorem familiare fuit, ſuccum radicis permiſtum aquae Maioranae et mellis anthoſati tantillo naribus excipere, id quod, licet quibusdam profuerit, aliis tamen nocuit, et in virgine nubili inter cruciatus intenſiſſimos inde totum caput intumuit (BORRICH. in BARTHOL. *Act. med. vol.* 2. *p.* 166.). Difficillimus capitis dolor ſucco pluries per diem naribus fortiter attracto, omnibus remediis irritis, teſte BAGLIVO (*Oper. omn. p.* 113.), ſedatus eſt. Odontalgiae hac ratione adhibitus ſaepius exſtitiſſe remedium legitur (COHAU-

(COHAUSEN in *Act. nat. cur. vol. 9. p. 33.*), imo VOGELII (*Mat. med. p. 191.*), olim noſtri, experientia. Sed errhina facultas et pulueri radicis ineſt. (ID.).

Decoctum radicis ſpiſſius aluum laxat, prout ipſe eſus Betae copioſior. (LEWIS *M. m. p. 135.*). Nec deſtituitur hacce virtute radix, inſtar ſuppoſitorii apud infantes applicata (CHOMEL *Uſuell. tom. 3. p. 30.*).

FOLIA rarius culinari vſui deſtinantur radice, vixque plerumque praeterquam ſaginationi porcorum inſeruiunt, ſed inſtar aliorum olerum veſci iisdem poteris (Vid. varia huc pertinentia conſilia in cl. GRAUMANN *diätetiſch. Wochenblatt, vol. 2. p. 81. ſq.*) Locis veſicatorio exulceratis commode ad alendum profluuium imponuntur. In tinea capitis applicatio eorum recentium non ſpernenda (LORRY *de morb. cutan. p. 441. 447.*). Ipſe vidi inde cruſtam denſam duram capitis emolliri et cutem accedente pectinis adiumento denudari et nitidam reddi cum inſigni liquoris foetidi effluuio, vt aliis remediis aditus pateat; ſed remotis iis malum facile recrudeſcit, nec niſi palliatiuam opem folia ferunt (V. *Opuſc.* mea *tom. 2. p. 245.*).

SALSOLA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 217. *Gen. pl. p.* 122.

459.

Pharm. SODA.

Salſola ſatiua; herbacea diffuſa, foliis teretibus glabris, floribus conglomeratis LINN. *Spec. pl. p.* 323. Salſola Souda LÖFLING. *Spanſka Reſa p.* 132. Kali hiſpanicum ſupinum annuum Sedi foliis breuibus ſ. Kali d'Alicante JUSSIEU in *Mem. de l'ac. des ſciences de Paris* 1717. *p.* 73. *ſqq. tab.* 2. Creſcit ad orientalem terminum Hiſpaniae ad littora Valentiae, Murciae, Granatae copioſe, circa Alonam autem omnium copioſiſſime.

Huic ſtirpi primum locum inter eas aſſigno, quibus *Sodam* debemus; nam omnium optimam ſaltim inter Europaeas ſuppeditat, eamque, quam *Hiſpanicam*, ſiue Alonenſem, vulgo Alicantinam, vocamus, et inter mercatores Soude de Barille (Nomen plantae et ipſi Sodae hinc inde commune) audit. Sed ſunt multae aliae plantae, quae ob Sodam acceptae ſunt. Eminet inter haſce

Salſola

Salsola Soda; herbacea patula, foliis inermibus LINN. *Spec. pl. p.* 323. Kali maius, cochleato semine C. B. Le Salicor, MARCORELLE in *Mem. pref. à l'ac. R. de sciences tom.* 5. *p.* 531. Icon: JACQUIN *Hort. Vind. tab.* 68. Pl. annua ad mare mediteraneum crescens.

Ex hac Galli in Languedocia Sodam suam parant, quae tam in locis, vbi stirps crematur, venditur, quam Massiliam mittitur, quo ad alias gentes transferatur (MARCORELLE). Insigne quoque lucrum ex hac (Spinella domestica Sicul.) trahunt Siculi, dum nominatim Venetis et Massilienſibus copiam eiusdem insignem vendunt (SESTINI *Lettere dalla Sicilia tom.* 3. *p.* 58. 76.). Pagani in Gallia folia in pane edunt (MARCORELLE *l. c. p.* 533.).

Salsola Kali; herbacea, decumbens, foliis subulatis spinosis, calycibus marginatis axillaribus LINN. *Spec. pl. p.* 322. Kali spinoso affinis C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 818. Pl. annua, locis salsis Europae australis crescens.

Ex hac in Syria teste RAUWOLFIO (Vid. GRONOV. *Fl. orient. Rauwolfii p.* 29.) Soda conficitur,

ficitur, licet et alia ſtirps nomine Schinan ab eo ſignificata (Anabaſis aphylla LINN. ſecundum GRONOV. *l. c.*) eidem ſcopo inſeruiat. Ex Oriente Venetias transfertur.

Salſola Tragus; herbacea erecta, foliis ſubulatis ſpinoſis laeuibus, calycibus ouatis LINN. *Spec. pl. p.* 322. Kali ſpinoſum cochleatum C. B.

Sodam vilioris ſpeciei ſuggerit, quae a fraudulentis lucri cauſa alteri modo dictae aliquando in Gallia admiſcetur (MARCORELLE *l. c. p.* 545.), item in Sicilia, vbi Selvaggia ſtirps dicitur (SESTINI *l. c. p.* 60.).

Salicornia herbacea; patula articulis apice compreſſis emarginato-bifidis LINN. *Spec. pl. p.* 5. BASTERI *Opuſc. ſubſec. tom.* 2. *p.* 107. *tab.* 10. *fig.* 3. PALLAS *Reiſe durchs Ruſſ. Reich, tom.* 1. *p.* 479. *tab.* A. *fig.* 1. *Fl. Dan. tab.* 303. Salicornia DODON. *Pempt. p.* 82. Pl. annua, ad littora maritima Europae, item in paludibus aquoſis ſalſis verſus mare Caſpium nec non ad ſalinas Europae, e. c. Halenſes, habitans.

Huic

Huic ſtirpi, quae proponenda de Sodae viribus medicis habet, adſcribit LINNEUS (*Mat. med.*), forſitan ideo, quod eandem inter Suecicas plantas ad Sodam comparandam exiſtimet aptiſſimam. Aſt multo aliis hoc fine inferior eſt. Nam licet illi omnino inſit alcali minerale, adeo hoc ipſum acido ſalis ligatum eſt, vt diſtinctum non compareat, ſed cineres nonniſi ſal cibarium offerant. Expertus hoc eſt GAUBIUS, Salicorniam Medioburgi collectam explorans (BASTERI *Opuſc. ſubſ. tom.* 2. *p.* 112. *ſqq.*). Idem euentus fuit experimenti Orenburgi facti (PALLAS *l. c. p.* 244. *not.*).

Planta recens condita aceto cum aromatibus, acetarii inſtar, in Anglia editur. Ad antiſcorbutica efficacia refertur, et in Zeelandia eam ob cauſam per menſes aeſtiuos cocta et caulibus tenacioribus liberata in olei aceti et piperis connubio ingeritur; imo per hyemem aceto condita ideo praeſto eſt (BASTER *l. c. p.* 109.).

Salicornia arabica; foliis alternis vaginalibus obtuſis hinc dehiſcentibus LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 53. Kali geniculatum minus C. B. Kalli geniculatum ſ. Kalli ALPIN. *pl. Aegypt. p.* 125. *cum icone p.* 126. In Arabia et Aegypto.

Aegy-

Aegyptiis pro Soda in vſu eſt (ALPIN.). Verum et binas alias plantas ſubſequentes adhibent, quarum omnium cineres Venetiis in mercaturam cedunt.

Meſembryanthemum nodiflorum; foliis alternis teretiuſculis obtuſis baſi ciliatis LINN. *Spec. pl. p.* 687. Kalli II. album ſ. Kalli ALPIN. *pl. Aegypt. c. icon. p.* 127. Planta annua Aegypti et Neapolitani regni.

Auctore ALPINO haec quoque pro Soda ab Aegyptiis comburitur.

Plantago ſquarroſa; herbacea, caulibus ramoſis diffuſis decumbentibus, foliis linearibus integerrimis, capitulis ſquarroſis MURRAY in *Comm. Soc. ſcient. Gotting.* 1781. *p.* 38. *tab.* 3. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 156. Plantago aegyptiaca JACQU. *Miſc. Auſtr. vol.* 3. *et icon. rar.* Kalli III. ALPIN. *pl. Aegypt. p.* 125. *c. ic. p.* 128. Pl. annua, in Aegypto ſpontanea.

ALPINI planta nuperioribus hiſce annis modo botanicis rite innotuit. Nam ipſe ſummus LINNEUS illam ad Meſembryanthemum Copticum (*Spec.*

(*Spec. pl. p.* 688.), et insuper, etsi dubius ad Plantaginem Indicam (*Spec. pl. p.* 167.) retulit. Aegyptiis haec quoque Sodam erogat. (ALPIN.).

Fuci quoque varii ob Sodam inclarueruut, praecipue *Fucus vesiculosus* LINN. de quo alio loco pluribus.

Ex hoc Galli inprimis prope Cherburgum in Norrmannia suam *Soude de Varech* (CADET in *Mem. de l'ac. d. sc. de Paris* 1767. *p.* 487.) et Angli suum *Kelp* (cuius praeparationem aptissimam describit BORLASE in *Observations on the State of the Islands of Scilly p.* 118. *sqq.*) repetunt.

Et hae ipsae stirpes sunt, quas non sine labore et propria indagine inter numerosas passim significatas ex ipsis fontibus erui, et ad suas species botanicas redigere potui. Memorantur longe plures (Conf. LINN. *Mat. med.* Art. Salicorniae; IMLIN *Diss. de Soda*, *Argent.* 1760. *p.* 8. *sqq.*; JO. GESNER *Diss. Phytogr. sacr. Spec. P.* 2. *p.* 12. *sqq.*), praecipue ex Salsolae et Salicorniae genere, item aliquot Atriplices, Anabases, Chenopodium maritimum, Triglochin maritimum, Crithmum maritimum, Reaumuria vermiculata

(BERG.

(BERG. *Mat. med. veg. p.* 182.), fide non vbiuis indubia, quum narratio vel a teſtibus oculatis non profecta fuerit, vel in definitione ſpecieī labes obtineat. Confuſio nominum ſtirpium iſtarum variarum difficultatem quoque peperit in iudicio de ſingularibus Sodae ſpeciebus ferendo. Addo Batin maritimam L. (JACQU. *Hiſt. ſtirp. Amer. pict. p.* 127. *tab.* 246.), quae planta ſalſiſſimi ſaporis in Caribaearum inſularum et vicinae continentis littoribus arenoſis maritimis creſcens, cineres exhibet, qui Carthagenenſibus et Mompoſinis pro vitro conficiendo inſeruiunt; plantam Barillam vocant. Item adiicio Surianam maritimam L. (AUBLET *Hiſt. des plantes de la Guiane françoiſe, tom.* 1. *p.* 472.), ex qua cl. AUBLET per commorationem in Inſula, Isle de France, Sodam parauit. Tatari omnes et ſingulas plantas ſalſas in Sodam conflagrant, etiamſi cineres vix quoad quartam partem purum ſal contineant (GEORGI *Reiſe im Ruſſ. Reich vol.* 2. *p.* 783. Conf. FALKS *Beyträge zur topograph. Kenntniſs d. Ruſſ. Reichs, vol.* 2. *p.* 141.). Aſtrachani quoque Chenopodio herbaceo et fruticoſo (Puto Chenopodio maritimo L. et Salſola fruticoſa L.) item Salicornia mixtim vti feruntur (MODEL *chem. Nebenſt.*

Nebenſt. tom. 1. *p.* 304.). Nempe omnes dictae hucusque ſtirpes ſalſum ſaporem produnt, qualis ſali communi ineſt, et vel ad littora maris creſcunt vel locis, quae olim maris fundum conſtituerunt, vel ad ſalinas. Non perinde tamen eſſe, qualis adhibeatur, mox manifeſtius conſtabit.

SODAE nomine intelliguntur cineres, qui combuſtione ſollerti ſtirpium variarum ſalſarum locis dictis creſcentium obtinentur. Diuidi ſolet in vniuerſum pro plaga diuerſa, vnde petitur, in Sodam orientalem ſ. Leuanticam et occidentalem. *Orientalis* complectitur eam, quam Syria, Aegyptus, regnum Tripolitanum, Tunetanum, Aſtrachanenſe, ſubminiſtrat. Aegyptiaca cognomen *Alexandrinae* fert, eaque inter haſce cenſetur optima. Sed linquens haſce manebo praecipue in conſideratione *occidentalis*, ſiue eius, quae in variis Europaeis regionibus colligitur. Dolendum valde, quod hactenus non omnes et ſingulae Sodae ſpecies, quae mercaturam intrant, quoad partes, quas continent, et earum proportionem, examinatae ſint, vt de pretio quarumuis tanto verius conſtitui poſſet. Difficultatem negotii auget, quod ſpecies eius, ex remotioribus locis

translatae peregrino additamento saepe corrumpantur. Nec absonum videtur, partem discriminis in diuersa praeparatione quaerere, quae de quibusdam latet. Nobis interim sufficiet, quod de Hispanica (JUSSIEU), Gallicarum duplici genere ex Salsola Soda (MARCORELLE, qui in descriptione omnium accuratissimus est) et Fucis (CADET, BOURLASE), et de Sicula (SESTINI) certiora nouerimus. Plantae, quae largiuntur Sodam praestantiorem, cultura sollerti adiuuari debent. Semina igitur locis mari vicinis, vel quae mare olim alluerat, seruntur. Non quaelibet tamen terra aeque commoda germinationi feminum est. In maxime salsa nihil emergit (MARCORELLE), confert vero ea, quae et frumento ferendo par est (JUSSIEU *l. c. p.* 77. MARCORELLE), imo ea, quae plus salis continet, quam vt ibidem frumentum succederet (MARCORELLE *p.* 535.). Secundum experimenta cl. DU HAMEL (*Mem. de l'acad. d. sc. de Paris* 1767. *p.* 233. 239.) Salsola Soda, quo remotius a mari seritur, tanto minus alcali mineralis continet et tanto plus alcali vegetabilis, vnde colligit alcali minerale ex ipsa terra marina originem suam traxisse, quod idem confirmat cl. CADET (*Mem. de l'ac. d. sc. de Paris* 1774. *p.* 42.); licet

licet contradicat cl. MAZEAS *Mem. pref. à l'ac. de ſc. vol. 5. p. 362. not.*), qui tamen agnoſcit ſalis marini copiam in plantis mari vicinioribus frequentiorem eſſe. Culturae ſpecialiora momenta enarrare, huius loci non eſt. Plurimum intereſt, terram aratione repetita probe emollire et euellendis peregrinis plantis, quarum praeſentia Sodae bonae indoli valde officeret; ſedulam operam dare. Germinant ſemina fauente tempeſtate intra duas hebdomades, plantae vero nonniſi adultae ſiue maturae, vt vocantur, colligi debent, quod ſtadium cognoſcitur colore plantae vel omnino luteo, qui magis placet, vel plane rubro, et inde quod exareſcere incipit (MARCORELLE), item maturatione ſeminum (SESTINI). Tum ad euulſionem ſtirpium proceditur, ſub qua iterum reiicere peregrinas ſtirpes opus eſt. Quoniam vero non omnes plantae eodem tempore collectioni idoneae ſunt, relinquuntur iuniores in aliud tempus. Siccantur demum proſtratae per aream, ſub quo ſitu ſponte decidunt ſemina, vel, niſi hoc fiat, flagello excutiuntur. Et, poſtquam in faſces colligatae fuerint, cremantur. Combuſtio fit in fouea rotunda ſolo firmo excauata, cuius magnitudo variare debet pro copia ſtirpis et pondere Sodae

desideratae diuerso; scilicet ita, vt pluries per vices herba immittatur et, ea igne consumta, cineres candentes et liquati baculis magnis circumagantur, donec, dum refrigescat massa, duritiem lapideam induat, quae encheiresis spatium plurium horarum sibi vindicat. Fracta massa in frusta plurium librarum ʒ ⊙ adeo loco sicco reponitur; pondere quinque librarum minora repudiantur, quoniam in puluerem facile dilabuntur, nec diu conseruari possunt (MARCORELLE). Causa duritiei ea est, quod caloris vehementia alcali minerale in terream partem Sodae vim exserat, et partim cum ea vitrescat. Eo vera iactura fit alcali huius multiplici vsui commodi, vtquod elui amplius non potest, quod vero dispendium impediri posset, si modo in mitiorem gradum sub incineratione ignis augeretur. Salsola Soda subinde insecto quodam corripitur, quod rodendo vel stirpem omnino deuorando valde infestum est; sed satio Ciceris arietini vel Spinaciae illi delendo sufficit (SESTINI *Lettere l. c. p.* 70.).

Soda Alonensis proba refert massam griseo nigrescentem in coeruleum inclinantem, valde ponderosam, sonoram, intrinsecus exiguis foraminibus

nibus pertusam ad contactum siccam, odoris ingrati expertem, saporis valde salsi (JUSSIEU *l. c. p.* 77.). Addi potest, quod, si loco humido ac calidiori seruetur, in superficie compareant puncta alba s. efflorescentiae, dein in farinam dilabatur (DE JEAN *Diss. Historia analysis chem. origo et usus oecon. Sodae Hispan. p.* 6.). *Gallica* s. Languedocensis bonae notae describitur aequalis sicca, clangens, fragilis, saporis salsi, coloris profunde coerulei in nigrum vergentis (MARCORELLE *l. c. p.* 545.). Et hisce quidem notis optimae species Sodae distinguntur. Alonensi paullo deterior habetur *Carthagenensis* ex Murcia coloris grisei (MALOUIN *Chemie medic. tom.* I. *p.* 345.). Vituperanda autem est omnis Soda, quae humidum ex aëre attrahit, lapillis inquinata, aqua soluta foetens, minus dura, albicans, quae sal marinum sapit et acidis superfusa manifeste non effervescit (Vid. IMLIN *Diss. de Soda p.* 8.). Eiusmodi variis vitiis quum laboret *Soda de Varech,* quae instruitur sapore valde salso et odore forti hepatis sulphuris (CADET *l. c. p.* 487.), et nihil fere alcali mineralis sed plurimum salis marini continet: patet vilissimae esse notae.

Nempe secundum chemicam analysin speciebus Sodae tantum non omnibus inest *Alcali minerale* siue veterum Natron et terra vitrescibilis. In plerisque autem insuper latet *Alcali fixum vegetabile;* et *Sal quoddam medium*, quorum Sal commune vulgatissimum, interdum Tartarus vitriolatus vel Sal Glauberianum rel.; item *Hepar sulphuris.* Subinde particulae ferreae accedunt. Vnde cognoscitur, Sodam plerumque esse corpus valde compositum. Quo plus alcali minerâlis liberi recondit Soda, et quo minus vel si nihil reliquarum partium praeter terram, eo praestantior est: cuius quidem naturae est Soda Alonensis. Alcali hocce minerale non combustione primum generâri vel euolui, docet eiusdem in succo harum plantarum praesentia, quam ipsam experimenta cl.mi MONTET (*Mem. de l'ac. d. sc. de Paris* 1762. *p.* 657.) et seriora cl. MARCORELLE (*l. c. p.* 541.) item cl. ROUELLE (in ROZIER *Observ. et Mem. tom.* I. 1773. *Ianv. p.* 13. 16.) indubiam reddunt. Nec etiamnum certum est; an copia huius alcali decompositione salis communis, si praesto est, sub combustionem contingente, augeatur.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA ex SODA.

SAL SODAE. Quo vero hoc alcali a reliquis cum eo remixtis partibus ſeiungatur, Soda in puluerem contrita aquae ſufficiente quantitate decoquitur, quae impraegnata decantatur et noua dein commutatur, donec omni ſale liberetur, ſolutio praeuia colatione ad cuticulae prouentum euaporatur et ad cryſtallorum generationem loco frigido ſeponitur; quibus formatis et decantatione liquidi ſuperioris ſeparatis, demum blando calore ſiccatis, encheireſis continuatur, donec aliae prioribus ſimiles cryſtalli enaſcantur; reſiduum mixtum eſt peregrinis partibus ſupra dictis. Et iſtae cryſtalli nomine Salis Sodae venire ſolent. Cryſtalli priores albiſſimae, pellucidae, rhomboidales et lamelloſae; poſteriores minus nitidae ſunt. Ex libris duabus ponderis ciuilis Sodae Alonenſis vnciae tredecim paulloque plus cryſtallorum eruuntur, et ex liquido reliquo cryſtalliſationem reſpuente vnciae ſex (IMLIN *Diſſ. de Soda* §. 2.). Sal Sodae acrem quidem ſaporem habet amaritie iunctum, ſed mitiorem, quam alcalina vegetabilia (ID. §. 3.). Puriſſimi cryſtallina forma imbuti centum partes continent alcali viginti, acidi aërei ſedecim, et aquae ſexaginta quatuor (BERGMAN in

SCHEFFERS *chem. föreläſningar p.* 53. §. 40. *not.* 1.); Mora temporis hoc ſal multum aquae ſuae amittit, vnde et in farinam ſenſim diſſoluitur ſimulque efficaciae ſuae multum perdit (BERGM. *l. c. p.* 54.). Aquae deſtillatae vncia vna, gradu 62. Fahr. calens, drachmas quinque cum granis quindecim eiusdem ſoluit (IMLIN *l. c. p.* 22.). Diutius carnem contra putredinem praeſeruat, quam ſal commune, ſed non tam diu, ac alcali vegetabile ſ. Tartari (IMLIN *l. c. p.* 34.). Sal Sodae acido Vitrioli ſaturatum largitur Sal mirabile Glauberi; cum acido nitri, Nitrum cubicum; cum acido Salis Sal commune; cum Sale ſedatiuo Hombergii Boracem; cum acido Tartari Sal Seignette. Chemiae eſt ſalis Sodae completam hiſtoriam tradere. Sed haecce in vſum medicum ad cognoſcendam naturam rei, de qua hic agitur, ſufficient; vnde cognoſcitur ſal Sodae differre multis modis ab alcali vegetabili, eiusdem eſſe indolis, ac baſis ſalis communis, et iisdem vſibus tam oeconomicis quam medicis commodum eſſe. Hinc et recentiori tempore, quoniam parca modo copia huius ſalis Sodae ineſt et multiplici fini non ſufficiens, ſedulo in artem alcali minerale in ſale communi obuium ab acido ſegregandi incubuerunt (quorum expe-

experimentorum ſummam legere eſt in cl. WESTRUMB *phyſ. chem. Abhandl. vol.* 1. *p.* 134. *ſq.*). Hac quoque in re b. BERGMAN aliis chemicis fere palmam praeripuit, dum ex affinitatum legibus edocens alcali minerale ſeparari poſſe ex quolibet ſale, cui inſit, per alcali vegetabile, compendioſiſſimam ſimul et fructuoſiſſimam viam illud alcali eliciendi indicauit (*Opuſc. vol.* 3. *p.* 312. 336. 351.).

Hactenus tamen opificia varia Sodae adiumento carere nequiuerunt. Pertinet huc ars vitriaria, quae ad fluorem adiuuandum et candorem elegantiamque vitro conciliandam illa opus habet. In quibusdam officinis Soda, qualis eſt, adhibetur, in aliis, quod praeſtat, ſale Sodae puro vtuntur, vnde vitrum tanto purius et pellucidius euadit. (Cfr. MERETTUS *ad Neri artem vitriariam;* KUNKELS *vollſtändige Glaſsmacherkunſt.*). — In linteorum dealbatione quoque Sodae inſigne pretium eſt, quoniam, ſi bonae notae eſt, nullam colorantem materiem ſecum vehit, nec tam coroſiuum eſt, vt filis ipſis vim inferret, prout ab alcali vegetabili et calce contigit, attamen linteis niueum candorem conciliat (DE JEAN *de Soda*

p. 36. *ſq.*) — Tinctoribus placet ad exaltandos et firmandos colores, conducit quoque ad explorationem conſtantiae quorundam colorum. Antecellit vero facile reliquis ex Soda pro oeconomia commodis hoc, quod ſaponis valde egregii materiem ſuppeditet. Sed de hoc, quum res ſit ad medicinam aeque ac oeconomiam ſpectans, ſeorſim paullo poſt vberius dicendum eſt.

Sal Sodae ſolum vix vnquam medico ſcopo adhibetur, quum ſuppetant alcalia vegetabilia virtute ſuperiora. Aeque ac haec autem valet aperire obſtructa vaſa, reſoluere tenaces humores, infringere acidum, mouere lotium. In Saxonia chirurgi aliquando inſtar lapidis cauſtici extrinſecus illam applicant (SCHMIDT *Diſſ. de Soda* §. 23.).

ACETVM CONCENTRATVM WESTENDORFII. Quomodo hoc ope ſalis Sodae paretur, alio loco (*Appar. med. vol.* I. *p.* 323.), quum de aceto ageretur, iam ſignificatum eſt.

SAL ACETI. Huius pariter iam antea (*Appar. med. vol.* I. *p.* 328.) mentio facta eſt.

SAL SEIGNETTE vulgo ſ. SAL POLYCHRESTVM DE SEIGNETTE *Ph. Wurt. p.* 169. ALCALI MINERALE TARTA-

TARTARISATVM *Ph. Suec. ed. 2. p. 53.* SODA TARTARISATA, vulgo SAL RVPELLENSIS *Ph. Edinb. ed. 1783. p. 164.* Paratur, nisi purum sal Sodae prostet, Sodam aqua coquendo, donec sal erutum fuerit, lixiuium filtrando et crystallos Tartari in puluerem contritas per vices ad saturationem vsque addendo. Euaporatione ad cuticulam facta, crystalli generantur magnae, ad illas, quas saccharum candi exhibet, propius accedentes. Aëre pelluciditatem suam amittunt, et in puluerem niueum dilabuntur. Solutio facilis in aqua, ita vt circiter tres partes cum dimidia aquae pro vna salis huius sub gr. caloris quinquagesimo scalae Fahrenh. soluenda sufficiant (SPIELM. *instit. chem. p. 54.*). Perfectum sal medium dici nequit, quum, praeter alcali minerale Sodae, etiam illi insit alcali vegetabile in crystallis Tartari latens. Facile decomponitur aqua solutum non modo acidis mineralibus sed et vegetabilibus, vt succo Citri, Aceto, Tamarindis. Nomina respiciunt inuentorem et locum, quo vixit. Fuit scilicet pharmacopola Rupellensis, qui circa a. 1672. circiter illud detexit. Sed diu inter frequentem vsum arcana compositio mansit, donec anno 1731. opera cll. BOULDUC et GROSSE (*Mem. de l'ac. d. sc. de Paris*

1731.

1731. *p.* 124.) item cl. GEOFFROY (*Mem. cit. p.* 127.) qui ſeorſim in eius naturam inquiſiuerat, id patefieret.

Eſt eximium catharticum nec ingrati ſaporis. Rarius plena doſi ad drachmas ſex vel vnciam integram ingeritur aqua ſolutum, ſed ad drachmam dimidiam repetitis aliquoties de die doſibus exhibitum aperit, refrigerat, ſimulque aluum blande ſubducit; hinc in febribus crebro praecipitur et, vel hiſce abſentibus, ſpiſſos humores ſoluit et vaſa obſtructa blande reſerat.

Minus charum eſt hocce ſale, nec virtute inferius, ALCALI VEGETABILE TARTARISATVM *Ph. Suec. ed.* 2. *p.* 54. ex alcali lignorum et cremore Tartari.

FEL VITRI vocatur ſpuma vel materia recrementitia in vitri fuſione ſuperficiem petens et indureſcens. Debet eſſe leuis et alba et ſpongioſa, ſaporis ſalſi. Conſtat ex alcali vel ſale communi terra iuncto. Nullius hodie vſus in medicina eſt, ad dentifricia olim.

SAPO. Haec vox iamiam in quamuis miſcelam extenditur, quae ex alcali vel acido et pingue-

pinguedine quadam conflatur. Aqua ſapo non perfecte ſoluitur, ſed lacteſcit haec et turbida euadit, ſpiritu vini autem fere perfecte ſubigitur, et dilui hic tum poteſt multa aqua, ſine aſpectu turbido. Cum menſtruo ſuo ſub agitatione ſpumeſcit, et alia pinguia aquae miſcibilia reddit. Acido ſapo aqua ſolutus decomponitur. Numeroſiſſimae iam eius inuentae ſunt ſpecies, quum antiquiſſimo tempore modo notus eſſet ſapo ex ſeuo et cineribus (PLIN. *lib.* 28. *cap.* 12.). Alcali enim vel mineralis vel vegetabilis originis eſt, fixum vel volatile; acidum pariter varium. Pinguedo vel animalis eſt, vt ſebum, pinguedo balaenarum, phocarum, medulla oſſium, ſperma ceti, cera, niſi hanc ad vegetabiles prouentus referas; vel vegetabilis, quorſum olea aetherea et vnguinoſa, vt oleum Oliuarum, Amygdalarum, Cacao, Cannabis, Raparum, Napi, Lini, Nucum, pertinent. Certe combinatione cuiusdam ſalinae cum pinguedinoſa materie ex alterutra harum claſſium, ſecundum exempla dicta, verum ſaponem arte produci poſſe conſtitit. Serius cognitum eſt connubio acidi cum oleo ſaponem enaſci; quod tamen experimenta varia de acido Vitrioli nominatim cll. viri ACHARD (*Journal litteraire de Berlin* 1776.

§. 3. 4.

§. 3. 4.), MACQUER (communicata a. 1777. in *Mem. de la Societé de Medecine à Paris, vol.* 1. *p.* 379. et EIVSD. *Dictionnaire de Chimie vol.* 2. *art. Savons acides p.* 358. *ſqq.*) item CORNETTE (in *Mem. de la Societé de Medec. de Paris vol.* 3. *p.* 188.) euicerunt. Imperfectam modo vnionem praeſtare inter oleum Oliuarum et oleum Vitrioli valuit cl. MERCK (*Gott. Anz.* 1787. *p.* 577.). Ante hoſce meminit cl. SAVARY (*Diſſ. de ſale eſſentiali Acetoſellae* 1773. *p.* 21.) ſaponis ex ſale Acetoſellae et oleo vnguinoſo, et cl. JO. G. FRID. SCHULZE (*Diſſ. de ſaponibus Gott.* 1774. *p.* 2.) alius ex oleo Vitrioli et olei Oliuarum a ſe parati. Perficere hoſce ſapones acidos vlterius commoda ſuadent, quae in rem medicam inde ſperari poſſe videntur. Probabile enim eſt, quod aliquando profuturi ſint, quando non conducunt ſapones alcalini, quin hoſce ſubinde effectu ſuperaturi. Minor hactenus fuit ſucceſſus in effingendo ſapone ex alcali et oleo empyreumatico (V. experimenta cl.^mi SCHULZE in *Diſſ.* modo dicta inde a *pag.* 19.). Effingi quoque ſapones alcalini poſſunt ex reſinis variis, cera, balſamo Peruuiano, qui tamen hactenus in ſerium vſum non tracti ſunt; et huc quoque quodammodo hepar ſulphuris pertinet.

Largiori

Largiori ſignificatu et ſapones audiunt miſcelae quaedam alcohol vini comprehendentes, loco alius pinguedinis, vt tincturae Tartari, Antimonii, Spiritus acido-dulces. Longe maiorem ſaponum varietatem natura quam ars producit, quorum in numero haberi poſſunt varii humores corporis animalis; item ſucci vegetabiles multi lactis formam vel ſponte prae ſe ferentes, vt plantarum ſemifioſculoſarum vel tritura cum aqua comparentes, vt ex ſeminibus et nucleis emulſiuis; porro ſucci amari, dulces (Conf. inprimis de natiuis ſaponibus ZUBELINI *Diſſ. de ſaponibus medicis natiuis L. B.* 1754. et KÜCHELBECKER *Diſſ. de ſaponibus Lipſ.* 1756.). Et ſi plantas hoſce ſuccos ſuppeditantes non apte ſatis ſaponaceas vocari putes, ſummo tamen iure ſibi id nomen vindicant aliae, quibus ſapor, ſpumeſcentia cum aqua, ſolutio pinguium et vis in corpore animali eadem eſt, vt Saponaria officinalis, Gypſophila Struthium, Lychnis chalcedonica, Sapindus Saponaria. Hi ſapones ſicuti fluidi ſunt, ita ars tam fluidos quam molles et ſolidos producit; quorum hi non poſſunt praeparari, niſi ex oleis frigore coeuntibus. Color etiam multiplici modo variat pro ratione pinguedinis ſumtae, vel et pigmenti admixti; hinc

et

et viridis, niger, brunus, variegatus aliique ſuppetunt. Si vſus oeconomicus ſaponum vnice ſpectetur, eligiuntur plerumque pro eorum praeparatione et pinguia et alcalia pretio viliora: e. c. ex pinguium cenſu pinguedines animales vel oleae expreſſa domeſtica, et ex alcalium cenſu cineres vulgares lignorum vel cineres clauellati. Horumque vſus pro emollienda et purganda cute, pro eluenda pinguedine pannorum laneorum, goſſypinorum, ſericeorum, lineorum, et detergendo veſtimentorum quolibet genere, item ad pannos iſtos varios pro coloribus, quibus tingendi ſunt, aptiores reddendos, notiſſimus eſt. Quaedam tamen huius generis opificia praeſtantiores ſapones requirunt; et mollior aetas ab iis ſaponibus, qui cuti dicati ſunt, et gratiam odoris et alias dotes deſiderat. Sed tranſeo haecce, quum non huius loci ſit ſingula ſaponis capita perſequi, qua in re alii ſuppetias commodas ferunt (Vid. TACHENIUS in HIPPOCRATE *chemico cap.* 4. qui primus ſaponis vulgaris praeparationem curate deſcripſit; SPIELMANNUS in *Nov. Act. nat. curioſ. tom.* 3. *p.* 442.; DU HAMEL *L'art du Savonnier* 1774. vbi et machinae et inſtrumenta neceſſaria in arte ſaponaria repraeſentantur). Dictis modo planior via reddenda

reddenda fuit ad naturam et vim ſaponum medicatorum intelligendam. Primum merito locum ſibi vindicat

SAPO ALICANTINVS (vulgo in officinis dictus), rectius Alonenſis; SAPO ALBVS HISPANICVS *Ph. Edinb.* Hic ex ſale Sodae et oleo Oliuarum paratur. Ex iisdem materiis etiam albus, qui Maſſiliae conficitur, conſtat. Addi ſolet calx, vt alcali tanto magis cauſticum euadat et connubium facilius cum oleo ineat; ſine qua tamen et ſapo optimae notae (ad mentem SPIELMANNI in EIVSD. *Chem. p.* 63.) effingi poteſt. Maſſilienſem ample deſcribit DU HAMEL (*Traité des arbres et arbuſtes tom.* 2. *p.* 83.). In vſum medicum frigide ſic paratur. Vna pars calcis viuae et duae Sodae Hiſpanicae in aheno ferreo cum duodecuplo circiter aquae paullisper ebulliunt. Lixiuium tum colatur et igni ſuperimponitur, quo concentretur in eum gradum, vt vitrum vnciam vnam aquae alias complectens lixiuii vnciam vnam cum drachmis tribus comprehendat. Huius lixiuii concentrati vna pars cum olei Oliuarum duabus partibus in vaſe vitreo vel terreo cocto miſcetur, miſcela ſubinde agitatur ſpathula vel piſtillo, vnde ſpiſſatur et breui

colorem album aſciſcit. Inter ſeptem vel octo dies albus et durus ſapo emergit (MACQUER *Dictionnaire de Chimie tom. 2. p. 352.*). Sed in officinis vulgaribus ſaponariis coctione lenta et protracta ad combinationem partium vtuntur. In ſapone Alonenſi proportio olei ad ſal eſt, vt 4 ad 3; in Maſſilienſi vt 5 ad 3. (GEOFFROY *Mem. de l'ac. R. d. ſc.* 1739. *p.* 286.). Poſſemus Alonenſi in medicina acquieſcere, nam non tam ingratus eſt, vt multi alii, modo non rancidus euaſerit, quod colore rufeſcente cognoſcitur, qui primum in externa ſuperficie ſeſe manifeſtat. Nec alium ſaponem hodie Ph. Edinburgenſis ſiſtit. Sed aliis placent alii, iam commemorandi.

SAPO AMYGDALINVS. Primarium eſt, vt, loco alius olei, oleum Amygdalarum ſumatur. Encheireſis igitur modo ſignificata et pro hoc adhiberi poteſt; ſicque purior euadit et vſui medico accommodatior, quam SAPO AMYGDALINVS *Ph. Lond. p.* 34. cui lixiuium ſaponariorum ex cineribus Ruſſicis et calce viua inſeruit.

SAPO VENETVS ex albo coeruleo et rubro maculatus eſt, qui color ex admixto Vitriolo martis prouenit. Ratio olei ad alcali in hoc eſt, vt

vt 3 ad 8. (SPIELM. *Nov. A. N. C. l. c. p.* 444. *Chem. p.* 64.). Ob maiorem alcali quantitatem durior eſt. Non aeque commodus vſui medico interno eſt, vt ſpecies dictae. Additur compoſitis variis pharmaceuticis extrinſecus applicandis.

SAPO EX BVTYRO DE CACAO FRATRVM GRAVENHORST. *Hann. Magaz.* 1773. *n.* 42. Ex alcali minerali et oleo iam dicto. Praeſtantiae argumenta iam alibi declaraui (*Appar. med. vol.* 3. *p.* 391.). Reliquis vſitatis omnibus pro vſu interno aptiſſimus. Idem vel non multo diſcrepans eſt SAPO MEDICATVS SPIELM. *Pharm. gener. p.* 293.

SAPO TARTAREVS ſ. CORRECTOR STARCKEY, *Ph. W. p.* 173. Documentum exhibet ſaponis cum oleo aethereo facti, et paratur operoſa encheireſi ex ſale Tartari et oleo Terebinthinae, vtrisque puriſſimis. Hodie obſoleuit eius vſus medicus, vti et PILVLARVM POLYCHRESTARVM STARCKEYI *Ph. W. p.* 140., quas intrat vt corrigens Opii et Hellebori, ſed vana ſpe.

OFFA ALBA HELMONTII (SPIELM. *Pharm. gen. p.* 227.). Ex ſpiritu ſalis ammoniaci cum ſale Tartari parato et alcohole vini. Pro vſu interno hodie rarius praeſcribitur.

LINIMENTVM VOLATILE *Ph. Lond. p.* 117. Ex oleo Amygdalarum et ſpiritu ſalis ammoniaci (alcalini). *Pharmacopoea Wurtenberg. ed.* 1786. *p.* 95. recipit oleum Oliuarum et ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce viua. Pro vſu externo valde egregium, de quo ſub ſale ammoniaco aptius dicetur. Silentio praetereo alios ſapones alcali volatile complectentes, vel rarius in officinis obuios vel paullo inconcinnius ſaponis nomine inſignitos.

SAPO ACIDVS. Nondum quidem officinas intrauit hoc ſaponum genus, ſed quoniam experimenta quaedam practica iam vere cum iſto inſtituta ſunt, omitti in ſpecialiori recenſu nequit. Generalia quaedam de hocce ſupra iam monui. Iſte autem adhibitus ex acido Vitrioli concentrato et oleo Oliuarum coadunatur, nam iſtud acidum omnium optime cum oleis expreſſis ſeſe combinat. Proceſſus a cl. CORNETTE (*Mem. de la Societé de Med. de Paris, tom.* 3. *p.* 189.) deſcriptus ſequens eſt. Intra mortarium vitreum vel porphyreticum olei Oliuarum coagulati vnciis quatuor ſenſim et paruis portionibus acidi vitriolici concentratii vnciae duae et dimidia ſuperinfunduntur. Agitatio fit

fit continua miſcelae, interuallum modo concedendo, dum portiuncula acidi addatur. Sic illa denſitatem notabilem acquirit. Subiungitur poſtea eiusdem per 24 horas digeſtio, vt connubium partium tanto arctius fiat, et tandem ad ſuperfluum acidum tollendum vel exponitur maſſa aëri humido, vt acidum humiditatem attrahat, vel aqua deſtillata feruens adfunditur, ſcilicet pro pondere dicto vnciae octo. Sapo tum liqueſcit et ſuperficiem petit, aufertur autem poſtquam refrixerit. Sic redundant ſaponis paullo flaueſcentis et ſatis ſolidi vnciae quinque. Oleo Been, alterius in locum adhibito, ſapo albidior fit.

Enumeratis iam praecipuis ſaponibus, quibus in arte noſtra vtimur, ad virtutes eorum medicas progredior. Quaedam harum iam experimentis extra corpus inſtitutis cognoſci poſſunt. Nempe ſaponi datum eſt, reſinas vegetabiles, balſama et pinguedines, ſoluere et haecce omnia cum aqua miſcibilia reddere. Haecce vis in exhibendis iſtis inſtar medicamenti magnum commodum parit et cauet, ne indigeſta et compacta ſine effectu per aluum ſecedant. Quam egregie cum hacce efficacia effectus ſaponis in corpore humano

conſpiret, felici et frequenti experimentorum in multis morbis mox ſignificandis ſucceſſu conſtabit.

Veteres ſaponem applicationi externae vnice deſtinarunt, niſi huc trahere velis locum DIOSCORIDIS (*M. m. lib.* 1. *cap.* 186.), quo lixiuium ex crematis in cineres ficus ſarmentis commiſtum cum olei exiguo ad ſanguinem in grumos concretum reſoluendum commendatur. PLINIUS (*Libr.* 28. *cap.* 12.) ceterum primus ſaponis meminit, et quidem ex ſeuo et cinere parati, tanquam inuenti Gallorum ad rutilandos capillos. A Romanis ad Graecos notitia et vſus ſaponis medicus tranſiit, nam eum memorat ARETAEUS, AËTIUS, PAULLUS AEGINETA. Tempore tamen JOANNIS DE GADDESDEN (*in Roſa Anglicana*), qui ſeculi 14. initio in ſchola Oxonienſi docuit, a quibusdam artem ſalutarem non profitentibus (ignorantes vocat) ſapo contra icterum exhibitus, quem vſum ille quidem ſpreuit. FRANCISCI DE LA BOE SYLVII, Lugdunenſis Profeſſoris, autem meritum eſt, quod ſaponem ad internum vſum inter primos ſua auctoritate reuocauerit, dum eundem in ictero laudat.

Iure igitur efficacia ſaponis in ictero praemittenda eſt. SYLVIUS (*Oper. med. lib.* 1. *cap.* 46. §. 75.

§. 75. *ed. 2. p.* 306.) eum aliquoties feliciter dedit ad drachmam circiter vnam, ſolutum lacte calente et ſacchari tantillo edulcatum, bis aut ſemel de die. Communi fere iam conſenſu praeſtantiam eius in hoc morbo agnoſcimus, quando a coagulis viſcidis vaſorum biliarium, vel obſtructionibus hepatis ductus exiguos comprimentibus, non nimis inueteratis, enaſcitur. Adduntur ſcite ſaponi extracta reſoluentia, qualia ſunt Taraxaci, Marrubii cum ſero lactis, frictione abdominis et cibo vegetabili ſaponaceae naturae. Sic infantibus ictero laborantibus egregie ſubuenit (ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 295. *ſq.*). Eſt tamen, qui in ictero ſaponem et ſalia alcalina eo vnice proficere exiſtimet, quod bilis deficientis vices agat in cibo digerendo, et inteſtina expurget (HEBERDEN in *Med. Tranſact. vol.* 2. *p.* 166.).

Multum tribuit cl. COE (*Treatiſe on biliary concretions or ſtones in the Gall-Bladder and Ducts p.* 295.) in concretionibus biliofis ſaponi, vt qui non in primis modo viis ſed et in ſanguinem receptus vim ſuam exſerat, cum quo tamen alia reſoluentia combinat. Veris calculis tamen non ſufficit. In viro enim, qui per ſeptem annos ob

calculum veſicae vrinariae quotidie ſaponis vnciam vnam ingeſſerat, poſt mortem magnus numerus calculorum in veſica fellea inuentus eſt (HEBERDEN *l. c. p.* 165.). Nec ill. Anglus WALPOLE, licet ſupra octo annos quotidie fere vnciam dimidiam ad integram ſaponis caperet, liber a calculis cyſtidis felleae aperto cadauere deprehenſus fuit, ſed e contrario, etſi nulla eorum indicia per vitam adfuerant, repleta cyſtis iſta iisdem apparuit, quorum vnus magnitudine Caſtaneam exiguam, ponderis drachmae vnius cum granis quadraginta duobus, exaequauit (*Phil. Tranſ. vol.* 47. *p.* 472. *vol.* 50. *p.* 205. Conf. *Hiſt. morbi et ſectio cadaueris* in WHYTT's *Works p.* 433. *ſqq.*). Fruſtra et matrona per plures annos pilulis ſaponaceis contra colicam ex calculo felleo vſa eſt; quod idem accidit in aliis, in quibus omnia ſigna calculi fellei exſtiterunt (BERGIUS in *Vet. Acad. Handl.* 1777. *p.* 309.). Tantoque minus videtur, per os captum ſoluere hoſce calculos poſſe, quum ne immerſo quidem calculo in ſolutionem ſaponis veſtigia vlla decrementi apparerent, imo lixiuium adeo ſaponariorum nonniſi tincturam pallide viridem proferret (HEBERDEN *l. c. p.* 164.).

Farraginem iſtam medicaminum, quae matrona Anglica STEPHENS contra calculum vrinarium mercede data publici iuris fecit (quae olim de conchis acturus enucleabo), virtutem ſuam calci et ſaponi debere, iam ſatis nouimus. In hiſce igitur nunc ſaniori iudicio ducti ſubſiſtimus. Saponis ſolius vim lithontripticam demonſtrat ſolutio calculorum huius generis in aqua, quae ſaponem Alonenſem calore excepit (WHYTT's *Works p.* 391. §. 65. *p.* 393. §. 67. §. 70.). Sed aliis ſimilibus experimentis euincitur, vim ſaponis augeri, ſi in aqua calcis ex conchis liquatus fuerit, ſicque conſpicuam magis ſolutionem fieri calculi, quam aqua ſaponacea vel aqua calcis ſola (*l. c. p.* 391.). Vnde argumentum captum eſt, vtrumque, ſaponem et aquam calcis, in praxi medica coniungendi. Et haec combinatio tanto opportunior eſt, quum ſapo acidum primarum viarum frangat et aluum apertam teneat, quae facile aqua calcis ſtrictior euaderet (*l. c. p.* 404.). Nam acida, vt ſupra dictum, ſaponis nexum tollunt, et deſtruitur adeo ſaponis vis in calculum liquoribus fermentatis et debilitatur ſpirituoſis, vti et ſaccharo vel melle (*l. c. p.* 393.). Non maiori autem quantitate ſaponis opus eſt, quam vt aluus blande

aperta ſeruetur; ſi plus capitur: nullus in calculum effectus redundat (ALSTON's *Lectures on the Mat. med. vol.* 1. *p.* 268.). Initium fieri poteſt a drachmis tribus ſaponis et pinta vna Anglica per diem, ſenſim aſcendendo ad ſaponis drachmas ſex, quin vnciam vnam et aquae calcis pintas duas ad tres, et continuandus vſus pro effectu per aliquot menſes vel annos. Quidam autem omnino ſaponem faſtidiunt, nec ferre illum poſſunt ob exulcerationem viarum lotii: hiſce aqua calcis ſola acquieſcendum eſt (WHYTT *l. c. p.* 407.). Quod idem conſilium iis commodum, quibus aluus nimis laxa eſt (*l. c. p.* 451.). — Aſt ſapo quoque obuerſa ratione non caruit optata vi in deſtruendo calculo (ALSTON *l. c.*) absque aquae calcis connubio. In aegro ſupra octogenario, qui vltra ſex annos per diem illum a drachma vna ad ſex ſumſerat, nullus calculus in veſica poſt mortem repertus eſt, licet catheter antea eum manifeſtaſſet (*Phil. Tranſ. vol.* 50. *P.* 1. *p.* 221. 226.). — Sub hiſce praeconiis tamen fatendum eſt, aliquando nec calcem nec ſaponem, nec combinatum hocce remedium, calculoſis mederi. Subinde etiamſi calculum ipſum non ſubigat, prominentias tamen eius et acutos angulos

emollit

emollit et delet, vt malum tolerabile reddatur, et diſpoſitionem ad calculum minuere videtur. Sed de curatione calculi per aquam calcis alio loco amplioribus dicam.

In cognato malo, arthritide, ſunt qui multis laudibus ſaponem efferunt. Nemo vero liberalius cl.mo LIGER (primum in academica diſſertatione ſ. *Quaeſtione medica, an arthritidi ſapo?* 1747. dein vberius in *Traité de la Goutte* 1753.), adeo vt eundem omnibus reliquis praeferat, et omni eiusdem ſpeciei commodum iudicet. Mox paroxyſmo exacto illum exhibet, nec niſi emaciatis et hominibus temperiei calidae quantitatem abbreuiare opus arbitratur. Pro formula illi eſt miſcela ex Saponis drachma dimidia, Rhabarbari et Gentianae $\overline{aa}$ granis decem, ope ſyrupi purgantis in bolum redigenda, et cum ptiſana Chamaepityos capienda, initio per quatuordecim dies ſemel de die, dein per menſem mane et veſperi, tum iterum per duas hebdomades ſemel, per menſem ſubſequentem rurſus bis quotidie, ſic continuando quamdiu neceſſe eſt. Interpolanda hiſce, quoad ſeriem temporum forſitan iuſto artificioſius praeſcriptis, blanda purgantia (LIGER *Traite*

p. 295.

p. 295.). Multum et tribuit ſaponis cum amaris, ne ventriculus debilitetur, connubio BERGIUS (*Svar på frågan om Gikt p.* 17.), illudque per plures annos protrahi iubet. Cl. CLERK (in PRINGLE'S *Obſerv. on the diſ. of the army p.* 163.) obſtinatos caſus mali iſchiadici aliasque arthriticas affectiones remouit ſapone ab vncia dimidia ad integram quotidie per plures menſes dato. Externa quoque ſaponis applicatio confert. Solutione ſcilicet eius in aqua calida, quaſi balneo, pars dolens fouenda eſt (LIGER *l. c. p.* 263.). Qui vero calorem non ferunt, hiſce conducit, ſaponem cataplaſmatis forma cum corpore pingui e. c. cum butyro de Cacao compactum applicare. Hocce quoque auxilio nodi arthritici in quolibet eorum ſtadio vel diſſipantur, vel, ſi tophoſa materies latet, eiusdem effluuium adiuuatur (*l. c. p.* 267.).

Quum in durioribus iſtis liquidorum noſtrorum coagulis ſapo tantum valeat, ſpes affulget, eum in mollioribus quibusdam non cariturum eſſe potentia. Non immerito ita ſentiri, experiundo confirmamur. Pertinent huc morbi iſti numeroſi, quos BOERHAAVIUS (*Aphor. de cogn. et cur. morb.* §. 69.

§. 69-75.) ex glutinoso spontaneo deriuauit, in quibus mucus tenacior et abundantior in vitio est. In hoc subigendo licet sapo non vnicum auxilium absoluat, non exiguum tamen praestat; commoda simul est saponis cum bilis inspissatae miscela (SWIETEN *Comment. tom.* I. *p.* 108.).

In febre rheumatica, dum sanguis crassus et lardosus apparuit, modo calor non nimis vehemens esset, profuit prae reliquis exhibere aegris aliquot grana saponis Alonensis multa aqua soluta, vnde humores diluti, aluus subducta et commodum in lotio sedimentum successit (SARCONE *Krankh. in Neapel, vol.* I. *p.* 108.).

Compactius sine dubio est coagulabile istud sanguinis in polypis cordis: attamen tantum tribuit ill. Gallus (SENAC *Traité du coeur, tom.* 2. *p.* 426.) soluenti saponis potentiae, vt et contra hosce optima inde exspectet.

Liquat quoque sapo adipem in tela cellulosa nimia copia coaceruatum, et lente eum aquosis humoribus corporis nostri mistum per colatoria varia educit. Sperari iam hic effectus potest ex eius in eluendis maculis pannorum pinguibus efficacia.

efficacia. Commemorari hic meretur exemplum medici libras 291. (quum alias pondus medium hominis fere 160. librarum eſt), ſub breuitate corporis ponderoſi, vnde muneri ſuo fere impar euaſit; hic tamen ſaponis ad drachmas duas omni veſpera capti ope ſic gracileſcere coepit, vt intra aliquot menſes decrementum librarum 28 pateretur et commode inambulare poſſet cum ſanitatis conſtantia. (FLEMYNG'S *Diſcourſe on the nature cauſe and cure of corpulency Lond.* 1760.).

Apud infantes lactantes ſaponis ſaepe inſignis vtilitas eſt tam ad coagula lactis auertenda, quam, ſi praeſto ſunt, reſoluenda. Sic variarum affectionum, torminum, icteri, obſtructionis aluinae, eclampſiae, efficax in hiſce medela exiſtit. Exigua ſaponis portio lacti, dum butyrum parandum eſt, addita impedit neceſſariam partium ſeparationem, vnde iam intelligitur, quantum hac re in corpore humano valeat. Acidum, in quod ea aetas inclinat, infringendo cauſam, quae lac coagulat, prohibet. Si vero iam compactum fuerit, commode ſaponi aqua deſtillata aromatica ſoluto tinctura Rhei aquoſa et ſyrupus gratus ſubiungitur, vnde breui poſt glebae caſeoſae cum inſigni leuamine

leuamine et ventris detumeſcentia prodeunt. — Ob hanc lactis coagula arcendi vim, e re eſt diaeta lactea ob phthiſin vel podagram vtentium mane ſex vel octo grana ſaponis capere (SWIET. *Comment. vol.* 4. *p.* 685.).

Praeter dictas obſtruentes cauſas alia fixior ſubinde ſubeſt, dum liquidum tenacius impactum vaſa obſerat et alluenti a tergo liquido obicem ponit. Ita ſeſe res habet in tumoribus frigidis glandularum. Hoſce ſaepe egregie diſpellit ſapo, etiam tum interdum, quando mercurius fruſtra tentatus fuit. Detur ab vncia dimidia ad integram ſupraque, ſi ventriculus id ferat (WHYTT's *Works p.* 672.). Quin praeferri Mercurio meretur, vtqui facile ſtimulo ſuo inflammat, et ſcirrhum in carcinoma vertere poteſt, humores praeterea nimium fundit et vires proſternit (*l. c. p.* 675.). Verum ſcirrhum ſolui poſſe, non tamen videtur: aſt iam magni momenti res eſt, quod obſtructione non nimis confirmata et molliori iuuet (*l. c. p.* 674.). Subiungenda autem me iudice eſt generatim cautio, quam L. B. A SWIETEN (*Comm. vol.* 3. *p.* 152.) de ſcirrho ventriculi adiecit, in quo quidem ſaponem commendat,

mendat, vt abſtineatur ab eo illico, ſi dolores augeantur, nam tum indicio eſt, ſcirrhum in cancroſam indolem degenerare, quae ſaponem non fert.

In rachitide eximia praeſtat, tam quoniam acidum refraenat et ciborum digeſtionem et boni chyli praeparationem adiuuat, tum et quoniam obſtructiones glandularum meſenterii reſerat. Confert tum ſapo Alonenſis in miſcela fellis bouini et radicis Ari; vel, ſi cum ditioribus res eſt, loco Alonenſis offa Helmontiana in eadem miſcela: ſed non neglectis aliis, quae pertinax morbus requirit (ROSENSTEIN *l. c. p.* 403. 406.).

Verum et in obſtructionibus viſcerum vſus internus ſaponis conſuetus eſt, e. g. illum cum extracto Taraxaci, Gummi ammoniaco, amaris, commiſcendo.

Hypochondriacis et hyſtericis ſubinde moleſtus eſt ſenſus doloroſus cum vomitu mox poſt prandium; qui tamen ſaepe drachmis duabus ſaponis quotidie captis tollitur (WHYTT *l. c. p.* 697.).

Nec

Nec ſpernendum eius auxilium contra vermes in adultis eſt, nam drachmae ſex vel vncia vna pluries ſingulas eorum ſpecies profligarunt (WHYTT *l. c. p.* 665.).

Verum et multiplices valetudinis offenſas inſtar externi remedii vincere valet. Veteres iam, nominatim ARETAEUS (*de morb. acut. et diuturnis* ed. BOERH. *p.* 135.) et PAULLUS AEGINETA (*Lib.* 4. *cap.* 1.), ſaponem in balneo ad detergendam cutem in elephantiaſi, et poſterior in vitiligine quoque et prurientibus affectibus, laudarunt; quam ipſam virtutem in foeda ſcabie, in noſocomiis bellicis graſſante, ſerius confirmatam deprehendimus. Sed in hunc finem in vilioris generis ſapone ſubſiſtere licet. Par illi efficacia inſidet in vlceribus ſordidis purgandis. Ad diſcutiendos tumores duros et ſcrophuloſos confert iſtos ſapone lacte ſoluto fouere. Verrucae et claui pedum ſapone humectato fricti ſenſim delentur. Abſceſſus, forma cataplaſmatis vel vnguenti, maturat. Tumores mammarum lactei apud puerperas fomentatione ex ſapone Veneto, lacte et aqua ſoluto, diſſipantur; conducit ſimul admittere bis vel ter vapores aquae tepidae cum molli

 frictione

frictione (V. SWIETEN *Comment. tom. 4. p. 639.*). Simili ex ſapone Veneto cum lacte epithemate tumores crurum vel pedum ex metaſtaſi lactea intra decem vel duodecim dies diſpelluntur (*l. c. p.* 611.).

Aluum obſtructam aperire illum, res eſt notiſſima. Per os captum id praeſtare iam monitum fuit, ſed conſuetius eſt, eum in enemate ſolutum eo fine ſubminiſtrare vel inſtar ſuppoſitorii in coni formam ſectum, item acrioribus nonnullis maritatum, applicare. Priori modo pertinaciores quoque alias obſtructiones ſaepe obſecundant.

Sunt et ſapones, qui in emollienda cute manuum multum valent, e. c. ſapo ex cera alba loco olei, cui vinum Burgundicum additur; odore hic ſimul placet, quaſi amygdalino (SCHEFFERS *chem. Föreläſningar p.* 253.).

Haec omnia eximia vel vnicus ſapo efficit. Plurimum virtutis ab alcali potentia reſoluente penetrante et ſtimulante pendet. Quoniam hoc vero nimis acre eſt, et calcis additamento adhuc acrius fit: obtundere neceſſe fuit ſtimulum pingui quadam materie, id quod ſalua primaria virtute fieri

fieri poteſt. Ita tuto absque roſione vel magna quantitate ſumitur; et pinguedine, qua compingitur, nouae vires exſurgunt. Vixque ſimile exſtat aliud, quod tot diuerſas vires, aperientes, attenuantes, reſoluentes in tanta coagulorum et concretionum diſcrepantia, relaxantes, detergentes, ſtimulantes, antacidas, item bilis vicarias, coniungeret. Quo purior eſt pinguis materia, et quo ſincerius alcali: eo praeſtantior emergit ſapo. Sedulo vero cauendum a ſapone rancido; hinc, niſi recens ſit paratus, interior modo pars fruſti, quae ſerius decoloratur, adhibenda in vſum internum eſt, nec magnae portiones eius, qualicunque forma id fiat ſimul ex pharmacopolio petendae. Commodiſſima ad ſaporem celandum forma pilularum eſt, modo aetas conferat.

Nocet vero ſemper ſub humorum ſcorbutica vel putrida diatheſi et, vlceribus lotii viarum infeſtantibus, haec ipſa exaſperat. Vitandus etiam eſt ab iis; qui haemorrhoidibus obnoxii ſunt, nam dolores auget (WHYTT's *Works p.* 430.). Nec ob ſtimulum, qui ineſt, tutum ſatis, eum in inflammatoriis febribus habeo, licet alii aliter ſenſerint (conf. GRUNERI et KRÜGERI *Diſſ. de vſu*

acidorum et ſaponis Hiſpan. in febris acutis praeſertim inflammatoriis).

Quae hactenus dicta fuere, ſpectant praecipue ad ſapones alcali fixo paratos. Reliqui earundem quidem virium in potiſſimis momentis ſunt: non poſſunt tamen non quidam e. c. acidi, item ii, qui alcali volatile comprehendunt, ſingularia quaedam habere. Cum ſapone vitriolico pauciſſima ſuppetunt hucusque capta experimenta eaque modo, quae cl. CORNETTE (*Mem. de la Societé R. de Med. tom. 3. p. 192. ſq.*) memoriae prodidit, qui ſemel illum in colica nephritica foeminae, in tumore hypogaſtrii virginis, item in tumore ſcirrhoſo mammae tentauerat haud ſine ſucceſſu, item in calculo veſicae vrinariae iunctim cum cl. DELASSONE, filio. Quum calculos vrin. quosdam nouerimus alcali, alios potius acido ſubigi: acidus ſapo forſitan ſoluet calculos, quando alterius effectu deſtituimur. Proderit quoque tum, quando exulceratio viarum vrinariarum alcalina non fert. Penetrantiores videntur eſſe ſapones alcali volatile complectentes, ſed prae ſua natura efficaciae inconſtantioris; nec tam arctum in hiſce partium connubium obtinet.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA ex SAPONE.

Multa eiusmodi vſui externo dicata in officinis proſtant, ad quae Germani ſaponem Venetum, Angli ſaponem Alonenſem, adhibent.

OLEVM SAPONIS *Ph. W. p.* 132. Eſt empyreumaticae naturae, hinc acre, nec niſi externe ad tophoſos tumores reſoluendos et vlcera depuranda idoneum.

SPIRITVS SAPONIS SPIELM. *Ph. gener. p.* 313. Ex ſapone Veneto et ſale Tartari probe tritis et ſpiritu vini rectificato cum tantillo quintae Eſſentiae Bergamotte ſolutis. In officinis noſtris nomine Eſſentiae ſaponis ſapo ſoluitur vnice ſpiritu vini Gallico, additis oleis deſtillatis odoris. Ganglia minora et crebro obuia tendinum egregie diſcutit, dum bis vel ter per diem infricatur, et per noctem ſplenio exceptus applicatur (SCHMUCKER's *chirurg. Wahrnehm. vol.* 1. *p.* 574.).

VNGVENTVM SAPONACEVM *Ph. W. p.* 250. Ex ſapone Veneto, oleo laurino, lumbricorum terreſtrium et ſpiritu ſalis ammoniaci. Extenſum ſuper corium tenue in rheumatiſmis chronicis commodum. Vis ceteroquin fere, vt in Linimento volatili, ſed conſtantior.

LINIMENTVM SAPONACEVM *Ph. Lond. p.* 117. Ex ſpiritu Roriſmarini, ſapone Hiſpanico et Camphora.

BALSAMVM SAPONACEVM vulgo OPODELTOCH *Ph. Edinb. p.* 96. Viribus fere conuenit cum priori.

BALSAMVM ANODYNVM vulgo BATEANVM. *Ph. Ed. p.* 94. Compoſitio fere praecedentis, ſed Opium additur.

EMPLASTRVM SAPONATVM BARBETTE *Ph. W. p.* 71. Ex oleo roſato, Ceruſſa, Minio, coctis et commixtis cum ſapone Veneto, demum Camphora in ſpiritu vini ſoluta. In ictero, ſi tumor hypochondrii iungitur, et ad tumores frigidos diſſipandos imponitur.

EMPLASTRVM E SAPONE *Ph. Lond. p.* 151.

EMPLASTRVM SAPONACEVM *Ph. Ed. p.* 108.

SPINA-

SPINACIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 742. *Gen. pl. p.* 520.

460.

Pharm. SPINACIAE ſ. SPINACHIAE *Folia.*

Spinacia oleracea; fructibus ſeſſilibus LINN. *Spec. pl. p.* 1456. Exſtant duae varietates, ſcil. α, Lapathum hortenſe ſ. Spinacia ſemine ſpinoſo C. B. et β, Lapathum hortenſe ſ. Spinacia ſemine non ſpinoſo C. B. Variat quoque foliis vel magis acutis vel rotundioribus. Icon: BLACKWELL *Herb. tab.* 49. Annua. Vbinam ſponte proueniat, non conſtat. Ex Hiſpania in reliquam Europam peruenit. Iam in omnibus hortis culinaribus colitur.

Nam olus vulgare FOLIA conſtituunt, eo acceptius, quoniam, frigidiſſimis menſibus exceptis, per totum annum etiam ſub niue, modo ſatio commodo tempore fiat, viret. Menſibus vernalibus et aeſtiuis ſi ſeritur Spinacia, facile cauleſcit. Succo ſcatent aquoſo, ſapore herbaceo inſtruuntur folia, odore autem carent. Coctione cum aqua eandem non tingunt, protractiori tamen

ſubdulcem eam reddunt et inſpiſſatione extracti aquoſi quartam ponderis partem erogant, ſalini, in quo manifeſtae cryſtalli conſpiciuntur (SPIELM. *Diſſ. de oler. Argentor. Faſc. 2. p. 34.*). Vix inter medicamina locum merentur. Parciſſime nutriunt, ſed eſca ſunt humectans, nonnihil aluum emolliens. Diſplicet multis fatuus ſapor, qui aromatum vel acidorum, quorſum herba Acetoſae, item butyri additamento corrigitur. Qui debilitate primarum viarum laborant, difficile illam digerunt et flatus facile inde concipiunt. Non igitur inſtar cibi aegrotantium vel morbo nuperrime emergentium facile Spinaciam admitterem. Plus lucri pro replendo ventriculo ex foliis Rumicis Patientiae capi poteſt.

Tuſſim foliis mitigari, multis placet. In cataplaſmate tumores emollire poſſe, non repudio, licet humiditati et tepori potius hanc vim tribuendam arbitrer, quam propriae Spinaciae indoli.

ATRI-

ATRIPLEX.

LINN. *Syſt. veg. p.* 763. *Gen. pl. p.* 545.

461.

Pharm. ATRIPLICIS SATIVAE *Herba; Semen.*

Atriplex hortenſis; caule erecto herbaceo, foliis triangularibus LINN. *Spec. pl. p.* 1493. Suppetit duplex Varietas, viridis et rubra, promiſcue et pro vſu medico laudata, etſi LINNEUS (*Mat. med.*) rubram ſpeciatim tanquam officinalem proponit. Crebrius occurrit Var. *α. viridis;* Atriplex hortenſis alba ſ. pallide virens C. B. Icon: BLACKWELL *Herb. tab.* 99. Pl. annua, cui Tartariam in *Spec. pl.*, Sibiriam in *Mat. med.* patriam adſcribit LINNEUS. Colitur iam inter alias culinares plantas; quin ſaepe ex delapſis feminibus ſponte reſurgit.

In tanta olerum vbertate, quae praeſto eſt, FOLIA eius hodie negliguntur, quin vix a plebe amplius eduntur. Nec commendabilia reddit ſapor, qui fatuus et herbaceus ſtimulo alieno eget, qualem de Spinacia dixi, quae ipſa, vtpote ſubdulcis, magis palato arridet Atriplice. Aeque parum nutritiarum partium continet, et aeque

inepta eſt hiſce, quorum primae viae nimium relaxatae ſunt.

Nec ſcrutinium ſiue guſtu ſiue olfactu inſtitutum efficaciam vllam medicam promittit. Quod diluat ſanguinem, fibras relaxet, aluum molliat, cum aliis oleraceis commune habet. Euiluit et vſus pro epithematibus et clyſmatibus.

SEMEN duplicis generis, alterum minus depreſſum (ex flore hermaphrodito), alterum maius compreſſum (ex flore foeminino), vtrumque orbiculare. Emeſin illud ciere et aluum mouere et quidem potentius, notarunt quidam veterum RHAZES, (teſte SERAPIONE apud MATTHIOLUM) item PLINIUS (*Nat. Hiſt. lib.* 20. *cap.* 20. *ed.* DALECH. *p.* 965.), adſentitur MATTHIOLUS (*Comment.* in DIOSC. *p.* 364.) pharmacopolam quendam memorans, qui apud ruſticos adeo eius vſum fecit eo effectu, vt non ſine magna moleſtia aluum copioſe cieret, item crebros vomitus prouocaret. Sed neque ad haſce virtutes hodie reſpicitur; neque in commendationem cedit, quod numerum ſtolidae farraginis in PVLVERE EPILEPTICO AD GVTTETAM RICERII *Ph. W. p.* 151. augeat.

HERNIA-

HERNIARIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 215. *Gen. pl. p.* 121.

462.

Pharm. HERNIARIAE *Herba.*

Herniaria glabra; glabra herbacea LINN. *Spec. pl. p.* 307. Polygonum minus ſ. Millegrana maior C. B. Icon: *Flor. Dan. tab.* 529. REGNAULT *Botan.* La Turquette. Pl. annua, in arenoſis vulgaris.

Nulla virtute valde eminet, nec hodie amplius in formulas medicorum recipitur. Caret odore, nec vix ſaporem alium quam herbaceum prodit. Infuſum tamen leuiter amarum eſt, et Vitriolo martis fuſcum euadit.

Antiquiores medici vires varias de ea deſignarunt, quarum ratio nulla manifeſta eſt. Quod ad hernias curandas aptam crediderint, iam nomen Herniariae item Herniolae ſignificat. Huiusque poteſtatis in fidem FALLOPII, (V. MATTHIOL. in DIOSC. *p.* 677.) HOLLERII (*Tract. de morb. intern. c.* 62.), HILDANI nomina allegari ſolent. Datus

eſt

eſt ſuccus expreſſus ab vnciis duabus ad quatuor, ſolus vel in miſcela vini albi per plures dies, vel puluis in commodo vehiculo; quin epota aqua eius deſtillata credulis impoſuit. Item cataplaſma ex herba poſt reductam herniam impoſitum. Nam incarceratam a beneficio eius excluſerunt. Sed quis hodie vel in illis, quae reductioni locum concedunt, opem ſerio ab hac ſtirpe exſpectabit? — Eadem inertia accuſanda in ſoluendo calculo, contra quem tamen valere olim quoque creditum. Anne, lotium mouendo ſimulque arenulas pellendo, moleſtias ab eo concitatas leniuit? Nam in inflatione hydropica cutis commodam fuiſſe legitur (vt expertus narrat CHOMEL *Plantes uſuelles tom.* 1. *p.* 312.). Nec vllus medicorum ocularium amplius in debilitate viſus eam tentat, quem acuere tamen olim non verius, quam de Euphraſia factum eſt, exiſtimarunt (Cfr. GRUHLMANNI *Diſſ. Herniaria, remedium contra caliginem, Ien.* 1706.).

CAMPHO-

CAMPHOROSMA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 139. *Gen. pl. p.* 64.

463.

Pharm. CAMPHORATAE *Herba.*

Camphoroſma monſpelienſis; foliis hirſutis linearibus LINN. *Spec. pl. p.* 178. Camphora hirſuta C. B. Camphorata monſpelienſium JO. BAUH. *Hiſt. pl. tom.* 3. *p.* 379. Icon: BUXBAUM *Plant. minus cognit. cent.* 1. *tab.* 28. *fig.* 1. Pl. perennis, locis arenoſis in inferiori Gallia Hiſpania et in Tartaria creſcens.

Nomen tulit HERBA ob odorem ſubcamphoraceum, quem recens ſpargere fertur, digitis contrita. Hic an cultu pereat, non dixerim, certe in hortenſi illum non animadúerti. A paucis modo eiusdem inſtar medicamenti mentio fit, et qui eam memorant tantum non omnes in nudis morborum titulis, vel generali virium commemoratione, acquieſcunt. Non ſatisfacit mihi, quod a LOBELIO vulneraria, a PARKINSONIO (*Theater of plants p.* 569.) praeterea tanquam cephalica depraedicetur, nec quod in doloribus arthriticis, ſpaſmis, paralyſi, defluxionibus oculorum, laudet DALE (*Pharmacologia p.* 84.). Initio ſeculi celebritatem aliquam

aliquam in inferiori Galliae parte nacta videtur, qua excitatus cl. BURLET (*Hiſt. de l'ac. des ſc.* 1703. *p.* 53 *ſq.*) ad experimenta proceſſit, quorum ſummam reliquis fuſius expoſuit. Huius praecipue fide memoro, quod hydropem recentem, quem nec magna virium iactura nec multum febris comitetur, diſcutiat, et aſthma, idque, quantum ex deſcriptione colligitur, pituitoſum, reſoluat. Coniectura magis videtur quam experimentis dedita opera factis ſuffultus efficaciam ad obſtructiones viſcerum, chyli et ſanguinis praeparationi dicatorum, ad viſcidam lympham, fluorem album et ſcorbuticum, extendere. Auferri debent cauliculi duriores, tenelli vero foliis onuſti, poſtquam conciſi fuerint, decoquuntur ab vncia vna ad duas in aquae pintâ vna gallica (= ℔j pond. civ.), vel duabus, vel aliquando vino macerantur; vel inſtar infuſi theaeformis capi poſſunt. Continuatio eius facta fuit per plures menſes, diutius in hydrope quam aſthmate; et profuit etiam iuncto malo. Plerique in paucitate auctorum, qui eius meminerunt, tanquam hydropis medelam proponunt (Ita et MAGNOL. in BOTAN. *Monſp. p.* 47.). Sed nullo in morbo hodie, quantum equidem noui, praecipitur.

PHYTO-

PHYTOLACCA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 364. *Gen. pl. p.* 233.

465.

Pharm. PHYTOLACCAE *Herba; Radix.*

Phytolacca decandra; floribus decandris decagynis LINN. *Spec. pl. p.* 631. Phytolacca vulgaris DILL. *Hort. Eltham. p.* 318. *tab.* 239. *fig.* 309. 310. REGNAULT *Botan.* Le Raiſin d'Amerique MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* Pl. perennis, procera, Virginiam patriam habet, vti et Helvetiam transalpinam (HALL. *Hiſt. ſt. helv. n.* 1007.), Milanum, Florentiam, agrum Pedemontanum. Hiemes noſtras quoque fert, niſi nimium gelu infeſtet, contra quod foliis radices tegere confert.

FOLIA tenella vere erumpentia in America inſtar Braſſicae vel Spinaciae impune eduntur, adulta autem aluum fortiter et cum periculo mouent (KALMS *Reſa til Norra America tom.* 2. *p.* 316.). Licet in ſtirpibus a vi vnius partis ad vim alterius non apte concludatur: memorabile tamen, quod conſpiret viroſa natura RADIX, cuius ſucco ad duo cochlearia dato Americae ſeptentrionalis incolae aluum

aluum fortiter mouent (MILLER's *Diction.* ex PARKINSONIO), item *baccae* immaturae. Guttae enim aliquot ſucci harum expreſſi et cani per os infuſi tuſſim vehementem, tremorem et aliquot motus conuulſiuos crearunt, drachmae vero duae effectus multo vehementiores excitarunt, etſi breui priſtina integritas rediit (SPRÖGEL *Diſſ. Experimenta circa venena p.* 24.). Maturae tamen ſubinde ab infantibus absque manifeſta noxa ingeruntur (KALM *l. c.*). Succus recens baccarum maturarum violaceus eſt. Aqua grate eodem tingitur, et tam penetrans eſt, vt flos Polyanthes tuberoſae, per noctem in eiusmodi aqua ſeruatus, mane coloratus exiſtat (DE GRAFFENRIED in *Mem. et Obſervations de la Societé oeconomique de Berne* 1764. *P.* 3. *p.* 185.). Elegante quoque colore ab hocce ſucco charta linteumue initio imbuitur, ſicceſcens autem ſordidam cruoris ſiccati rubedinem prae ſe fert. Figi tamen poteſt color addito acido nitri vel ſolutione ſtanni, et ſuccus in alterutra harum miſcelarum calore inſpiſſatus pro pigmento ad mappas geographicas vel imagines aëre excuſas colorandas commodus eſt. Non minus Bezettae, vt vocantur, ſ. panni tinctorii eodem parari poſſunt, in vſum innocuum oenopolarum, qui hactenus

hactenus baccis Myrtillorum in primis in hunc finem vtuntur, et piſtorum dulciariorum (BECKMANN in *Comment. Soc. ſcient. Gotting. a.* 1779. *p.* 74. *ſq.*). In Luſitania vero ſuccus pro tingendo vino Porto additur. Nimio autem additamento auſterum et ingratum illud redditur, vnde ante aliquot annos Rex Luſitaniae praecidi caules iuſſit, antequam baccae matureſcerent, ne quid lucri vini mercaturae decederet (MILL. *Gardeners Dictionary ed.* 8. art. Phytolaccae.).

Sed redeo ad folia, quae ante aliquot annos tanquam ſpecificum contra cancrum inclaruerunt. In Eboraco nouo, Americae prouincia, quantum apparet, prima experimenta capta; aſt ex Italia praeconium originem ſuam traxiſſe, alio fonte edocemur. (LINN. *Amoen. acad. vol.* 4. *p.* 523.). Nempe ſuccus ex tota ſtirpe elicitus caloris ſolaris ope in ſpeciem vnguenti denſatur, quo ipſo pars cancroſa contegitur. Dolores inde excitantur diri, qui per viginti quatuor horas circiter ferri patienter debent. Ita cancer faciei inter octo hebdomades diſparuit, pectoris autem inter ſex menſes (Vid. *Götting. gel. Zeit.* 1752. *p.* 253.). Fruſtra tamen ſuccus adhibetur verno tempore expreſſus, vtpote

tum mitis omnisque acrimoniae expers (LINN. *l. c.*). Quis primum Europaeos de hac virtute certiores reddiderit, nescio. Crediderim fere COLDENIUM fuisse, etsi plantam inter Coldinghamenses in *Actis Upsalienſibus* non designat. Huius nomen pro confirmanda virtute succi inspissati in vlceribus sinuosis callosis item in cancris genuinis iterum adpositum video (V. cl. SCHÖPF *Mat. med. americ. p.* 71.). Testimonio cl. BROWNE (*Nat. Hist. of Iam. p.* 232.) quoque elucet celebritas, quam Phytolacca in America septentrionali sibi vindicauit, indeque colligitur, nisi specifici (quod nimium est) nomine dignum sit, ad minimum reputari ibidem efficax remedium in cancris apertis, et successisse aliquoties in vitiis cancro simillimis, vt tamen et plura veri documenta requirat. Etiamnum fiducia ibidem non destitui, medici cuiusdam Germanici, qui aliquot annos in America vixit narratione noui: sed praestat scriptis testimoniis inhaerere, vt penes auctores fides consistat. Fauent dictis historiae duae in Helvetia, sed nimis succincte nec a medico, consignatae (DE GRAFFENRIED in *Memoires et Obſervations de la Societé oeconomique de Berne* 1764. *P.* 3. *p.* 184.): altera foeminae, Viuisci degentis, in quam cancer valde

valde iam ſaeuierat, ſanatae; altera ciuis Bernenſis, iam a medicis ob vitii ferociam derelicti ſed huius plantae vſu tantopere leuati, vt dolores atroces ſilerent vlcusque purum euaderet, et ſpes affulgeret perfectae ſanationis, quam vero fruſtratus eſt vitae priſtinae vitiis redintegratis. De locis, quae cancer occupauerat, ſilentium hic obtinet; ſed quod hactenus non memorani, eſt methodus a priori diuerſa Phytolaccam adhibendi. Etenim commendantur infuſum foliorum aqua factum et ad libram circiter ciuilem (un quart de pot), mane et veſperi bibitum, et ſimul fomentatio partis per ſuccum foliorum expreſſum praetereaque frictio eiusdem foliis conquaſſatis, toties repetita ac aeger eam ferre poteſt, dein ſuadetur, vt continuo folium recens ſuperhabeatur. HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1007.) in fauorem remedii etiam allegat *Journ. Helvet. a.* 1758. *m. Aug.* quod diarium vero peruoluere mihi non contigit. En igitur exempla, quod folia quoque interne vſurpata fuerint. Ad hunc vſum ſine dubio reſpexit cl. SCHÖPF (*l. c.*), dum ſucci expreſſi cochleare vnum ad duo pro doſi ſignificet. Vtique pluribus experimentis indigemus, antequam de vero eiusdem in cancro pretio ſtatuere queamus.

Interim contraria noſſe, nec ſuo vſu carebit. Caſu ſingulari cancri faciei, qui Belladonnam iam eluſerat, ſuccus per quatuordecim dies ope lintei carpti applicabatur, ſed vlcus inde in dies mollius magisque cruentum euaſit, vnde illum omittere neceſſe fuit (ACREL *chirurg. Händelſer p.* 41.). Folia vlceribus cancroſis in regione Pedemontana non aliud commodum attulerunt, quam quod dolores inde mitigati fuerint (ALLIONI *Flor. Pedemont. vol.* 2. *p.* 132.). Circumforaneorum iactantiam redarguit MILLERUS (*l. c.*), in rebus quidem medicis non omnino aptus index, qui hac ſtirpe mederi ſe poſſe cancro ſuſtinuerunt, ſibi vero nullum ſanationis exemplum obuium veniſſe profitetur.

RADICIS extractum in vlceribus mali moris labiorum et mammarum cancro ſimilibus externe et interne vſurpatum laudatur, et rodendo effectum exſerere putatur (SCHÖPF *l. c.*).

RVMEX.

RVMEX.

LINN. *Syſt. veg. p.* 284. *Gen. pl. p.* 178.

466.

Pharm. LAPATHI ACVTI vulgo, OXYLAPATHI Ph. Ed. *Radix.*

Rumex acutus; floribus hermaphroditis: valuulis dentatis graniferis, foliis cordato-oblongis acuminatis LINN. *Spec. pl. p.* 478. Lapathum folio acuto plano C. B. Icon: CURTIS *Fl. Lond.* Planta perennis, in locis ſubhumidis creſcens.

Saepe huic *Rumex criſpus* L. ſubſtituitur, nec virtus videtur diſcrimen inuoluere.

RADIX cylindrica, pollicem craſſa, extus bruna, interne flaueſcens. Odore caret, ſaporem vero habet ſubadſtringentem cum leui amaritie. Maſticata ſaliuam croceam reddit, inſtar Rhei. In affectionibus variis cutis chronicis inclaruit. Contra ipſam elephantiaſin ARETAEUS (*Curat. diuturn. II. c.* 13.) illam commendauit. In ſcabie multis aliis palmam praeripere, plebis iam inſidet animis,

vnde nomen Germanicum *Grindwurz* (h. e. radicis contra ſcabiem) enatum. Sed vel vnica SIMONIS PAULLI (*Quadripart. bot. p.* 399.) auctoritas potioris longe momenti eſt. Decocto ille cum vel ſine ſtercore gallinaceo abluendas ſcabioſas partes curauit ſimulque radice per coctionem emollita obliniendas; fidemque facit ſua aliorumque, quos citat, experientia. Ad lepras, impetigines et ſcabroſos vngues, extendit DIOSCORIDES (*Lib.* 2. *cap.* 140.) vſum radicum vel ex aceto coctarum vel crudarum extus applicatarum, modo antea nitro aut aceto perfricarentur. Similem pulueris radicis cum aceto applicationem commendauerat olim BACKMEISTERUS (SIMON PAULLI *l. c.*).

In decocto capta aluum blande mouet (*Prouinc. Doctor. Berättelſer* 1761. *p.* 7.). Nihil repugnat, quin in viſcerum tono reſtituendo efficacem ſeſe exhibeat.

Ad huius vires exigendae ſunt iſtae radicis *Rumicis Patientiae* L. cuius fama exoleuit; folia loco Spinaciae hinc inde ſunt.

467.

467.

Pharm. HERBAE BRITANNICAE vulgo, HYDROLAPATHI Ph. Ed. *Radix.*

Rumex aquaticus; floribus hermaphroditis: valvulis integerrimis nudis, foliis cordatis acutis LINN. *Spec. pl. p.* 479. Lapathum aquaticum folio cubitali C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* La Parelle des marais ou Patience aquatique. Pl. perennis, vulgaris ad foſſas lacusque.

RADIX grandis, per plures ſeries ramoſa, extrinſecus nigricans, interne crocea. Sapor eiusdem manifeſte auſterus et amarus. Infuſum eius aqua factum Vitriolo martis mox nigreſcit. Vix extra Angliam et Sueciam officinas intrat, prae tot aliis ſtirpibus medicorum attentione digniſſima. In demonſtrando Herbam Britannicam antiquorum (Vid. e. c. DIOSC. *lib.* 4. *cap.* 2. et PLIN. *Hiſt. nat. lib.* 25. *cap.* 3. *ed.* DALECH. *p.* 1130.) hunc Rumicem eſſe MUNTINGIUS (*Diſſ. hiſt. med. de vera Herba Britannica*) multus eſt. Saltim quae de virtute eius in ſtomacace tradiderunt cum nuperiori experientia in ſcorbuto et affectio-

nibus oris putridis apprime conueniunt. Varia MUNTINGII paullo fusius narrata experimenta huc pertinent (*l. c. p.* 144. *sqq.*). Resuscitauit eius existimationem LINNEUS, Eques, commendatione et publice (Vid. EIVS litt. in LIND's *Treatise on the Scurvy, p.* 264. *Amoen. vol.* 4. *p.* 38. *Flor. Suec. p.* 118.) et priuatim facta, et nominatim vlceribus cacoëthicis huius naturae eam destinauit. Decoctum eius contra haec tam ore capitur, quam forma epithematis applicatur. Instar specifici contra scorbutum HILLIUS essentiam s. infusum ex hac stirpe egregio lucro Londini vendidit (LIND *l. c. p.* 337.). Decoctum aqua vel vino paratum stomacacen (etiam absque causa scorbutica exortam) efficacissime compescere, medici Berolinenses olim notarunt (*Act. med. Berol. Dec.* 2. *vol.* 3. *p.* 12.). Comminuta in tenuem puluerem radix omnes characteres egregii dentifricii combinat, scilicet gingiuas roborando dentes vacillantes firmat, sordes leui frictione aufert, demum putredinem egregie auertit et tollit. Hinc, quum olim in Suecia degerem, frequenter sua pyxide in mensulis foeminarum, intra alia cimelia ornatui dicata, seruabatur.

Non

Non cedit viribus Rubiae tinctoriae in rachitide, si decoctum eius pro potu consueto capiatur, ad mentem magni medici (ROSENSTEIN *om Barns sjukd. p.* 405.) quod tamen ipse non expertus est.

Multa addi possent in eiusdem laudem, nisi virtutes medicaminum non ratiocinio, quod quidem ab austera et amara radice multa sperare sinit, sed experientia stabiliendas putarem. Alius quoque ab hac, vt congeneribus et affinibus aliis, interne sumta subducitur.

Rumex Britannica LINN. *Spec. pl. p.* 476. Britannica Americana MUNTING. *de antiquorum Herba Britannica fol.* 50. antecellit priori efficacia in vlceribus phagedaenicis. Hanc COLDENIUS (*Act. Upsal.* 1743. *p.* 115.) ab Americanis primum cognouit, et ipse testis est, vlcus tetrum, quo os palati peresum erat, lotione decocti radicis et haustulo eius quotidie capto curatum fuisse.

468.

Pharm. RHABARBARI MONACHORVM *Radix.*

Rumex alpinus; floribus hermaphroditis ſterilibus foemineisque: valuulis integerrimis nudis, foliis cordatis obtuſis rugoſis LINN. *Spec. pl. p.*480. Lapathum rotundifolium CLUS. *ſtirp. Pann. p.*480. Lapathum folio rotundo alpinum JO. BAUH. *Hiſt. tom.*2. *p.*987. Pl. perennis in Helvetia ad ſtabula alpina, vbi fimus abundat, creſcens. Habitat et in Delphinatu, item ad Wolgam.

Ab incautis cum Rheo Rhapontico ob ſimilitudinem foliorum confunditur.

RADIX magna, brachialis, ramoſa, craſſa, interne flaua venis purpureis, ſapore inſtruitur ad Rhabarbarum accedente cum amaritie iuncto. Maſticata quoque ſaliuam croceam reddit, et tam aquae quam ſpiritui vini colorem profunde luteum impertit. Hinc variis notis Rhei radicem aemulatur. Sed vi aluum laxante quoque cum eadem conuenit, licet iſta longe magis adſtringat. Rariſſime noſtro tempore a medicis praecipitur. In monta-

montanis Galliae loco Rhei eſt (*Recueil de Memoires de l'acad. de Beziers p.* 34.). Nominatim incolae alpium et montanorum Auerniae in profluuiis aluinis cum ſucceſſu eam adhibent. (CHOMEL *Uſuell. tom.* 1. *p.* 76.). A Ruſſis circa Samaram infantibus item pecoribus verminantibus inſtar domeſtici ingeritur (PALLAS *Ruſſ. Reiſe, vol.* 1. *p.* 145.), et deficiente Rhapontico illi aliquando ſubſtituitur (PALLAS *l. c. p.* 381.). Aſt querela mouetur, nauſeam creare absque notabili euacuatione (LEWIS *M. m. p.* 343.). Dupla doſis vulgo ratione Rhei capienda ſuadetur.

Scopo tinctorio quoque inſeruit in Ruſſia (PALL. *l. c.*).

HERBA intra foueas ſeruata in Rhaetia pecorum commodum pabulum eſt, et praecipue ſuum (*Verhandl. d. Geſellſch. landwirthſchaftl. Freunde in Bündten P.* 4.), licet in Auſtria diſpliceat (PAULA SCHRANCK *naturhiſt. Briefe über Oeſterreich vol.* 1. *p.* 81.). Quin in montanis Delphinatus incolae petiolis foliorum inſtar oleris veſcuntur (VILARS *Hiſt. de plantes de Dauphiné, vol.* 1. *preface p.* 6. *not.*).

469.

Pharm. ACETOSAE *Folia; Radix.*

Rumex Acetoſa; floribus dioicis, foliis oblongis ſagittatis LINN. *Spec. pl. p.* 481. Acetoſa pratenſis C. B. Icon: BLACKWELL *Herb. tab.* 230. Pl. perennis, in pratis omnibus ſpontanea. Cultura autem in hortis, quae vbiuis fit, grandeſcit omnibus partibus et gratior fit. Culta ſola officinas intrat. Occurrit et varietas foliis grandioribus et ſubrotundis hamis breuibus ſcil. ♂, Acetoſa montoſa maxima C. B. quae in HALLERI *Hiſt. ſt. Helv. n.* 1598. ſingularis ſpecies eſt; in hortis Acetoſa Hiſpanica dicta.

FOLIA praecipua pars ſunt, quae virent a primo vere ad ſeram hiemem vsque, et reſectorum in locum abunde noua regerminant. Placent acore ſuo. Vnde iuſculis incoquuntur; item elixa inſtar oleris eduntur. Quoniam vero tum ferculum nimis acidum conſtituunt: Spinacia vel Atriplex vel Beta addi ſolet. Sicque in connubio carnis pro vulgari cibo ſunt. Sed parum nutrimenti ſuppeditant. Subſtitui poſſunt folia *Rumicis ſcutati* L. cuius icon in REGNAULT *Botanique*, qui

qui valdopere luxuriat, vt in hortis remotam ſtationem illi concedere oporteat; nempe haec pariter grate acida ſunt, multitudine foliorum autem defectus magnitudinis compenſatur. Acetoſa Lapponibus pro ſero acetoſato, vt LINNEUS vocat, vſitatiſſima; nempe folia pluribus horis cum aqua ad conſiſtentiam ſyrupi, ſenſim addendo plura coquuntur, et hiſce refrigeratis admiſcetur lac rangiferi, quae iuncta dein ſeruantur intra vaſcula lignea vel ventriculum rangiferinum, vnde lac gratum acorem adipiſcitur et editur cum oblectamento (*Flor. Lapp. p.* 94.).

Veteres Acetoſa medicò potius fine, quam diaetetico, vtebantur (GALENUS *de aliment. facult. lib.* 2. *c.* 48. ORIBAS. *collect. med.* 2. 8.). Foliis, quae odore carent, ſal eſſentiale ineſt, quod $\frac{1}{400}$ circiter ponderis ſucci conſtituit (SPIELM. *Mat. med. p.* 37.). Ad cremorem Tartari accedit, ſed magis acidum eſt, faciliusque longe aqua ſoluitur. Intelligitur inde, folia vel inſtar ferculi refrigerare, ſitim ſedare, bilem corrigere, putredinem refraenare. In febribus igitur continuis varii generis pro cibo commoda, item in ſcorbuto. Hoc morbo plures centeni in noſocomio Pariſienſi

ſienſi Hoteldieu Acetoſa cum ouis cocta (non commodo ſane connubio) liberati feruntur (MORIN in *Hiſt. de l'ac. des ſciences* 1708. *p.* 52.). Combinata vero Acetoſa et Cochlearia condiunt Grönlandi brodium ex carne cum Auena et Hordeo paratum aduerſus ſcorbutum, huiusque vſu aluus ſalutariter ſoluitur (BARTHOL. *Act. Havn.* 1671. *p.* 35.). Sed aptius in ſucco expreſſo vel ſolo vel cum ſero lactis commixto ſcorbuticis offertur (Conf. BOERH. *Hiſt. plant. hort. Lugd. bat. P.* 2. *p.* 540.). In noſocomio Breſtiae condito, vti et in itineribus longis maritimis ſuccus herbae inſpiſſatus (ita intelligo verba *Sauerampfer einſieden*) nautis ſcorbuto laborantibus ad aliquot vncias offertur, quo cibos eodem condiant, vnde numerus horum aegrorum manifeſte decreuit (HUNCZOVSKY *med. chir. Beobacht. p.* 192.). Solet etiam pro nauibus Gallicis, vt recens ſemper vegetabile proſtet, herba Acetoſae cum butyro compingi, quod facile et fieri poſſet cum aliis vegetabilibus (FAXE *om hushållningen til Sjös p.* 168. *not.*). — In difficili caſu aſcitis cum leucophlegmatia iuncti auxilium tulit intra tres menſes ſerum lactis, cui Acetoſae folia incocta, vnde ſitis ſedata lotiumque fluxit vbertim et aluus frequens ſucceſſit (FAVROL in *Hiſt.*

Hiſt. de la Soc. R. de Medecine 1776. *p.* 278.). — Memoratu dignum eſt, quod inter 700 ſtirpes, quibus acrimoniam Ranunculorum mitigare et inertem reddere tentatum eſt, ſola Acetoſa, prout baccae Ribeſiorum immaturae, hac poteſtate inſtruatur, maſticata aut contuſa, non autem in ſucco adhibita, modo nondum partes ab acrimonia eroſae ſint (KRAPF *experimenta cum Ranunculis p.* 102.). — Poſſidet etiam vim calculum lotii ſoluendi; ſaltim ſub experimentis extra corpus cum ſucco inſtitutis, vel emollitus vel diminutus apparuit (LOBB *de diſſolv. calc. p.* 93.).

Extus applicata folia in vlceribus putridis laudantur. Nominatim foliis cum vino contuſis dentes vacillantes in ſcorbuto commode lauantur (BOERH. *l. c. p.* 541.).

In vniuerſum haec herba in plerisque quoad virtutes conuenit cum Oxalide Acetoſella, cuius in locum, vbi rarior eiusdem prouentus eſt, ſubſtitui poteſt.

RADIX ramoſa, dum ſicca eſt, extus rubro fuſca, interne paullo pallidior. Sapor eius auſtero amaricans absque acore. Infuſione vel decoctione aquam colore rubro imbuit. Raro hodie in vſum medicum

medicum cedit, nec vi aperiente et diuretica, quam plures notant, ita eminet, vt ptiſanis inde paratis multum fidei tribuerem.

PRAEPARATA ex FOLIIS.

AQVA ACETOSAE officin. Iners.

CONSERVA. Non ſpernenda hieme, ſed raro praeſcribitur.

SYRVPVS. Rarioris vſus.

SAL ESSENTIALE *Ph. Wurt. p.* 167. Expreſſi ſucci ad iuſtum terminum inſpiſſatione et cryſtalliſatione obtinetur. Praeſtantiſſimum praeparatum, vix ſali Acetoſellae ſecundum. Vide de eo ſupra.

RHEVM.

RHEVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 319. *Gen. pl. p.* 201.

470.

Pharm. RHAPONTICI *Radix.*

Rheum Rhaponticum; foliis glabris petiolis ſubſulcatis LINN. *Spec. plant. p.* 531. Rhaponticum folio Lapathi maioris glabro C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* ſub falſo nomine la Rhubarbe ſ. Rhei Rhabarbari. EDWARDS *Britiſh Herbal tab.* 89. Planta perennis, ſpontanea in Thracia et Romania praecipue in monte Rhodope; item in auſtralioris Ruſſiae et Sibiriae (*Ph. Roſſ. p.* 43.) locis montanis (PALLAS *Reiſe durch Rußl. tom.* 1. *p.* 380. *tom.* 3. *p.* 9.). Cl. COXE (*Account of the Ruſſian Diſcoveries p.* 336.) deſerta limoſa et ſicca inter fluuios Wolgam et Yaicum iam Vral dictum verſus mare Caſpium ſita, patriam Rhapontici aſſignat, negans ad occidentalem Wolgae plagam reperiri. Octiduum ſerius floret Rheo Rhabarbaro.

PR. ALPINUS (*de Rhapontico Libell. Patav.* 1612.) aliique putant eſſe Πα vel Πῆον veterum, cuius radi-

cem vſurparunt (Vid. DIOSCOR. *Mat. med. lib. 3. cap.* 2.). Ipſe ALPINUS ſibi circa annum 1610. ſtirpem ex Thracia procurauit, et haec Patauio Venetiam primo, dein inde in Angliam ad PARKINSONIUM (*Theatr. botan. p.* 157. *Paradiſ. p.* 483.) peruenit. Ex montibus Krasnojarienſibus orientalis Sibiriae praeſertim trans fluuium Jeniſei hodie pro collegio medico Ruſſico RADIX colligitur, etſi plerumque confunditur cum radicibus Rhei Rhabarbari et alius ſpeciei affinis. Radix primaria et aetate prouecta, quae craſſa et ventricoſa eſt, loco natali exeſa eſſe putredine ſolet. Hinc acquieſcere oportet productionibus cylindricis, quae tamen vulgo male praeparantur, nimirum recentes radices cortice ſuo denudando, in taleolos ſecando et ope caloris mitioris ſiccando, vnde vero diſpendium virium et ſpongioſa compages ſubſequitur. Praeſtat contra ea ad experimentum ill. PALLAS non niſi radicibus ſub tecto calefacti conclauis ſiccatis corticem abradere, vnde et compage firma coloreque ad optimum Rheum Chinenſe acceſſit, nec multum viribus illo inferius fuit (PALLAS *Reiſe durchs Ruſſ. Reich vol. 3. p.* 9.)

Radix ramoſa eſt, extus profundius bruna, interne ex albo et ſubluteo variegata. Sicca

ſub

ſub maſticatione non eum ſtridorem inter dentes edit, qualem Rhabarbarum, nec tam ingrata, quoad ſaporem et odorem, adſtringens et amaricans eſt, ac illud, ſed potius ſubdulcis et ſubuiſcida. Saliuam luteam reddit. Infuſum aqua factum pallidius eſt, quam illud ex Rhabarbaro.

Vtique vis aluum purgandi illi inſidet. Eſt qui praeferendum arbitratur Rhabarbaro, ac ſi alui adſtrictionem non relinqueret poſt vſum alias ſolitam (ALSTON *Mat. med. vol.* 1. *p.* 507.). Alii Rhaponticum adſtringendi vi ſuperius declarant (LEWIS *M. m. p.* 480. multique alii.). Duplex eius doſis requiritur ad aluum ſollicitandam. Vix vero hodie extra patriam adhibetur. Coquitur in fortalitio Gurief purgandi ſcopo, et Coſacci Jaicenſes ſpiritum vini, qui inde gratam flauedinem contrahit, illi infundunt, ſpe ſalutaris effectus ducti. Kirgiſenſes ad corium colore luteo tingendum adhibent, et radicem Curcumae videtur eo fine ſuperfluam reddere (PALLAS *l. c. vol.* 1. *p.* 381.). Refert et Rhabarbarum corroborante virtute et efficacia in alui profluuiis, vt tamen in omnibus hiſce Rhapontico nonniſi ſecundus locus concedi queat. — Quoniam vero ſaepe in colligendis radicibus, vt

ſupra dictum, improuide aliae ſpecies Rhei admiſcentur: ad diiudicandum verum Rhapontici pretium praeſtat tentamina inſtituere cum radicibus apud nos cultis.

Foliorum quoque mentio facienda eſt, quamvis hactenus vix inter medicamina fuerint recepta. In fortalitio Gurief tenella folia inſtar oleris et in iuſculis ad ſcorbutum ſubigendum eduntur (PALLAS *l. c.* item *p.* 426.). Sed ſanis et grata fercula praebent vel dicto modo vna cum petiolis ſollicite deglubendis comeſta, vel cocta cum Spinacia, Lactuca, Aſparagis vel, modo folia primo vere emergentia probe terra operiantur, vt tenereſcant, inſtar acetarii cum aceto et oleo ingeſta (BERGIUS in *Upſoſtrings-Sälſkapets tidningar* 1786. *p.* 291.)

471.

Pharm. RHABARBARI SIBIRICI (Pharm. Roſſ. p. 42.) *Radix.*

Rheum vndulatum; foliis ſubuilloſis vndulatis petiolis aequalibus LINN. *Spec. pl. ed.* 2. *p.* 531. — Rheum Rhabarbarum *Spec. pl. ed.* 1. *p.* 372. *Syſt. veg. ed.* 12. *p.* 281. *ed.* 13. *p.* 319. EIVSD. Monographia

nographia inter Diſſertatt. in *Amoen. acad. vol. 3. p. 212. tab. 4.* Praeſtitiſſet omnino epitheton *vndulatum* vbiuis ſeruare. Icon: REGNAULT *Botan.* ſub falſo nomine le Rhapontic vel Rhei Rhapontici; EDWARDS *Britiſh Herbal tab. 98.* Planta perennis, in Sibiria creſcit inter fluuium Jeniſei et lacum Baikal ad oras lapidoſas fluuiorum et alio ſolo ſaxoſo. (GEORGI *Reiſe im Ruſſ. Reich, vol. 1. p. 210.* Cfr. PALLAS *Reiſen d. Ruſſ. Reich, vol. 3. p. 235.*). Optime fert hiemes noſtri climatis.

RADIX variat figura et magnitudine pro diuerſo ſolo. Loco natali, niſi lapides offendat, perpendiculari directione deſcendit et indiuiſa, quin craſſitie brachii et longitudine pedum quinque ad ſeptem. In humo grandior fit, quam terra argilloſa. Supra plerumque ad latitudinem manus transuerſae vel ſpithamae tuber quaſi formatum, quod in ſummum magnitudine pugnum aequat, et putredine plerumque vitiatum eſt, praecipue ſolo humido, tumque in ramos diuaricatur. In arenoſo ſolo minor eſt, ſed ſana manet. Quo magis ad naturam humi ſolum accedit, eo magis aromatica radix offenditur. Tegitur epidermide

tenera nigro bruna, ſub qua latet cortex craſſus, luteus, ſuccoſus et fibroſus. Radicis interiorem partem poſt ſiccationem quidem deſcribit GEORGI (*l. c. p.* 211.), cui viro cl. in ſolo natali radicem contemplanti hucusque dicta debentur, ſimilem quoad habitum externum Rhabarbaro Tartarico, (ita voco ſtirpem, quae genuinum Rhabarbarum ſuppeditat. Vid. artic. ſubſequens) aeque leuem, variegatam, fibrarum pariter expertem, odoris eiusdem ſed flauedinis altioris, quaſi rubicundae. Aſt in ſpeciminibus a generoſiſſ. L. B. AB ASCH diuerſo tempore, larga manu in triplici ſarcina, mihi miſſis, quaedam diuerſa vidi, quae iam deſcribam. In vna ſarcina, cui inſcriptum erat *Rhabarbarum Sibiricum ex Kraſno Iarſk*, continebantur fruſta radicis ſubteretia, extremis ſubinde concauis, item plana, nec non alia dimidiata et fere ſemicylindrica, pondere valde leuia, longitudinis duorum ad quatuor pollicum, craſſitiei ad ſummum pollicis vnius vel ſeſquialterius, coloris pallide lutei, interſperſi ſtriis albis, compagis tenacis, vt vix in puluerem conteri digitis poſſent, ſaporis manifeſte amari, ſubſequente adſtrictionis, dein poſt aliquot minuta pr. dulcedinis, ſenſu; vnde patuit, radices haſce vel ex iunioribus modo plantis

plantis vel ramis radicis, nec tuberoſa eius origine, eſſe petitas. Saliua inde modice modo tingitur. In altera ſarcina, cui adſcriptum, ineſſe *Rhabarbarum Sibiricum ex Kiachta*, inueni fruſta fere ſimilia, ſed paullo obſcurioris extus per ſtrias vel faſcias coloris, et ſaporis magis nauſeoſi, qualis Rhabarbaro vero (Tartarico) ineſſe ſolet. Tertia ſarcina, cui adnotatum *Rheum foliis vndulatis ex Irkutſk*, comprehendebat fruſta, ab iſtis hactenus dictis valde diſcrepantia; ſcilicet plurimam partem craſſa erant, interne excauata, vt corticem referrent, item ſubinde foramine transuerſim pertuſa, quibus tamen aliqua exiliora medio plena admixta erant, omnia coloris profundioris, quam in Rhabarbaro vero, longe duriora prius dictis, vt facile diſcerpi poſſent fragmenta et digitis conteri, ſaporis et odoris vulgaris rhabarbarini, nauſeoſi, item inter dentes ſtridentia, ſaliuam mox croceo colore tingentia, ſed multum pondere leuiora. Et hoc quidem Rhabarbarum proxime accedit ad illud a cl. GEORGI deſcriptum, et conſequenter et ad Rheum Tartaricum. Vndenam vero diſcrimen a reliquis a me enumeratis ſpeciebus deriuandum, an a diuerſitate ſoli, temporis collectionis, praeparationis, non dixerim. Effectus ſaltim pariter differat,

neceſſe eſt. Varietates ſtirpis diuerſas exſtare, iam ex hortis botanicis nouimus; an inde diſcrimen? Aſt praecipuam cauſam definire res maximi momenti eſſet, tam collectionis in loco natali cauſa, quam in vſum plantationum. In cultura in primis ſtudendum, vt putredo interne obrepens arceatur (PALLAS *Reiſe tom. 3. p. 236.*).

Et haec quidem illa ſpecies Rhei botanica eſt, cui LINNEUS olim (Vid. *Diſſ. cit.*) omnesque in medicaminum apparatum commentantes cum eo Rhabarbarum genuinum officinarum ſ. Tartaricum adiudicarunt; donec ſubſequente tempore alia innoteſceret, quae iſti hanc praerogatiuam ambiguam redderet. Quicquid ſit, nihil dubii ſupereſt, quin in hoc genere idem, quod in tot aliis contingat, nempe ſpecies congeneres, prout forma ita et virtutibus medicis, conuenire, et quin radix huius quoque ſpeciei eximie aluum referat. Cl.^mo GEORGI (*Reiſe, tom. 3. p. 40.*) adeo a mercatore quodam in Sibiria pro vera ſtirpe haec ipſa olim indicata; et idem Chirurgo cuidam Irkutzenſi Coſaccus quidam perſuaſum cupiuit (*l.c. p. 210.*). Collegium medicum, quod Petropoli degit, imperiale, illam colligendam in vſum medicum curare, ex nomine pharmaceutico,

ſupra

ſupra praefixo patet. Maiori eius doſi, quam Tartarici Rhabarbari, opus eſſe, medici Irkutzenſes putarunt, ſcilicet iſtius drachma ſeſquialtera, huius drachma dimidia, quum contra ea Nertſchiae (Nertſchinſk) ſcrupulus vnus Rhabarbari Tartarici virtute drachmae dimidiae alterius aequipararetur, et effectus tam certus crederetur, vt in pharmacopolio exoticum deeſſet. In ditione Nertſchienſi quoque plantationes locis montanis factae, quibus, intra ſex annos poſt ſationem, radices inſignem craſſitiem, quaſi Betae, adeptae ſunt, absque vllā corruptelae nota, et prout Tartarico facie ſimiles ſunt, ita et effectu congruere omnino fere experimenta in noſocomio facta edocuerunt (GEORGI *l. c. p.* 211.).

Facilius alias ſoluitur ore, quam Tartaricum, nec adeo ſapore diſplicet; vulgo autem habetur debilius (BERG. in *Veckoſkrift för Läkare vol.* 4. *p.* 67.).

A Buraetis caules crudi ſub ſiti intenſiori eduntur, ſed collum quaſi inde conſtringitur, linguae ſenſus obtunditur et guſtus per totum diem deprauatur (PALLAS *Reiſe vol.* 3. *p.* 235.). Idem in

collo ſenſus oritur, ſi folia, quae acore placent, inſtar crambis eduntur, ſed ſenſim incommodis hiſce ferendis aſſuefieri poteſt (GEORGI *l. c. p.* 212.). Folia a pecore ſpernuntur (*Ibid.*). Gemmae huius, vti et Rhei palmati, florem recondentes quibusdam placent, loco Braſſicae Botrytidis (COXE's *Account of the Ruſſ. diſcov. p.* 337.).

472.

Pharm. RHABARBARI vel RHEI vulgo, (additur ſubinde) VERI, vel TARTARICI (quod nomen me iudice aptiſſimum eſt), vel TVRCICI *Radix.*

? *Rheum palmatum;* foliis palmatis acuminatis LINN. *Spec. pl. p.* 281. Ample illud deſcripſerunt cel. HOPE in *Phil. Tranſ. vol.* 55. *for the Year* 1765. *tab.* 12. 13., in quarum prima icone tamen comparent folia pluribus radicis ſurculis competentia; cl. LINNÉ iun. in *Pl. rarior. hort. Vpſal. faſc. I. Lipſ. p.* 7. *tab.* 4. *a.* 1767; item cl. SANDEMANN in *Diſſ. de Rheo palmato. Edinb.* 1769. Figura optima exſtat in MILLERI *Illuſtr. Syſt. ſex.* CORNELIS DE BRUINS figura foliorum Rhabarbari in EIVSD. *Reizen over Moſkovie door Perſie en Indie tab.* 37.

tab. 73. quam LINNÉUS jun. *l. c.* citauit, nihil plane ſimilitudinis cum foliis praeſentis Rhei habet. Planta perennis, ſpontanea in Mongoliae ditione Chinenſibus ſubiecta, ad confinia regni Chinenſis.

Reiecta vetuſtiori ſententia, quod ex Rheo foliis vndulatis genuina radix Rhabarbari officinarum, h. e. iſta a Tartaris Chinenſibus vendi ſolita, peteretur, iſtius in locum Rheum palmatum ſucceſſit. Planta haec ſerioribus modo annis botanicis innotuit. Ex deſiderio nimirum ill. olim Archiatri Ruſſici KAUW BOERHAAVE ſenatus mercatori Tartarico, qui quotannis genuinam radicem vendere ſolitus erat, commiſerat, vt ſemina eiusdem procuraret. Iſte votis auſcultans ſemina tradidit, ex quibus vero Petropoli ſatis tam Rheum vndulatum, quam Rheum palmatum, emerſerunt. Vtrumque cel. DAVID DE GORTER, olim Archiater Ruſſicus, a. 1758. in horto cel. MODEL conſpexit, ſimulque narrationem modo expoſitam de transmiſſione ſeminum percepit; et nouam ſpeciem Rhei enatam facile apparuit, et pro noua quoque ill. LINNEUS ſtirpem declarauit, quum ad finem Novembris eiusdem anni GORTERUS exemplum completum

pletum et bene ſiccatum LINNEO per legatum ad Ruſſiae aulam Suecicum L. B. DE POSSE mitteret. Inde copia illi facta fuit ſtirpem primum in *Specierum plant. ed. 2.* a. 1762. adoptandi. Semina vario tempore cum illo a GORTERO communicata germinare detrectarunt, item plantulae inde prognatae infortunio perierunt. Tandem LINNEO ſucceſſit per radices, ab eodem amico illi a. 1760. miſſas, viuam ſtirpem in horto Vpſalienſi cernere (Vid. commercium litter. de hac re inter GORTERUM et LINNEUM habitum in commentatione cl. NOZEMANN in *Verhandelingen van het Genootſchap to Rotterdam vol.* 1. *p.* 455 *ſq.*). Inde et exorta deſcriptio LINNEI, filii, ſupra ſignificata, qua tamen binis annis prius typis prodiit illa cel.^mi Edinb. Profeſſoris botanices HOPE, qui ſemina obtinuerat a. 1763. Moſcua a cl. MOUNSEY, tanquam veri Rhabarbari, quae intra biennium poſt caulem floriferum protulerunt. — Quantum colligere mihi datur, ſuccreuit haecce ſtirps ex feminibus, quae altera vice ſenatus imperialis ſumtibus magnis ſolutis per Bucharos afferri ſibi curauerat; nam de ſtirpe prioris miſſionis nihil praeter dicta conſtitit (Conf. PALLAS *Reiſe, tom.* 3. *p.* 157.).

Quod hocce Rheum pro Rhabarbari genuini matre habendum ſit, huius opinionis fidem, ſi ad primam

primam originem regrediar, nullam aliam reperio, quam quod mercator ille Tartaricus femina tradita edixerit ex vera ſtirpe eſſe. Quum vero ex iisdem ſatis tam Rheum palmatum quam Rheum vndulatum prouenerit: ſequitur eodem iure hanc plantam quam iſtam pro genuina reputari. GORTERO et MOUNSEYO facile condonandum eſt, ſi ſpecioſa nouae plantae acceptae forma inducti radicem ad eandem potius, quam alteram indigenam ſtirpem, referrent. LINNEI Equ., qui primum in *Syſt. ed.* 12. *p.* 281. declarauit Rheum palmatum eſſe Rhabarbarum officinarum germanum, et cl^mi HOPE effata nonniſi amicorum commercio ſibi iunctorum teſtimoniis nituntur. Et hoſce ſequuti ſunt recentiorum omnes, donec viri celeberrimi, PALLAS et GEORGI, qui nuperrime in rem naturalem Ruſſiae itineribus ſuis inquiſiuerunt, ſcrupulos nouos excitarent. Nam percontanti ill^ri PALLAS Buchari, folia Rhei palmati ſibi ignota declararunt, deſcribentes contra ea folia veri Rhabarbari rotunda et in margine paucis modo inciſionibus notata; vnde concludit iſte Rheum compactum potius fuiſſe intellectum. Huc pertinent ſupra ex cl. GEORGI itinerario dicta (V. pag. 360.) de Coſacco quodam, qui Rheum vndulatum pro vera ſpecie ſignificauit.

Vterque

Vterque etiam arbitratur, Rheum vndulatum in montibus auſtralioribus apertioribus et ſiccioribus, quales Tibetici ſunt, praeſtantiorem poſſe radicem ferre, quam montes frigidi et humidi Sibiriae (PALL. *Reiſe, vol.* 3. *p.* 156. GEORGI *Reiſe vol.* 1. *p.*210), loca ideo in Ruſſia culturae huius ſpeciei aptiſſima determinant. Id ſane ex omnibus hiſce elici poſſe videtur, quod non vnius modo ſpeciei ſed plurium radix Ruſſis ex dominio iſto Chinenſi vendatur. Hinc et *Pharmacopoea Roſſica p.*42. ambigit inter Rheum palmatum et compactum L. Cl. MILLER (*Gardeners Dictionary ed.* 8. *Spec.* 3.) autem poſterius praeciſe tanquam verum ſiſtit, tam quoniam id ſeminibus Pétropoli illi miſſis adſcriptum fuerit, quam quod ſub comparatione radicum ſimilitudinem maximam inter radicem Rhei compacti et iſtam Tartaricam repererit. Cl. RONDEAU, perſuaſus radicem Rhei vndulati egregie congruere cum Tartarica, initio huius culturam nec Rhei palmati in Belgio Auſtriaco commendabat (ROZIER *Obſervations ed.* in 8. 1772. *tom.* 2. *P.* 1. *p.* 112.). Alia coniectura et quidem cl^mi^ RIMROD (in *Naturforſcher P.* 18. *p.* 244.) eſt, quod haec radix a Rheo hybrido, quod omnium Rheorum maximum et multis nominibus notatu dignum primus in

Comm.

Comm. Gott. 1774. *p.* 50. *et* 1779. *tab.* 1. deſcripſi et depinxi, deſumatur, cuius quidem radix externis notis omnino prope ad venalem accedit.

Attamen haec circa notitiam genuinae plantae incertitudo non prohibuit, quin multis Europae regionibus Rheum palmatum in ſpem futuri ex radice petendi lucri per ampla ſpatia plantaretur. Iam a. 1768. in horto medico Moſcuae campus inſignis eo inſtructus cernebatur (PALLAS *Reiſe vol.* 1. *p.* 15.). Sed ſerius cognoui ex litt. L. B. AB ASCH ($\frac{30\ Oct.}{10\ Nov.}$ 1778), experimenta neque Petropoli neque Moſcuae ob humiditatem ſoli ſucceſſiſſe, ſed radices facile computruiſſe. Variis quoque Britanniae locis large colitur, poſtquam ſemina eius a cl. MOUNSEY illuc translata fuerunt, vt Hampſteadii, vbi cl. ENGLISH illi operam dedit; et ſocietas Londinenſis promouendis artibus et commercio dicata, eam ob cauſam et praemia diſtribuit, et alia in vlterius culturae ſtudium nouiſſime adeo obtulit (DOSSIE's *Memoirs of agriculture and other oeconomical arts*, *vol.* 2. *p.* 258 *ſq.* *Tranſactions of the Society for encouragement of arts* etc. *vol.* 1. *p.* 93 *ſq.*). Nec ipſi medici Londinenſes in ſocietatem iuncti omiſerunt propagationem ſtirpis ſuo aſſenſu et fauente

fauente de virtute radicis iudicio incitare (*Med. Obſ. et Inquir. vol. 5. praef. p. 6. et vol. 6. praef. p. 6*). In Scotia, nominatim in ditione celſiſſimi JOANNIS MURRAY, Atholiae Ducis, plantationes egregie ſuccedunt (*Veckoſkrift för Läkare vol. 4. p. 66.*). Seminum quoque copia in Anglia collectorum in colonias Anglorum Americanas transmiſſa fuit (ELLIS in *Tranſactions of the phil. Society at Philadelphia vol. 1. p. 258.*). — In Gallia ill. DU HAMEL culturam eius adminiſtrauit (*Hiſt. de la Soc. de Med. de Paris vol. 1. p. 340.*). — In Germania hinc inde experimenta huius generis nec infelicia capta ſunt, quorum quaedam exempla commemorabo. In Palatinatu nimirum loco quodam milliare Manheimo diſtante, Keferthal, iam inde ab a. 1769. plantatio largi ambitus publica auctoritate inſtituta (*Bemerk. d. Kuhrpfälz. phyſ. ökon. Geſellſch.* 1771. *p.* 312.). Francofurti ad Moenum cl. RIESSE copiam plantarum coluit (*Frankf. med. Wochenbl.* 1781. *p.* 812.). Brunſuigae per ſeſquiannnum ſupraque indigenam Rhei huius radicem in vſum medicum tractam, a. 1784. ſignificabatur (HEYER in CRELL. *chem. Annalen* 1784. *vol. 2. p. 27.*). Sine dubio haec eadem eſt, quam cel. POTT colendam curauit, et quam collegium ſanitatis publico encomio commendauit (*Reſolution,*

(*Reſolution, ſub die* 16. *Junii a.* 1783.). Laudantur et radices Bruxellis (*Mem. de l'ac. d. ſc. de Bruxelles tom.* 1. *Journ. p.* 77.) a cl. RONDEAU, Halberſtadii (FRITZE *mediz. ann. vol.* 1. *p.* 302.), Gothae a cl. SULZERO jun. (BALDING. *n. Magaz. für Aerzte vol.* 3. *P.* 4.) cultae, etſi hiſce locis arctiorem modo campum occupaſſe videntur. In Boruſſia curam huius negotii egit cl. BRÜCK aliique eius exemplum ibidem ſequuti ſunt (BOCK *Naturgeſch. von Preuſſen vol.* 3. *p.* 933.). Quin notabilis quantitas Rhabarbari huius in Germania culti Belgis vendita fertur (*Frankf. med. Wochenbl.* 1781. *p.* 734.). — Nec Suecanum clima repudiat haec ſtirps, ſed in ſummo vigore ſunt plantationes largae ab ill. BERGIO prope Stockholmiam factae, vnde et Regis GVSTAVI tertii litteris m. Aprili 1782. collegio Regio medico datis, illi venditio permiſſa et incitatus meritiſſimus vir ad continuandum hac in re ſtudium, medicis demum iniunctum, vt crebro indigenum Rhabarbarum aegris praeſcriberent (*Veckoſkrift för Läkare, vol.* 4. *p.* 63 *ſqq.*) — Item Regiomonti Noruegiae pharmacopola PECKEL vnam plantam illi Havnia miſſam ad bis mille auxit (*Veckoſkrift för Läkare, vol.* 5. *p.* 58.).

Radix Rhei palmati, quam depingendam curauit cl. HOPE (*l. c. tab.* 13. *fig.* 1.), ad exortum ſuum tuber ouatum craſſum format, ex quo rami ſed diametri longe minoris emergunt. Extus ſubbruna, interne ſaturatius lutea eſt. Quo aetate prouectior, eo firmior interna compages eſt. Sicca interne ex bruno pallidoque, inſtar nucis moſchatae, variegata eſt. Primo ſationis anno poſtquam folia eruperint, vt et ipſe in horto botanico obſeruaui, integra illa comparent, ſecundi vero anni folia iam profunde diuiſa conſpiciuntur. Duplex propagandi hanc ſtirpem modus eſt, per ſemina nimirum et radices adultiores diuiſas. Sponte patet, ſi non ſingularium vnice plantarum, ſed veri vſus radicis, et conſequenter largioris prouentus ratio habenda eſt, ex feminibus Rhabarbarum eſſe colendum. Eliguntur pro hoc ſcopo, niſi mitius clima ſub dio ſationem admittat, vel vaporaria non nimis ſtercorata, feneſtris inſtructa, vel ciſtae largae humo repletae et frigidario per hiemem ſeruatae, id quod tanto magis neceſſarium eſt, ſi ſatio tempore autumnali fit. Satio alias primo vere inſtituatur et probe caueatur, ne frigus vernum ſerius ingruens germinibus vim inferat. Vere alterius anni, dum tempeſtas ſatis firmata eſt, trans-

transferri plantulae ſeſe patiuntur in ſuas areas loco, quem aër perflare poteſt, ſed non humido, et ſi ſtatio decliuis eſt, quae ad humiditatem nimiam conſumendam praecipue conducit, auſtro ex aduerſo; niſi videatur magis conſentaneum, ſi remotius ſata ſunt ſemina, translationem in tertium annum differre. Surculi radicum adultiorum caute, ne truncus communis laedatur, ſeparentur ineunte vere, et, ſi tenelli ſunt, primum in peculiari area ad futurum ver retineantur, ſi autem robuſtiores mox in ſua loca transferantur ſpatiis tam amplis, vt inter ſingulas plantas interualla quatuor vel ſex pedum intercedant, ne radicum iuſto arctioribus ſpatiis, vel nutrimentum iis deficiat, vel hae tuberoſa parte computreſcant. Quo mollius ſolum eſt, tanto praeſtantius. Niſi ſtatio decliuis ſuppetat in colliculos ex coaceruata terra plantulae collocandae ſunt, et ſulcis profundis ſecandum eſt ſolum, ne aqua ex pluuia vberiori circa radices ſtagnet. Primis annis a Tritico repente aliisque aduentitiis ſtirpibus ſolum probe mundandum eſt, item ligone prope ſtirpem emolliendum. Sexto iam anno, computo a prima germinatione ſtirpium ex ſeminibus pullulantium facto, vſui medico iam idoneae radices ſunt, per annum autem diutius exſpectandum,

ſi ex ſurculis cultae fuerint. Sed nihil nocet, ſi maiorem aetatem attigerint. Effodiendae tum exeunte autumno, foliis iam deſtructis, vel et vere ante eruptionem foliorum. Et haec quidem conſilia nituntur partim paucis iſtis, quae de cura Rhabarbari Tartarici conſtiterunt, quam ſucceſſu, quem cultura Rhei palmati variis locis in Europa habuit. Ampliora huius generis dederunt cel. viri DOSSIE (*l. c. vol.* 2. *p.* 278.) ſecundum encheireſin cl^mi ENGLISH, NOZEMAN (*l. c. p.* 465.), HOPE in litt. D. ROGIER ad BERGIUM (Vid. *Veckoſkriſt för Läkare, vol.* 4. *p.* 74.) et BERGIUS (*Veckoſkriſt l. c. p.* 64 *ſqq.*).

Effoſſis radicibus mundandae illae probe ſunt, et dein detergendae linteo vel diſpergendae per planum, vt aëre alluente extrinſecus adhaerens humidum auolet. Auferendae tum exiliores radicis partes, vtpote inertiores, craſſiores vero, poſtquam cortex cultro abraſus fuerit, in fruſta transuerſalia aliquot pollicum longitudinis, vel et ſegmenta longitudinalia diuiſae ſuſpendantur, quo ſicceſcant. Exſiccatio plurimum taedii parit. Succeſſit tamen, fruſta perforata et filo rudi tranſacta ſuſpendere commodis interuallis loco ab aëre probe

probe perflato, donec non amplius radix coarctetur et marmoream faciem Rhabarbari exotici induat, et nullam latentis humidi notam prodat (DOSSIE *l. c. vol. 2. p. 289 ſq.*). Cl.mo HOPE melius viſum, exſiccare illam ſuſpenſam in conclaui ad gr. 90. ſcalae Fahrenh. excalefacto (*Veckoſkr. cit. p. 75.*). Cl. WILHELMUS FORDYCE autem praefert, radices diſſectas ante focum furni vel culinae in filo ſuſpenſas exſiccare: ſic ex libris quinque radicis ſuccoſae plantae ſexennis vnam libram ſiccatae obtinuit, qui et ſubinde radicem ſingularem effoſſam pondus viginti librarum exaequare obſeruauit (*Tranſactions of the Society for encouragement etc. vol. 2. p. 75 ſqq.*). Prout autem in Tartarica radice ſelectu opus eſt: ita et in hac indigena, ita vt hiſce omnibus procuratis diſpertitio in ſpecies praeſtantiores et viliores fieri debeat; quarum hae tamen ad praeparata varia rhabarbarina impendi poſſunt.

Verum omnia haecce conamina irrita et vſu ſuo caſſa futura eſſent, niſi euinci poſſet, Rheum hocce indigenum aemulari virtutibus Tartaricum. Ad id quidem praeſtandum non experimentis modo in hominibus captis acquieuerunt, ſed et ex com-

paratione chemica pretium eiusdem conſtituere tentatum eſt.

Radicis Rhei palmati vncia vna extracti aquoſi primi dedit drachmas $3\frac{1}{3}$, et ſpirituoſi ſecundi drachmae $\frac{1}{3}$; eadem quantitas radicis erogauit extracti ſpirituoſi primi drachmas $2\frac{1}{2}$ et aquoſi ſecundi drachmam vnam. Eadem fere proportio extractorum adfuit in Rheo exotico ſ. Tartarico; in tinctura aquoſa cum ſale tartari exoticoque Rheo parata color quidem diuerſus, ſed ſapor idem (FRITZE *Annal. vol.* 1. *p.* 304 *ſq.* Conf. experimenta cl. HEYER in CRELL's *chem. Annal.* 1784. *vol.* 2. *P.* 1. *p.* 27., quorum proportio in omnibus conuenit.). Non multum differunt experimenta cl. BERGII, quibus vtriusque radicis extractum aquoſum comparauit. Hoc modo diſcrimen animaduertit, quod exoticae radicis extractum magis auſterum ſit, in Suecia autem cultae amarius; nec cl. SCHEELE in Suecica radice vlla ſelenitis (de qua infra largius) veſtigia detegere valuit (*Veckoſkrift för Läkare l. c. p.* 72.), quod cum praeuiis cl. MODEL (*Abhandl. d. Baierſch. Acad. d. Wiſſenſch. vol.* 9. *p.* 326.) experimentis cum radice Petropoli culta omnino conuenit.

Pluris

Pluris tamen intereſt vires noſſe, quas in corpore humano exſerit cultura iſtud propagatum Rheum. Sunt qui illud aluum mouendi efficacia Sibirico praeſtare ſignificant, quin alii, qui ipſi adeo Tartarico aequiparant (HOPE *l. c.* SULZER in *Mag. für Aerzte l. c.* BERGIUS *l. c.*). Nec efficaces modo repertae radices adultiorum plantarum, ſed et iuniorum, quatuor (BOCK *Naturgeſch. v. Preuſſen, vol. 3. p. 935.*), vel quinque (NOZEMAN *l. c. p. 472.*), vel ſex annorum (FRITZE *l. c. p. 304.*). Regiomonti explorata efficacia anſam dedit illud a. 1775. in noſocomio Berolinenſi aegris exhibendi, ſucceſſu ſimili ibidem contingente (BOCK *l. c.*). Omni in re indigenam radicem, moderante cl. POTT cultam, virtute conuenire cum exotica experimentis crebris nixum teſtatur collegium ſanitatis Brunſuicenſe (V. ſheda *Reſolution* ſupra citata). Specimina eius huc vendita ſunt radices tranſuerſim ſectae, pollicem aequantes vel eodem craſſiores vel exiliores, coloris viridi lutei, odoris et ſaporis rhabarbarini, ſed ſimul manifeſtius amarae, et ſolitis tenaciores, nec ſtridorem inter dentes excitantes. Drachma vna pulueris ſex hominibus ſanis variae aetatis et diuerſi ſexus data, effectum varium, vt ſolet fieri,

praeſtitit, vni 25 annorum ter aluum fortiter mouit, alii 35 annorum ſexies, foeminae cuidam quater, aliis aluum plane radix non deiecit, ſed lotium copioſe et valde coloratum feceſſit; et in hiſce effectus vel praecocius vel ſerius ſubſequutus, ſed ſine torminibus vel aliis moleſtiis (FRITZE *l. c.*). Alio experimento, quum volupe eſſet, purgantem vim huius et Rhei Tartarici conferre: viginti hominibus ſcrupuli duo vtriusque diuerſo tempore dati, quorum plerisque ex radice Rhei palmati ter ad quinquies aluus mota, ex radice altera autem pauci modo effectum tam ſtrenuum notarunt; vnde fere colligitur priori loco dictum Rheum alteri ſ. Tartarico palmam praeripere (BERGIUS *l. c. p.* 72.). Stockholmiae tam in noſocomio, quam vrbana praxi documenta numeroſa efficaciae Rhei a cl. BERGIO culti exſtitere (*Veckoſkrift för Läkare l. c. p.* 75 *ſq.*). Nec exiguum rei pondus addit teſtimonium ſocietatis cuiusdam medicae Londinenſis, quod repetitis in Anglia experimentis de vi cathartica eius, vix in exotica ſuperiori, conſtiterit (*Med. Obſ. et Inqu. vol.* 6. *Praef.* 6.). In Belgio cl. BICKER, ad ſordes primarum viarum euerrendas, in dyſenteria varia doloribus ventris ſtipata, nec non caſu ſingulari diarrhoeae

diarrhoeae habitualis optimo euentu hac radice vſus eſt (NOZEMAN *l. c.*).

Sed iam vna ſerie proponam, quae de Rhabarbaro officinarum vulgari et *luteo* dicenda ſunt, ſiue de Rheo palmato petatur, ſiue alia ſpecie. Ab hoc mox remoueo Rhabarbarum quoddam coloris *lactei*, ſaporis ſubdulcis, quod quidem alteri ſpeciei optimae notae virtute nullo modo cedere dicitur, ſed parce hactenus translatum et a me nunquam viſum fuit. Mentionem eius fecit ill. PALLAS (*Reiſen tom. 3. p. 157.*). Quod ad loca, quibus vulgare iſtud creſcat, ſolum, aetatem, et modum collectionis et ſiccationis, attinet, acquieſcere fere omnino oportet in narrationibus Bucharorum, qui Ruſſis Rhabarbarum vendunt, qui ipſi vel de multis momentis reſpondere neſciunt, alia aſtute recondunt, ne diſpendium lucri olim patiantur; hinc et difficultas tanta ſubfuit in acquirendis Rhei veri ſeminibus. Cl. JO. BELL, Scotus, qui legationis Ruſſicae olim per Sibiriam Pekinum tendentis comes exſtitit, vnicus, quantum noui, itineratorum eſt, qui varia huc ſpectantia argumenta ex propriis obſeruationibus anni 1720. memoriae prodidit (V. EIVS *Travels from St. Petersburg*

tersburg to diverſe parts of Aſia, vol. 1. *p.* 311. *ſqq.*), quae ipſa vtpote ab homine ſcito et ingenuo profecta plus attentionis merentur, licet in multis lectori auido non ſatisfaciant. Ex his fontibus elicitur, optimum Rhabarbarum ſponte creſcere in longa iſta montium altorum Tartariae catena, quae verſus ſeptentrionem haud procul ab vrbe Selin oritur et vsque ad lacum Koko-Nor, Tibeto vicinum, extenditur, plurimamque partem ſylua deſtituitur. Haecce ditio, multas vrbes ſub ſe comprehendens, Chinenſi imperio ſubiecta eſt. Solum, quo creſcit, marmotis (nonne mus Myoſpalax LAXMANNI in *Vet. Acad. Handl.* 1773. *p.* 134. *tab.* 4. intelligenda?), quae latibula ibidem copioſe quaerunt, emollitur, vnde et radices tanto facilius ſeſe diſpergere et ſemina germinare poſſunt (BELL. *l. c. p.* 311.). Effodiuntur radices, quarum commoda aetas ex caulibus craſſis diiudicatur praecipue menſibus Aprili et Maio (PALLAS *Reiſe l. c. p.* 156.); attamen autumno quoque id fit (BELL *l. c. p.* 281.). Tum a terra mundatae, ſi iuſto maiores ſunt, in fruſta ſecantur et perforatae filo tranſacto vel in arboribus vicinis ſuſpenduntur (PALLAS), vel in tentoriis, et aliquando, quod peius, cornubus ouium

(BELL)

(BELL) alligantur, demum collectione finita domum vehuntur, fine dubio vt ibidem curatius ficcentur. Quomodo id fiat, non fatis conſtat, quum tamen exſiccatio difficultatis plurimum habeat, et efficaciae haud parum ab ea dependeat. Chinenſes in tabulis magnis lapideis, quibus ignis ſubſternitur, eam perficere ſubſequente ardoris ſolaris fortiſſimi adiumento, auctor eſt cl. DU HALDE (*Deſcription de la Chine tom. 3. p. 610.*). Olim, quum commercium in orientalibus regionibus per Natoliam fieret, Rhabarbarum ex portibus Turcicis ad Europaeos transferebatur, vnde nomen *Rhabarbari Turcici*, item *Alexandrini*, quoniam plurima pars per Alexandriam tranſmanauit. Duplici iam via ad nos peruenit. Alterum nimirum itinere maritimo Cantono a variis nationibus Europaeis petitur, idque *Indicum* in officinis dici ſolet, et fruſta longiora ſubteretia, duriora et compactiora, nec perforata conſtituit. Alterum, itinere terreſtri a mercatoribus Bucharicis Kiachtam Sibiriae transuehitur, eiusque emtionem tanquam peculiare ius imperium Ruſſicum ſibi vindicauit. Serioribus annis Bucharica quaedam gens venditionem praeſtitit, quae quidem ab imperatore Chinenſi vetita fertur, vnde clam corruptione

ruptione ſuperiorum per pecuniam et admiſtis radicibus vilioris pretii adminiſtratur. Tranſportatur haec merx in ſaccis laneis per camelos, et pellium vario genere a collegio commerciorum, cuius mandata quidam commiſſarius exſequitur, redimitur. Quo vero iudicium aptum de pretio radicum feratur, adiungitur pharmacopola ab imperio Ruſſico conductus, qui praeſentibus Bucharis ſingula fruſta ab hominibus iuratis perforari, extrinſecus abradi et a reliquiis corticis, excreſcentiis, corruptis portionibus et aſcititio ſqualore, liberari, ſpongioſas vero et exeſas radices reiici curat. Selectum illud Rheum vnice recipitur, libratur et ex pacto ſoluitur, ſtudioſe proſpiciendo, vt loco ab aëre probe perflato ſeruetur. Quicquid vero repudiatum et reiectum fuerit, ne in auaras manus incidat, crematur (Conf. PALLAS *l. c.*). Tum Petropolin hiemali tempore intra ciſtas ligneas extus pice oblitas tranſuectum ibidem a pharmacopola ſcrutinio iterato ſubiicitur, vt, ſi quae vitioſa ſuperſunt, ſegregentur et deleantur (FISCHER in *Act. nat. curioſ. vol.* 10. *Obſ.* 20. *p.* 64. *ſq.* GMELIN *Diſſ. de Rhabarbaro officin. p.* 16.). Et hoc quidem vnice, quod ſecundam cenſuram ſubiit, Rhabarbarum per Ruſſiam et peregrinas regiones

regiones venditur. Ita pondus vnius Pud Ruſſici (Pud j = ℔XL Ruſſ. ſ. ℔XXX Amſtelod. Hamburg. Pariſienſes), quod 16 imperiales Ruſſicos (Rubel) Kiachtae venditur, antequam Petropolin perueniat, ob ſumtus hominibus miniſtrantibus et pro itinere ſoluendos, augmentum valoris ad imperiales Ruſſicos 30 vsque parit. Largiſſima omnium exportatio Rhabarbari ex Ruſſia ad peregrinas gentes iſta fuit anni 1765., quo 1350 Pud, pretio 65 imperialium Ruſſ. pro quouis Pud, vendebantur. Nonnunquam vero valor cuiuslibet Pud ad 96 adeo imperiales R., aſcendit (COXES *Account of the Ruſſian Diſcoveries p.* 341. vbi huius generis et alii calculi). Huic Rhabarbaro, vt ab Indico diſcernatur, non inepte mihi videtur nomen Bucharici poſſe imponi. Hoc Buchariçum venale, cuius elegantia eaque copioſa ſpecimina, diuerſo tempore transmiſſa et varium momentum egregie illuſtrantia, beneuolentiae L. Baronis AB ASCH debeo, partim fruſta oblonga ſubteretia, palmaria ſupraque repraeſentat, craſſitie circiter pollicum duorum vel minori, quae ipſa Ruſſi ſua lingua *Raven tſcherenkova* i. e. Rhabarbarum manubriforme appellant; vel fruſta conſtituit ſubplana diametri latioris, ad figuram vngulae equinae accedentia,

dicta

dicta ideo *Raven podkova* (i. e. Rhabarbarum vngulatum (FISCHER *l. c. p.* 65.). An haec ipsa trunco tuberoso radicis originem suam debent, reliqua ramosae parti? Vtrumque hocce perforatum cernis foraminibus diametri circiter $\frac{3}{4}$ pollicum terebra, quali dolia perforantur, vt videtur factis, quae in Rhabarbaro Indico non obtinent. Rationem huius perforationis arbitror modo exploratione Kiachtae instituta contineri, vt nimirum pernoscatur, vtrum frustum radicis aliquid corruptelae vel humiditatis intrinsecus contineat; hinc et tantum in extremis vel lateribus aliquando fouea, eadem terebra facta, conspicitur. Non eo fine perforata esse frusta, sicuti quidam putant, vt et ad meditullia aër pertingat, et eodem tempore interne ac extus exsiccentur, inde colligo, quod subinde vno tantum extremo largi frusti foramen compareat, et, praeter illud medio radicem pertingens, aliud superficiale dimidiatum occurrat. Non esse factum fili transigendi causa inde persuadeor, quod praesto mihi sunt specimina, quibus L. B. AB ASCH inscripserat Rhabarbarum ex Bucharia, in quibus exigua modo foramina video, quasi acu crassa sarcinis consuendis destinata, facta, qua ipsa fine dubio funis exiguus simul pro suspendendis frustis sicca-

ficcationis cauſa tranſactus fuit. In iisdem ſpeciminibus ſuperficies adhuc aſpera multisque reliquiis corticis obtecta et in ſcrobiculis particulis ſpongioſis referta eſt, vnde patet nondum illam ſubiiſſe cenſuram iſtam, quam ſupra Kiachtae fieri monui.

Praerogatiuam omnino meretur Rheum itinere terreſtri tranſuectum prae Indico, idque non ſolum ob explorationem dictam ſollicitam ſed et ideo quod non attrahere queat humidum maris, in quod Rheum in vniuerſum valde auidum eſt, nec inquinari vaporibus mercium aliarum adiacentium; nec ſecundum narrationem cl.mi BELL (*l. c.*) ſolum Chinae propius Rheo ferendo tam aptum eſt, ac illud Bucharicum.

Ad huius igitur indolem deſcriptio optimi Rhei mihi videtur tutiſſime adornari poſſe. Ex aetate prouectioribus plantis et partibus radicis craſſioribus deſumtum eſſe viſu manifeſtum eſt. Et quae narrantur de caulibus craſſis (V. ſupra *p.* 378.), qui indicium aptae collectionis praebeant, idem confirmant. In Tartaria pro venditione non effodi radices decennio minores multi declarant, neſcio, ex quo fonte. Et hacce fide procul dubio ductus

ductus ſuaſit ſummus LINNEUS (*Diſſ. purgantia indigena* in *Amoen. acad. vol.* 7. *p.* 307.), vt Rhei palmati radix nonniſi decennio poſt ſationem elapſo, vel ſerius in vſum verteretur; quod vereor ne hactenus a paueiſſimis, qui radicem indigenam commendarunt, factum fuerit. In ſpeciminibus Rhei Bucharici, quae coram habeo, diuerſo tempore mihi miſſis, et, vt veriſimile, diuerſis annis Kiachta petitis coloris aliqua diſcrepantia conſpicitur. Quaedam ſcilicet ſunt rubicundo lutea, alia albido lutea, alia viridi lutea; an haecce a ſolo, an, quod probabilius, a diuerſo exſiccandi modo dependeant, non dixerim. Aſt omnia prae ſe ferunt ſuperficiem ex cultri applicatione multangularem; notantur coloribus egregie ex rubicundo albo luteo variegatis vel ſtrias flexuoſas, vel ſubinde ſtellulas, quales iſtae Lichtenbergicae in electrophoro (Vid. *Comment. ſoc. ſcient. Gotting.* 1777. *tab.* 1. *figg. laterales*), formantibus; digitis facile conteruntur in puluerem tenuem pallide luteum, hinc in mortario tanto facilius contundi poſſunt; maſticata ſtridorem inter dentes, quaſi ſabulum intereſſet, edunt, et ſaliuam colore croceo imbuunt. Albae partis radicis mox plus mox minus reliquis ſtriis intereſt.

Sapor

Sapor amaricans ſubnauſeoſus et ſubacris cum adſtrictionis aliquo ſenſu. Odor grauis ſpecificus, quem vix aromaticum dicere poſſum. — Vetuſtiora ſpecimina non bene ſeruata ſubrufa ſunt et vermibus eroſa, quorum impetum cl. DE FISCHER (*A. N. C. cit. p.* 67.) humidiori aëri imputat. Ad celandas horum eroſiones fraudulenti mercatores radicem obliniunt Tragacanthae mucilagine et infuſo Curcumae vel Rhei, vel alius colorantis materiae. Ipſe eiusmodi radices venales vidi colore adſcititio, a naturali Rhei longe diuerſo, tinctas.

Odora Rhei pars vna ex praecipuis eſt, quibus illud conflatur, quae ſi perit, virtutis purgantis plurimum ſimul ſufflaminatur. Diſpellitur facilius in puluere radicis, quam eadem integra; hinc non debet diu in puluere ſeruari (BOULDUC *Mem. de l'ac. des ſc. de Paris* 1710. *p.* 166. SANDEMANN *Diſſ. de Rheo palmato* in *Gött. Anz.* 1771. *Zug. p.* 367.). Toſtione quoque fortiori item coctione auolat, ex vulgari experientia, quin ipſa radicis aetate. Imo aqua eius deſtillata nauſeoſa et purgans eſt (BORRICH. in *Act. Haſn.* Neglexi locum notare). Gummoſae et reſinoſae partes maximum Rhei pondus efficiunt, quarum

gummoſae autem ſuperant alterum genus. Proportio earum inconſtans eſt, vt conferendo experimenta vario tempore et a variis chemicis facta elucet, et tam arctus inter haſce nexus obtinet, vt menſtruum ſiue aquoſum ſiue ſpirituoſum vtriusque generis partes vna excipiat. Alius ex vncia vna radicis elicuit extracti gummoſi primi drachmas tres, et ſpirituoſi ſecundi drachmam ſemis cum granis ſeptem et dimidio (GMELIN *Diſſ. de Rhab. p.* 15.); reſiduum huius tamen grana quindecim extracti aquoſi adhuc dedit (GMELIN). Alius extracti aquoſi primi drachmas quinque cum ſcrupulis duobus et dimidio obtinuit et extracti ſpirituoſi ſecundi grana modo quinque (NEUM. *Chymie vol.* 2. *P.* 4. *p.* 89.). Alius dimidium vtriusque (SPIELM. *Mat. med. p.* 638.). Quartum partium genus, quae radicem ingrediuntur, ad nouiſſima tempora vsque neglectum fuit, quum tamen reliquis facilius longe ſeſe prodat. Eſt haec eius pars ad ſpeciem terrea, quae albedine ſua et ſtridore inter dentes mox cognoſcitur, plane inſipida. Eius mentionem primus MODELIUS (*Entdeckung des Seleniten in d. Rhabarber, Petersb.* 1774. qui libellus mihi non ſuppetit. Cfr. EIVSD. commentatio in *Abhandl. d. Baierſch.*

Baierſch. Acad. d. Wiſſenſ. vol. 9. p. 319. ſqq.) fecit. Vt ſeparetur a reliquo radicis, infundatur pulueri nonnihil rudi aqua calida, vnde terra iſta ob pondus grauius fundum petit; tum liquido tincto defuſo repetitis vicibus aqua calida infundatur, donec terra perfecte albeſcat. Haec ſiccata inter digitos refert ſabulum ſubtile; cuius Rhei Bucharici libris quatuor vnciae ſex infuerunt (MODEL *l. c. p. 322.*), Indici librae vni vnciae duae cum drachmis duabus (SCHEELE *Vet. Acad. Handl.* 1784. *p.* 181.). Tertia igitur parte plus infuit Indico quam alteri. Iam ratio patet, cur Indicum compactius ſit. Quo annoſior radix eſt, eo plus huius terrae continet, ita vt ex Rhei diu ſeruati drachmis tredecim vnciam eius vnam elicuerit cl. SCHEELE (BERG. *Mat. med. p. 336.*). Eſt haec ipſa ſal aqua inſolubile non ex acido Vitrioli et calce, vt olim cl. MODEL credidit (*l. c.*), ſubſcribente et nuperius cl. DE LA METHERIE (*Eſſay ſur l'air p. 371.*) ſed, vt experimentis euicit cl. SCHEELE, ex acido Acetoſellae, quod cl. vir cum acido ſacchari idem cenſet, et calce, conflatum, Idem ſelenites quoque in aliis variis vegetabilibus latet, ſed minori quantitate, vnde operoſius eruitur (SCHEELE *Vet. Acad. Handl.* 1785. *p.* 171.).

Infuſum radicis aqua paratum, aeque ac ſpirituoſum, colorem croceum induit, ſed hoc poſterius pallidiorem. — Ad vires Rhei medicas illuſtrandas et hoc pertinet, quod ſolutione martiali nigreſcat, quod de adſtringendi eius efficacia iudicium cum effectu in corpore noſtro apprime conuenit. Antiſeptica vi pollet inſigni, nam eius grana decem cum aquae fontanae vnciis duabus infuſa carnem potentius tuentur contra putredinem, quam ſalis marini grana ſexaginta eadem quantitate aquae ſoluta (PRINGLE's *Diſ. of the army App. p.* 21.).

Nomen Rheum barbaricum (το ρεον το βαρβαρικον) apud ALEXANDRUM TRALLIANUM (*Lib.* 8. *cap.* 3. *ed.* ANDERNACI *p.* 401.) primum occurrit, hocque in debilitate hepatis et dyſenteria laudauit. Rhei quoque parum admiſceri aliis iuſſit PAULLUS AEGINETA (*Ars med. lib.* 1. *cap.* 43. *p.* 17. verſ. TORINI), ſi validius ſubducenda aluus eſſet. Sed qualis planta ab hiſce intellecta fuerit, vtrum Rhaponticum, an alia, ne ſagaciſſimus quidem hodie certo enucleabit. Quin ORIBASIUS (*Euporiſt. l. c. c.* 9. *col.* 577.), vbi verba PAULLI repetens, loco Rhei, meminit Nitri, ita vt alterutro loco vitioſa

vitiosa scriptio suspicanda sit. Nec descendam multis in indaginem Rhabarbari Arabum, eandem incertitudinem reformidans; probabile tamen est, nostrum eos in vsum medicum adhibuisse, dum suo blande purgantem vim expressius adscribant, et MESUE hanc eius potentiam a partibus volatilibus deriuat coctione facile dispergendis. Ante hosce ducentos annos inclyti isti de simplicibus exoticis scriptores GARCIAS AB HORTO et ACOSTA Rhabarbari tanquam remedii vel suo tempore famigeratissimi meminerunt (Vid. CLVS. *exotic. p.* 207. 274.). In Germania praecipue ADOLPHI OCCONIS, filii, Augustae Vindelicorum Physici, qui a. 1606. aetate octoginta duorum annorum obiit, commendatione et vsu inclaruit (V. EIVS litterae in LAUR. SCHOLZII *Epist. medicinal. n.* 15. *pag.* 18.)

Ad praestantissima hactenus nobis cognita remedia, simul quoque vsitatissima, pertinet. Non subsistit eiusdem efficacia in primis viis, sed cum sanguine quoque haud aegre commiscetur, vel secretis liquidis sui indicium imprimit. Lotium breui post ingestum Rheum et antequam alias sensibiles virtutes exseruerit, tingitur colore rufo

luteo, quaſi in ictericis vel iis, qui calore febrili inſigniori corripiuntur; vnde ab hominibus minus attentis peruerſa diagnoſis vel prognoſis facile formatur. Lac puerperae quoque luteum ac amarum diuturno eius vſu redditum legitur (PAULLINI *Obſ. med. phyſ. c.* 1. *Obſ.* 20. *p.* 30.). Ita narratur ex Rhei drachma vna cum pauxillo vini ingeſto ſudorem, qui copioſe erupit, et odore et colore rhabarbarino induſium imbuiſſe (MENZEL in *Ephem. nat. cur. ann.* 6. 7. *Obſ.* 78. *p.* 110.). Similem in ſudore mouendo et tingendo effectum memorat TILLINGIUS (*Rhabarbarologia p.* 118.). Foeces aluinas Rheo tingi notiſſimum.

Purgans blandum eſt, quod cuiuslibet aetatis et ſexus hominibus plerumque tuto praebetur, et purgantibus tantum non omnibus eo praeſtat, quod non ventriculum debilitet, ſed eundum e contrario roboret. Id incommodi tamen ſecum vehit, quod, ſi ſolum capitur, poſt effectum hunc praeſtitum adſtringendi ſua vi plerumque aluum obſeret; id quod ſalino quodam addito praecaueri poteſt. Sunt qui adſtringentes partes ineſſe Rheo negant et alui obſtipationem nonniſi a praeuia purgatione deriuant (V. BOULDUC *Mem. de l'ac. R. d. ſc.*

d. ſc. de Paris 1710. *p.* 64. qui in neganda eius adſtrictione multus eſt): ſed ſapor, experimentum cum martis Vitriolo et analyſis chemica, quae multum terrearum partium manifeſtat, contraria. Sub ſordium in primis viis indiciis et torminibus cum borborygmis perceptis, colluuie per Rhei tempeſtiuum vſum eliminata, obuium ſaepe itur febri alias ex eiusdem in maſſam ſanguineam ingreſſu ſubſequuturae.

In acutis morbis non aeque idoneum purgans eſt, ac febre abſente. Nam particulis odoris ſanguinis curſum accelerat et aeſtum febremque cum ſymptomatum ſatellitio auget; et in inflammationibus pectoris nominatim reſpirandi difficultatem, anxietatem et reliquas moleſtias, peiores reddit. Quod tanto minus in dubium verti poteſt, quum vel in hominibus ſanis ex Rheo ingeſto incaleſcentia naturali maior et inquietudo oriri ſoleat. Merito igitur iam ALOYSIUS MUNDELLA Rheum, tanquam calidum et ſiccum in febribus redarguit (V. EIVS *annotationes in* A. MUSAE BRASSAVOLI *ſimpl. med. examen*) et SEPTALIUS (*Animaduerſ. et caution. med. lib. 5. cap. 5. p.* 101.) pariter. GEOFFROY *Mat. medicale Traité tom. 2. p.* 220.) quoque illud

vituperat viſceribus inflammatis et febre nimis forti. Non tamen nocet in febribus, in quibus ſordes ſub nimio virium diſpendio praeſto ſunt, vt in febribus neruoſis et putridis, qua ſub conditione ſalinis mannatis aliisque purgantibus debilitantibus multo praeferendum. — Haemorrhoidariis pariter non conducit (BÖGLER in HERM. *Mat. med. tom.* 1. *p.* 120. MODEL *Abhandl. d. Baierſch. Akad. d. Wiſſenſ. vol.* 9. *p.* 331. LENTIN *Beobacht. einig. Krankh. p.* 162). Cautionem quoque iniungit in Rheo apud foeminas debilitate ſyſtematis neruoſi laborantes et ad abortus pronas adminiſtrando cl. LENTIN (*loc. cit. p.* 163.).

Efficacius aluum mouet in puluere datum, quam praeparatione qualicunque ſubactum. Doſis pulueris in hunc ſcopum vulgo ſolet eſſe a ſcrupulo vno ad duos vel drachmam vnam. Aſt eſt, qui a dimidia drachma effectum eundem ac ab vna integra ſperat (SANDEMANN *Diſſ. de Rheo*). Gratius ingeritur puluis addito Cinnamomo et ſaccharo. Qua vero miſcela non opus eſt, ſi nebula obuelatum capitur. Addito cremore Tartari, vel ſale medio perfecto, minor doſis pro effectu ſufficit. Quoniam vix vnquam ſine leui nauſea moleſtiisue ventris, vtut

mitibus

mitibus, effectum exſerit, praeſtat, ſi nihil vrget, Rhei doſin, dum cubitum eundum eſt, ingerere; quod ſi factum fuerit, mane alui laxatio ſubſequitur absque turbis nocturnis. Quin nonnulli ſomniferam virtutem in Rheo animaduerterunt, adeo vt cl. FORDYCE (*New Inquiry into the putrid and inflammatory Fevers p.* 157.) verſus finem putridarum febrium a paucis granis Rhei ſomnum procurari referat, opiatis virtute caſſis, et cl. LENTIN (*l. c.*) idem a Rheo ante tempus ſomni ingeſto ſuſtineat. Pauperioribus, qui ſiccam formam reſpuunt, puluis exhiberi poteſt exceptus aqua et ſtimulo ſalino ſi opus, mixtus, modo pro quolibet praebio vitrum agitetur vt puluis ſuperiora petat. Infuſum aqua calida factum efficax quidem eſt, ſed debilius puluere, ita vt huius grana circiter viginti quatuor plus praeſtent, quam ſi pro infuſo drachma ſeſquialtera ſumitur (BOULDUC *Mem. de l'ac. d. ſc.* 1710. *p.* 165.). Rarius radix ſola in infuſo ſumitur, niſi in notiſſima iſta tinctura Rhei aquoſa, de qua infra, quae poſt puluerem conſuetiſſimam formam conſtituit. Extractum infuſo longe debilius, ita vt drachma iſtius vna multum cedat efficacia pulueris granis viginti quatuor (BOULDUC *l. c.*). Non caret ſuo commodo, addere vel interponere

Rheum aliis, quae vis et natura morbi aliquando desiderat, antequam omnes sordium primarum viarum reliquiae eliminatae rite fuerint, vt cortici Peruuiano, martialibus, amaris, opio.

In dysenteria omnium quidem consensu eximia perpetrat. Sed de periodo, qua conueniat, discidium, qua ipsa non rite obseruata, et optima alias remedia damnum afferunt. Omnium purgantium selectissimum declarat DEGNERUS (*Hist. dysent. biliosо-contagiosae, p.* 140 *sqq.*) multique alii medici cum eo in dysenteria, tam ob vim purgantem quam corroborantem, quin specificum nominatim in diarrhoeis et dysenteriis biliosis. Omni morbi tempore tam in statu et in declinatione quam sub eius initium pari fiducia admittit. Si omnino verum esset, quod quidem ille innuit, quod saburram biliosam inuoluat, leniter abstergat, eliminet, eius acrimoniam infringat, corrigat, obtundat, imo vim anodynam praestet, et simul intestina roboret: sane nullo alio auxilio ad dysenteriam curandam, quam Rheo opus esset, nec compendiosior vlla via excogitari posset. Iste pulverem nonnisi principio mali et quando minus periculi subfuit, dedit, vtplurimum sine vllo alio addi-

additamento; tutiorem tamen iudicat tincturam ad dimidium vel integrum cochleare ſingulis quatuor aut ſex horis exhibitam. Et ſic niſi iuuerit, vt deſperato caſu quidem aliquando accidit, nulli tamen nociuum fuiſſe aſſeuerat, in connubio liberalis acidorum vſus. Quibusdam propinauit infuſum Rhei ſimplex aquoſum, quod vero corruptioni magis obnoxium fuit, nec paris efficaciae. Haec omnia vero licet a viro in praxi medica alias graui edicta fuerint: non diffitendum tamen, quod, quum aluum abſoluta purgatione Rheum obſtipare ſoleat, minus longe ſub initium morbi, quam ſub progreſſum et finem, hoc eſt, poſtquam aliis commodis acrimonia in primis viis ſtabulans eliminata fuerit, conducat. Addo ob calidam ſuam naturam tum praecipue, quando manifeſta inteſtinorum inflammatio praeſto vel in procinctu eſt, non eſſe opportunum. Hinc ſcite ill. TRALLES (*de Opio Sect. 3. p.* 187.) praetulit Rheo ineunte et adoleſcente morbo Tamarindos cum Manna. Conſentit DON. MONRO (*Diſ. in Britiſh milit. Hoſp. p.* 70.), qui ideo, prima periodo praemiſſo emetico, altero die aliisque ſubſequentibus ſal catharticum amarum cum Manna et oleo eius loco in ſolutione aegris propinauit. Haecque miſcela etiam melius ſucceſſit

cl^mo

cl^mo GESNER (*Samml. v. Beob. a. d. Arzneygel. p.* 26. Cfr. PRINGLE *Dif. of the army p.* 267.). Praeſtantiam ſalis cathartici cl. RUSSEL MONROUM (*l. c. p.* 71.) primo edocuit. Salis cum Manna miſcelae praerogatiuam quoque tribuit cl. HUCK (in PRINGLE: *l. c.*). Plura contra vſum Rhei monet cl. BAKER. (*Lib. de dyſenteria Lond.* in *Opuſc. p.* 52.), nempe: effectum eius eſſe leuiſſimum, aut plane nullum, nonniſi tardiuſcule et impotenter et fere cum augmento torminum atque inflationis officio ſuo fungi, imo, quoniam aluum contrahat, inimicum maxime eſſe. Queritur et de variis incommodis ex Rheo cl. BROCKLESBY (*Oecon. and med. Obſervations, p.* 182.), ob adſtringentem eius naturam et quoniam iuſto citius euacuationes bilioſas ſiſtit, vnde multi intempeſtiue eo vſi mox deliria, vel eorum incrementum ſenſerunt, item pectoris compreſſionem, quae adeo venae ſectionem iniunxit, viribus etiamſi aliquando multum deiectis. Ill. Eques ZIMMERMANN (*Von d. Ruhr, p.* 408.), pariter diffidens Rhei praecociori vſui, Mannam et ſal Sedlicenſe, omiſſo oleo in epidemia ab eo adumbrata adhibuit, initio ex voto, quae ipſa praeſtantiora Tamarindis cognouit. — Sed abſit, vt Rheum in hoc morbo in vniuerſum repudiem. Confert enim Tinctura Rhei

Rhei, quando reliqua dicta purgantia vomitu reiiciuntur, quum ventriculus eandem ferat, vomitum haec ipsa sistat, et tandem etsi tardius morbum ipsum finiat, aliquando etiam ventriculum ita corrigat, vt reliqua purgantia sustinere queat (ZIMMERMANN *l. c.*). Insuper perseuerante fluxu, postquam tormina cessarunt, et in chronicum inclinante, valde idonea est; nec debilitantibus istis purgantibus tum amplius locus concedi potest, quippe quum profluuium istud nonnisi ob relaxata nimis vasa continuet, quae corroborante sua vi Rheum egregie adstringit et firmat. Quicquid stimuli adhuc supersit, vel iterum congeratur, huius subsidio blande euerritur. Sicque recidiuo malo optime obuiam ibitur (Cfr. TRALLES, MONRO *ll. cc.* CLARK *on the diseases in hot countries, p.* 229.). Sponte patet, subinde ad efficaciora sistentia, vt Cascarillam, Simarubam, lignum Campescanum &c. transeundum esse.

Variae miscelae Rhei quibusdam in dysenteria placent, vt cum Ipecacuanha, cuius exempla alio loco iam significata (*Appar. med. vol. I. p.* 534.). Addo, quod ad experientiam cl. RUSSEL pauca grana Rhei cuilibet dosi Ipecacuanhae (quatuor

ad

ad ſex grana Ipecac. ille exhibet) admixta, eam vim habeat, vt Ipecacuanha purgantis magis officium abſoluat, et minus ſolito moleſte aegrum afficiat (MONRO *l. c. p.* 72.). Angli connubium Rhei cum Calomelano crebro eligunt, eo fine vt purgatio copioſior et facilior contingat. Hocce ſcopo vtrumque combinauit PRINGLE (*Dif. of the army p.* 262.). Cel. MONRO (*l. c. p.* 72. *not.*) huic miſcelae tum indulſit, quando vermes ſocii exſtiterunt. Opponit vero cl. CLARK (*l. c. p.* 228.) tormina inde multum augeri et teneſmum moleſtum raro vel nunquam inde miteſcere, in climate calido autem diatheſin putridam Calomelanos additamento plurimum increſcere.

Prout autem Rheum diarrhoeas, quae dyſenteriam excipiunt, coërcet: ita et eximiae efficaciae eſt in iis, quae primarium morbum conſtituunt, et quae ex cibis vel ſua natura vel prae copia male digeſtis, vel liquidis corruptis abunde ad primas vias delatis oriuntur. Nam alienus in hiſce fomes non ſolum euerritur, ſed commeatus humorum vlterior roborando vaſa cohibetur. Non nimis mature autem capiendum eſt, quum diarrhoea ſaepe grauiori morbo praeuertat, ſed quando vires

vires labefactari incipiunt et tormina accedunt, vel febris ſeſe aſſociat. Saepe ſolum Rheum hoſce ſanat. Sub manifeſtioribus ſordium indiciis ea doſi ſumatur, qua aluum euacuet; alias minori, vel poſt longiora interualla, vt potius adſtringat. Nec ab huius beneficio grauidae vel puerperae arcendae ſunt. Nominatim in ea diarrhoea, quae fluxus hepaticus nuncupatur, efficax medela eſt, praecipue in acidularum martialium connubio (TRALLES *l. c. Sect. 3. p.* 242.).

Sic Rheum exigua quantitate pluries ſumtum proficit iis, qui aluum nimis mollem habent, et flatus, nauſeam, crebro experiuntur, vel acida ſiue mucoſa diatheſi laborant. Hinc ſtomachicorum numerum merito auget; et addere optimo ſucceſſu ſoleo tincturam Rhei elixiriis amaris, quibus ventriculi infirmitati ſubueniendi ſcopus eſt, praecipue ſi quid ſordium in primis viis ſuperſit. In aphthis infantum confert tum, quando cruſtae delapſae cum deiectionibus aluinis ſecedunt (ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 45.).

In affectionibus hepatis et bilis multi tantopere Rheum extollunt, vt Animam hepatis dixerint. Qui cholagogum vocarunt, vereor, ne vnice

colore,

colore, quo foeces aluinae inde tinguntur, decepti fuerint. Praeſtans tamen eſt in ictero, quii a tenacibus liquidis ſtagnántibus originem trahit. Commodam in hunc finem propoſuit miſcelam Equ. A ROSENSTEIN (*l. c. p.* 293.), ab ipſo Elixir hepaticum dictum. Nec inconcinne contra hunc icterum tincturae Rhei liquor terrae foliatae Tartari admiſcetur. Malum hypochondriacum licet in nimia ſenſilitate neruorum et irritabilitate muſculorum praecipuam cauſam agnoſcat, vitia tamen viſcerum digeſtioni ciborum et chyli praeparationi dicatorum varia iuncta habet, praecipue ventriculi et hepatis, ad quae tollenda haud exiguam ſymbolam Rheum tonica ſua virtute affert.

In renes Rheum peculiarem effectum exſerere, coloratio lotii et impetus leuis in vrina pellenda docet. An haecce allexerint quosdam ad illud in diabete tentandum, non dixerim. Multi tamen inter primaria in eiusdem curatione referunt, ſingularibus caſibus inſiſtentes. In caſu ſingulari, quem proponit HARRIS (*de morb. infantil. et obſ. med. ed. Amſtel.* 1736. *p.* 169.), infuſum ex Rhabarbaro et vino Canarienſi vnicam medelam abſoluit. Ad quem Rhei vſum ſimilitudine mali

cum

cum diarrhoea inuitatus fuit. Alii, qui Rhabarbarum adhibuerunt, simul alia varia pro idea diuersa, quam de causa proxima abstrusi huius rarique morbi sibi formarunt, praeceperunt, ita vt dubium sit, quidnam iuuerit. Legi tamen merentur historiae consignatae ab HEISTERO (*Med. chir. Wahrnehm. vol.* 1. *p.* 577.), a FOTHERGILLO (in *Med. Observ. and Inquir. vol.* 3. *p.* 538.), DOBSONO (*l. c. vol.* 5. *p.* 302.), METZIO (*Diabetis Obs.* in HALL. *collect. Disp. pract. tom.* 4. *p.* 35.) rel. vt breuiaria varia practica transeam, in quibus commendatur. Sed proxime dicti obseruatores Rheo potius instar commodi purgantis quam assimilationis succorum nutritiorum labefactatae vel vitii topici renum remedii, vsi sunt. Ipse a BUCHWALD (*Diss. de diabetis curatione cum primis per Rhabarbarum* in HALL. *coll. Diss. pract. tom.* 7. *P.* 2. *p.* 762.), qui Rheo principatum fere in hoc morbo concedit, in tribus casibus ab eo recensitis alia adiunxit, nec ea dosi et ordine Rheum dedit, quo rei praerogatiua indubia redderetur.

Hecticae infantum cum intumescentia ventris iunctae, quae insignes hinc inde strages producit, medelam saepe sese praestitit. Animam Rhei ad drachmam vnam datam laudat eo fine LINNEUS

(*Amoen. med. vol. 3. p. 228.*) et FORDYCE (*Inquiries into putrid and inflammat. Fevers p. 208. 227.*) vtitur puluere ex falis polychrefti ſcrupulo dimidio et Rhabarbari granis tribus ad ſeptem mane per quatuordecim dies, vel donec ceſſerit febris hectica aut tumor abdominis, cui pulueri tantum tribuit, vt ſi arcanum habuerit, diuitiarum conquirendarum aptiſſimum adminiculum futurum fuiſſe exiſtimet.

Vermibus porro Rheum inimicum eſt. Teſtimonium huc pertinet FORESTI (*Oper. lib. 21. Obſ. 32. p. 357.*), qui eo fine eius ſcrupulum vnum vel duos commendat, item DURETI (in HOLLER. *de morb. intern. et enarrat. annot. ad cap. 54. p. 568.*). Inter purgantia contra vermes praeſtantiſſimum declarat RIVERIUS (*Prax. med. lib. 10. p. 502.*), vt quod alui fluxui et febri conueniat, cui tamen praemittit anthelmintica ſpeciatim ſic dicta. Multum quoque illi tribuit VAN DEN BOSCH (*Hiſt. conſtit. verminoſae p. 347.*) in febribus verminoſis, in falis polychrefti et Valerianae connubio, quod et in mucoſis et in bilioſis et verminoſis affectionibus excelluit. Vtique hic non omne curationis meritum in Rheum ſolum cadit, nec, quum PRINGLE

Rhei

Rhei drachmam dimidiam cum Calomelanos granis duodecim contra lumbricos in febribus remittentibus autumnalibus militibus praeſcriberet (Vid. *Diſ. of the army p.* 211.): attamen experientia felix praeferri iuſſit Rheum alii purganti remedio. Vermibus aduerſum eſſe arbitror tam ob grauem ſuum odorem, quam purgante vi, et robore, quod inteſtinis impertit, ſiquidem ii praeſertim vermibus afficiuntur, qui primarum viarum debilitate laborant.

De praeſtantia in fluore albo mulierum mox, de extracto commentaturus, agam.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

RHABARBARVM TORREFACTVM *Ph. Lond. p.* 22. Torrefieri Rheum leni igne (in cacabo) iubetur, donec friabile fiat. Eo diminuitur purgandi vis et augetur altera adſtringendi. Fortiori igne omnino perit iſta prius dicta, ita vt ab aliis adſtringentibus vegetabilibus Biſtorta, Tormentilla rel. nihil differat. Hinc ſuperfluum praeparati genus.

EXTRACTVM RHABARBARI *Ph. Wurt. p.* 90. *Ph. Succ. ed.* 3. *p.* 80. Purgandi vi inferius eſſe puluere, ſupra indicaui. In diarrhoeis grana duo

vel tria pilularum forma cum cochleari vno aquae Cinnamomi pro doſi capi poſſunt (ROSENSTEIN *Hus- och Reſe-Apotheque p. 73.*). Contra pertinacem fluorem album valere, et auctoritate duorum medicorum magni nominis et propria experientia edoctus ſum. In hocce malo exiguae doſes conferunt. ROSENSTEINIUS (*Apot. p. 72.*) eius pilulas binas, ſingulas grani vnius cum oleo deſtill. Cumini ſubactas et Canella alba conſperſas, mane et veſperi per longum tempus ingerendas curauit. WERLHOFIUS (*Oper. p. 752.* ed. WICHM.) autem extractum ad ſcrupulum dimidium quauis nocte ſumendum conceſſit, protracto per aliquot menſes vſu. Si ſubfuerit ſuſpicio eiusdem ex infectione venerea originis, exigua quantitas Mercurii dulcis feliciter ſubiungitur (WERLHOF). Equidem quoad doſin et tempus ROSENSTEINII conſilium pluries ſequutus ſum optimo euentu, etiam tum quando diuturnum fuit malum, et ardorem et eroſionem genitalium excitauerat.

TINCTVRA RHABARBARI AQVOSA vel ANIMA RHEI *Ph. IV. p. 230.* ESSENTIA RHABARBARI *Ph. Brand. p. 91.* Eſt infuſum Rhei aquis duabus deſtillatis factum, cui pro extractione copioſiori et ad

corrupte-

corruptelam arcendam ſal Tartari additum. Additamento hocce quoque infringi nonnihil eius purgandi vis dicitur (DEGNER *l. c. p.* 148.). Si ſtimulus metuitur, omitti poteſt ſal alcali. Altera aquarum deſtillatarum Cinnamomi aromate impraegnata eſt. HORSTII et ROLFINCII, tanquam auctorum, nomen adiungitur. Si euaporatione nonnihil denſatur, *concentrata* vocatur. Eſt egregium purgans, quod additis aliquot guttis liquoris mineralis Hoffmanni gratius redditur. Laxandi ſcopo ab vncia vna ad duas adulto conceditur, alterandi autem fine minori quantitate ad drachmas duas. Commode dilutum aqua aromatica et ſale medio adiutum partitis doſibus in mixturis hauritur. Infantibus tenellis etiam conducit mixta cum ſyrupo de Cichoreo cum Rheo, tantoque magis, quum, ob alcali admixtum, acidum in hiſce infringat. Poſt puluerem Rhei haec tinctura vſitatiſſimum rhabarbarinum conſtituit.

TINCTVRA RHABARBARI COMPOSITA *l. c.* Menſtruum tam ſpirituoſum quam vinoſum eſt, quod excipit Rheum, Gentianam, Serpentariam Virgin. Sed vix hodie vſurpatur. Propius accedit ad TINCTVRAM RHEI AMARAM *Ph. Edinb. p.* 45.

TINCTVRA RHEI DVLCIS *Ph. Ed. p.* 46. Simplicior, ſed pariter ſpirituoſa, addito Cardamomo minori.

TINCTVRA RHABARBARI SPIRITVOSA *Ph. Lond. p.* 72. Ineſt Crocus et Cardamomum.

SYRVPVS DE CICHOREO CVM RHEO *Ph. W. p.* 207. Elegans ſyrupus et palato placens, qui vires Cichorei et Rhei colligit. Suetiſſimus pro meconio recens natorum eliminando, cochleari exiguo pro Thea datus. Additur et mixturis purgantibus gratiae et virtutis cauſa.

SYRVPVS DE RHABARBARO *Ph. W. p.* 216. Sennam etiam et aromata recipit. Infrequentior praecedente.

Intrat inſuper Rhabarbarum multa compoſita tam officinarum, vt EXTR. PANCHYMAGOGVM CROLLII, PVLVEREM CONTRA VERMES *Ph. W. p.* 161. ELIXIR PROPRIETATIS CVM RHEO *Ph. W. p.* 57 rel., quam formularum celebratiorum librorum practicorum, e. c. POTIONEM COMMVNEM PVRGATIVAM SYDENH. *Oper. p.* 567. ELIXIR RHEI DARELLI (V. ROSENST. *Haus u. Reiſe-Apoth. p.* 51.). ELIXIR VISCERALE ROSENSTEINII (*l. c. p.* 52.).

POLY-

POLYGONVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 311. *Gen. pl. p.* 195.

473.

Pharm. BISTORTAE *Radix.*

Polygonum Biſtorta; caule ſimpliciſſimo monoſtachyo, foliis ouatis in petiolum decurrentibus LINN. *Spec. pl. p.* 516. Biſtorta maior radice magis intorta C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 421. REGNAULT *Botan.* La Biſtorte. CURTIS *Fl. Lond.* Pl. perennis, in montoſis Germaniae, vt Hercyniae, Weiſſneri, Haſſiae, Auſtriae, item Galliae creſcens. In Helvetia et Anglia occupat prata humida.

RADIX digitum craſſa, compreſſa, inflexa, rugis annularibus cincta et fibrillis copioſis in ſuperficie inſtructa, extrinſecus nigro bruna, interne colore carneo tincta. Saporem prae ſe fert intenſe auſterum, odorem haud manifeſtum. Solutionem Vitrioli martis nigram reddit. Lac et ſerum ſanguinis coagulat et corium denſat (ALSTON *Mat. med. vol.* 1. *p.* 399.). Tam aqua, quam ſpiritus vini recipit adſtringentem eius naturam, et

inſpiſſatis hiſce menſtruis extracta emergunt valde ſtiptica. Extracti aquoſi ex vncia vna radicis eliciuntur drachmae tres (CARTH. *M. m. tom.* 1. *p.* 392.).

Ex hiſce indiciis patet, inter efficaciſſima adſtringentia vegetabilia locum habere; indeque apparet, ſumma cautione in eiusdem vſu interno opus eſſe. Valet hoc praecipue in profluuiis aluinis, in quibus nunquam admittenda eſt, niſi fomes acris, qui illa ſuſcitat, prius eliminatus fuerit. Item in ſiſtendis haemorrhagiis, ſi febris ſubſit, iſta prius vincenda, quam ad roboranda vaſa per eiusmodi remedia tranſeas. In gonorrhoea absque re a quibusdam laudata, dum ſtadio primo ſiue inflammatorio manifeſte nocet, altero relaxationis neque ore excepta neque in vrethram iniecta efficax eſt (LÖSECKE *auserleſ. Arzneym. ed.* 4. *p.* 436.). Nec tutum cenſeo in febribus intermittentibus, quae remediis vnice adſtringentibus ſuffocantur potius, quam curantur. Ob vim antiſepticam, quam cum aliis ſimilibus communem habet, olim ad febres putridas adhibita fuit. In alpibus ſpecifica contra fluorem album reputatur (CHOMEL *Uſuelles*, *tom.* 2. *p.* 299.). Raro hodie in puluere ad ſcrupulum vnum vel drachmam dimidiam ingeritur;

geritur; decocti forma commodior eſt. Non ſpernenda collutio oris ex radice ad dentes vacillantes firmandas, item in ſcorbuto oris. In Sibiria gentes paſtoralem vitam degentes radices coctas, defuſa prima aqua, quae auſteritatem attrahit, edunt; nempe renouata aqua emollitae ſaporem blandum non ingratum habent. (FALKS *Beytr. z. topogr. Kenntniſs d. Ruſſ. Reichs, vol. 2. p.* 169.).

474.

Pharm. PERSICARIAE VRENTIS ſ. HYDROPIPERIS *Herba.*

Polygonum Hydropiper; floribus hexandris ſemidigynis, foliis lanceolatis, ſtipulis ſubmuticis LINN. *Spec. pl. p.* 517. Perſicaria vrens ſ. Hydropiper C. B. Icon: CURTIS *Fl. Lond.* Planta annua, in foſſis et aquis pagorum ſtagnantibus crebra.

FOLIORVM recentium, quae inodora ſunt, ſapor valde acris et fere vrens eſt; qua de cauſa et ob ſimilitudinem foliorum in Anglia aliquando Herba Ranunculi Flammulae huius loco venditur (LEWIS *M. m. p.* 437.). Siccando acrimonia perit.

Succus inſtillatus chartae coeruleae parum rutilantem eam reddit (*Commerc. Nor.* 1739. *p.* 137.). Aqua deſtillata alio experimento nonnihil acris et vellicans apparuit (*Comm. Nor. l. c. p.* 138.); alio autem ſubdulcis nec vllo modo acris, prout remanens herba pariter mitis exſtitit (TIELEBEIN in CRELLS *Entd. d. Chem. P.* 11. *p.* 116.). Nec infuſum ſpirituoſum acre fuit (*l. c.*), quae de enucleatione ſalis culinaris et nitri, item fixi alcalini ſignificantur (*Comm. Nor. l. c.*), fateor mihi non ſatisfacere, nec hactenus mihi conſtare, quibus particulis cauſticum iſtud, quod ſapore et applicatione externa cognoſcitur, debeatur. Nempe cuti recens contrita et applicata herba eandem rubefacit. Adhibita aliquando ad vlcera putrida purganda et carnem fungoſam delendam praecipue a veterinariis (Conf. BOERH. *Hiſt. pl. p.* 543.). Folia decocta aqua et applicata laudantur in tumoribus oedematoſis (BOERH. *l. c.* CHOMEL *Uſuell. vol.* 2. *p.* 369.). Maiori cautione opus eſt, ſi ad excoriationem oris maſticanda, quod in Dalia fieri legitur (LINN. *Fl. Suec. p.* 130.). Cocta cum aqua extus admouentur in odontalgia apud Norvegos (*l. c.*). Nimis breuia ſunt quae de vſu eius in angina et exulcerationibus cancroque narium et gulae

gulae apud Aſtrachenſes leguntur (LERCHE in *Gort. Flor. Ingr. p.* 61.).

Olim aqua eius deſtillata per cochlearia hauſta ſubinde a calculoſis capiebatur et paſſim alternis vicibus oleum Amygdalarum dulc. cum ſucco Citri (*Comm. Nor. l. c. p.* 140.). Sed ſiue in aqua hac, ſiue ſucco expreſſo, ſiue decocto digererentur calculorum portiones, vis aquae fluuialis ſoluens omnibus potentior fuit (HARTLEY *de lithontriptico exp.* 6. *p.* 42.). In infuſo vel decocto lotium pellere obſeruatum (BOCCONE *Muſeo di fiſica p.* 214.).

Aſt hodie in vniuerſum in medicina negligitur.

Nec confirmantur noſtra aetate quae traduntur de viribus *Herbae* PERSICARIAE MITIS (*Polygoni Perſicariae* LINN.), quas HALLERUS (*Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1557.) congeſſit, quarum vis lithontriptica eminet, vel PERSICARIAE ACIDAE Iungermanni (*Polygoni amphibio* L.), de qua SCHULZIUS *reſp.* MÜCKE *Hal.* 1735. diſſertationem conſcripſit.

475.

Pharm. CENTVMNODIAE *Herba.*

Polygonum auiculare; floribus octandris trigynis; axillaribus, foliis lanceolatis, caule procumbente herbaceo LINN. *Spec. pl. p.* 519. Multis varietatibus ludit: LINNEUS (*M. m.*) autem admittit Var. α. Polygonum latifolium C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 803. REGNAULT *Botan.* La Renouée ou la Traimaſſe; CURTIS *Fl. Lond.* Planta annua, qua ad vias et ſemitas nihil frequentius.

Hodie apud medicos obliuioni data. Caret odore, ſapore autem inſtruitur debili ſubadſtringente. Infuſum aquoſum, fere inſipidum, Vitriolo martis nonnihil fuſcum fit. In haemorrhagiis ſiſtendis, profluuiis aluinis coërcendis, imo prolapſibus et herniis tollendis, demum vulneribus curandis valere paſſim legitur. Inter haſce laudes vel non ſatis confirmatas definitasque, vel fide valde ambigua nixas, memoranda tamen eſt efficacia recentius explorata in diarrhoeis diuturnis (SCOPOLI *Fl. Carn. ed.* 1. *p.* 423.), quae antea quoque ad dyſenterias inueteratas extenſa fuit (CHOMEL *Uſuell. vol.* 2. *p.* 280.), dum ſucci duae vel tres vnciae, vel decoctum vel infuſum vino rubro factum potaretur.

? ANA-

? ANACARDIVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 318. *Gen. plant. p.* 208. ROTTBÖLL. in *Collect. Soc. med. Havn. vol.* 2. *p.* 252, qui plantam polygamicam facit.

476.

Pharm. ANACARDIVM OCCIDENTALE.

Anacardium occidentale; LINN. *Spec. pl. p.* 548. JACQUIN *Amer. pict. p.* 63. *tab.* 121. Anacardium fructu obuerſe ouato nuce reniformi, racemis terminalibus BROWNE'S *nat. hiſt. of Iamaica p.* 226. Acaiaiba, et fructus eius Acaju PIS. *Ind. vtr. res nat. p.* 120. cum icone. EIVSD. *Mant. p.* 193. c. ic. Kapa-mava RHEEDE *Hort. Malab. tom.* 3. *p.* 65. *tab.* 54. Caſſuuium, Cadju RUMPH. *Herb. Amb. tom.* 1. *p.* 177. *tab.* 69. Depictum porro reperitur in REGNAULT *Botanique*, l'Acajou. Arbor in vtraque India creſcens, e. c. Malabaria, Zeylona, Braſilia, noua Guiana, Jamaica, inſulis Caribaeis.

Memorabilis praecipue eſt fructu, nam quod cortex arboris collutorii inſtar contra aphthas adhibeatur (RUMPH. *l. c.*), vel quod Gummi copioſe fundat,

fundat, Gummi Arabico non inferius, et, ob adſtringentem naturam, quibusdam in caſibus praeferendum (BROWNE), ſaltim non illam extra patriam celebrauit.

FRVCTVS eſt nux, inſidens receptaculo craſſo, nuce longe maiori, et pyrum referenti, cuius apex deorſum vergit. *Receptaculum* iſtud coloris coccinei vel lutei, vel ex vtroque miſti, eſt carnoſum, ſaporis, dum maturum eſt, vinoſi, acido dulcis, aliis auſteri et dentes obtundentis. Huius crudum ſuccum ad fallendam ſitim exſugunt Indi, alii integrum ingerunt, et exinde etiam vinum fermentatione parant (RHEEDE), quod, prout ipſe ſuccus, in relaxatione nimia viſcerum commodum cenſetur (BROWNE. Conf. AUBLET *Plant. de Guiane, tom.* I. *p.* 392.).

Sed ad nos in primis pertinet NVX reniformis fuſca, ſubcompreſſa, glabra, inferius gibboſior, pollicem circiter longa. *Putamen* eius intra binas laminas multis cellulis diſtinctas continet oleum (Melligo dictum a RHEEDE, et a LINNEO in *Mat. med.*) ferruginei coloris, qui in linteis difficulter deletur. Oleum dum nuce candelae ardenti admota accenditur, ſcintillarum forma vndique cum ſtrepitu prorumpit. Adeo cauſticum eſt, vt labia, totumque

que os inflammet et excoriet (RUMPH). Maturatione fructus miteſcere oleum, PISO quidem innuit, ſed equidem pungentem ſaporem ſenſi in oleo nucum omnino maturarum, nec vetuſtarum, licet initio nihil acrimoniae ſeſe manifeſtaret. Neglecta lotione digitorum, quibus oleum tenax adhaeſit, poſtquam nuces aliquot aperirentur, ecce ex contrectatis per noctem variis partibus corporis, ſcrotum, facies, auriculae rel. inſigniter intumuerunt cum pruritu et ardoris ſenſu, veſicae magnae liquore flaueſcente turgentes in cute exortae, ſubſequente tandem eius deſquamatione (*Schriften d. Berl. Geſellſchaft naturforſchender Freunde, vol. 5. pag. 478. ſq.*). Mulieres nonnullae Americanae faciem eo obliniunt ad cutis maculas delendas taedioſo et ſaepe poenitendo artificio, quod eas per binas ſupraque hebdomades ab hominum omni conſortione arcet et cutem inflammat, ita vt vna cum ephelidibus aliisque maculis reſiduam venuſtatem ſufflaminet (BROWNE). Herpeti mederi dum aſſeritur (PISO *l. c. p.* 121.), conciliatur hoc cum recentiori idea de huius exanthematis vitio topico et vſu ſimili veſicatorii. Sed et aduerſus lichenes et impetigines illinunt (RHEEDE). Delendae carni fungoſae vlcerum quoque inſeruit (PISO). — Oleum dictum

praeterea

praeterea a pictoribus expetitur ad lintea indelebili nigredine imbuenda (RHEEDE).

Nucleus inclusus eiusdem, ac putamen, figurae epidermide bruna cingitur, quae auferri debet. Albus est, oleo foetus, saporis amygdalini, hinc blandi. Editur, postquam aqua frigida ablutus fuerit, assatus etiam sub cineribus incolis valde placet. Ad separandum putamen nucem cultro findunt, vel supra carbones collocant, quo calore crepet. Succolatae speciem quoque inde parant (RUMPH, BROWNE, JACQUIN).

Nihil inest fructui, quod eum Europaeis medicis valde commendaret, licet liquidum inuenerim oleum in putaminibus fructuuum ante complures annos collectorum, illudque valde causticum, nec minus nucleum post tantum temporis spatium rancoris expertem.

? LAVRVS.

? LAVRVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 317. *Gen. pl. p.* 200.

477.

a.

Pharm. CINNAMOMI *Cortex*; CASSIAE *Flores.*

Laurus Cinnamomum; foliis trineruiis ouato-oblongis: neruis verſus apicem euaneſcentibus LINN. *Spec. pl. p.* 528. Cinnamomum ſ. Canella officinarum C. B. Laurus Cinnamomum JACQ. *ſel. ſtirp. Amer. hiſt. color. p.* 59. *tab.* 117. TREW in *Nov. act. nat. curioſ. vol.* 2. *App. p.* 367. Caruą in RHEED. *Hort. Malab. T. I. p.* 107. *tab.* 57, (quod ſynonymon in LINN. *Spec. pl. p.* 528. Lauro Caſſiae L. tribuitur) Caſſia cinnamomea HERM. *hort. L. B. p.* 129. Cinnamomum foliis latis ouatis frugiferum BURM. *Theſ. zeyl. p.* 27. *tab.* 62. The Cinnamon, WHITE in *Phil. Tranſ. vol.* 50. *P.* 2. *p.* 860. *tab.* 36. Icon etiam exſtat in REGNAULT *Botanique.* Le Canelier. Arbor quoad corticem praeſtantiſſima in Zeylona habitat. Sed nullum eſt dubium, quin et eadem ſpecies alibi proueniat, ſcilicet in Sumatra, Jaua, Malabaria, inſula Philippina

Mindanao (GENTIL. *Voyage dans les mers de l' Inde vol. 2. p. 79.* HARRIS'S *Voyage vol. 1. p. 685.*), Isle de France (AUBLET) aliisque Indiae orientalis regionibus; nec non variis in locis Americae, vt in Brasilia (SOLANDER in litt. Vid. DOSSIE'S *Mem. of agriculture, tom. 3. p. 201. not.**), Martinica ad montem Calabasse (JACQUIN), in insulis Guadaloupe, Granada et St. Vincent (YOUNG in DOSSIE'S *l. c. p. 198.*), in insula Cayenne Guianae Gallicae (AUBLET).

Vix probabile, in omnia ista extra Zeylonam loca ex hac insula arborem esse translatam: attamen arte posse propagari per fructum, qui drupa est, et huncce non semper transmissione ob corruptelam nuclei effoetum fieri, quod quidem ill. DE JACQUIN de Martinicensibus notat, satis experimentis serioribus constat. Ita Galli fructus in Zeylona largo pretio a se coëmtos partim in Pondichery, partim in Isle de France (SONNERAT *Voyage aux Indes orientales tom. 2. p. 96.*), vbi cl. AUBLET (*Pl. de la Guiane Franç. tom. 1. p. 373.*) culturam direxit, terrae mandarunt, de succesu iam ouantes. Et in insula Sti Vincentii ex fructibus Guadaloupe translatis pariter arbores ex voto succreuerunt (DOSSIE *loc. cit.*).

Variant

Variant folia Lauri Cinnamomi figura, ouata, lanceolata, et multiplici gradu intermedia, quod forſitan a ſolo, vel climate, vel aetate, ſiue parte arboris, vnde decerpuntur, dependet; hinc cauendum, ne diſcrimen imponat, vt putes arbores ſpecie differre. Merentur folia ab anonymo (in *Act. nat. curioſ. vol.* 1. *App. tab.* 14. *n.* 1-9.) et a cl. WHITE (*l. c.*) depicta, inter ſeſe comparari.

Veriſſima, quae de Cinnamomi Zeylonenſis hiſtoria nouimus, indagini Procuratoris cuiusdam anonymi, qui in Zeylona mercaturae huic praefuit et certiorem de ea SEBAM reddidit (*Act. nat. cur. vol.* 1. *Append. p.* 3. *ſqq.*), item narrationibus cl. IMAN. WILHELMI FALK (in *Verhandl. door de Maatſchappye der Weetenſchappen te Harlem vol.* 15.), qui gubernator eius inſulae fuit, et cl^mo THVNBERG (*K. Vetenſk. Acad. Nya Handl. tom.* 1. 1780. *p.* 55. *ſqq.*), itineratori ſagaci autopti, debemus. HERMANNI NICOL. GRIMM (*Laborat. Ceylon. in Barthol. Act. med. Hafn. vol.* 5. *p.* 223 *ſqq.* Conf. *vol.* 3. *p.* 167.), medici olim Zeylonenſis, labor viribus potius variarum arboris partium et formulis colligendis inhaeſit, quam completae eiusdem hiſtoriae contexendae.

Arbor modicae ſtaturae, elegans et variarum partium egregia efficacia, CORTICIS praeſertim, qui facile antiſtat omnibus reliquis aromatibus, celebratiſſima. Quicquid de cortice Cinnamomi ad exteras nationes transfertur, id fere omne ex arbore fera deſumitur. Praeſtantiſſimum corticem erogant arbores plaga auſtrali-occidentali inſulae creſcentes (THUNBERG *l. c. p.* 56.), et plurimum corticis petitur ex ſtationibus Negumbo, Columbo, Caltere, Barbary, Gale et Mature et prope littus marinum ſitis et ſecundum longitudinem eius exporrectis, vbi ſolum arenoſum eſt. Qui locis interioribus huius partis inſulae colligitur, hic rudior et acrior deprehenditur. Quum vero ad diſtantiam ſex circiter vel plurium milliarium a mare inſula in poſſeſſione Belgarum verſetur: patet lucrum venditionis huic nationi proprium eſſe. Raro extra huius territorium in ſyluas interioris inſulae partis, quae montoſa eſt, collectores corticis periculoſo tentamine euagantur. Propagatur arbor vel delapſis fructibus vel auium quarundam, columbis ſimilium (Kaneel-eeters vel Kaneel-duiven a Belgis vocantur) item cornicum adiumento, vt quae deuorantes fructus ſemina indigeſta per aluum reddunt, vnde et prope aedes hortorum imo ipſum

ipſum vallum caſtelli Columbo arbuſculae copioſe deprehenduntur (FALK *l. c. p.* 284.). Sclopeto easdem necare nefas cenſetur. Sed errorem fere communem, probae indolis corticem nonniſi ex ſpontanea arbore obtineri poſſe, refellunt felicia cum ſatis feminibus tentamina. Operam iis dedit in Zeylona primum quem nominaui cl. FALK, qui ipſe paucis modo eadem commemorat (*Maatſchappye te Harlem cit. p.* 285.); ſed ex alio fonte nouimus, id modo factum inde ab anno ſexageſimo huius ſeculi et, quum prima experimenta malitia incolarum irrita fierent, iſtum impigrum iteraſſe illa anno circiter ſeptuageſimo felici euentu (THUNB. *l. c. p.* 60.).

Qui colligendo cortici, quem Zeylonenſes *Curundu* vocant, negotium impendunt, decem eius diuerſas ſpecies diſtinguunt, notis a cortice, ſubinde a foliis aliisque partibus, deſumtis, et ſingulis peculiare nomen tribuunt (Vid. de hiſce diuerſitatibus anonymus in *A. N. C. vol.* 1. *App. p.* 4. *ſqq.* BURM. *Theſ. Zeyl. p.* 63. FALK in *Verhand. te Harlem l. c. p.* 279. *ſqq.* THUNB. *l. c. p.* 58.). Quidam horum corticum ex arboribus deglubuntur, quae non quidem ſpecie botanica, attamen

varietate differunt, vt Cinnamomum *Raſſe Curundu* vel *Penni - Curundu* dictum h. e. Cinnamomum dulce vel melleum, quod omnium gratiſſimum foliis magnis latis et craſſis inſtruitur, *Nai - Curundu*, quod proxime ad prius venit gratia, *Capuru - Curundu*, *Cahatte - Curundu*, quae quatuor vnice digna ſunt, quae mercaturae cauſa decorticentur, et *Saevel - Curundu*, quod abundat mucilagine, collam ſapore referente. Reliqui quinque cortices non huius cenſus ſunt, nec ſatis cognitum de omnibus eſt, quibus arboribus originem ſuam debeant.

Quo liberior eſt, et quo ſiccior in arena alba, ſtatio, tanto maturius decorticatio arboris fieri poteſt; hinc ſub ea conditione iam anno quinto locum habet, quum contra ea arbores ſolo humido argilloſo creſcentes aetatem ſeptem vel octo annorum, et arbores vmbroſis locis creſcentes aetatem quatuordecim, quindecim, ſedecim annorum requirant (ANONYMUS in *A. N. C.* FALK). Decorticatio ad aetatem vsque triginta annorum continuari poteſt (FALK *l. c. p.* 283.). Nam iactura reſarcitur nouis protruſis ramis. Quin ſi arbor ad radicem vsque praeciditur, ex radice pullulant copioſi ſurculi, qui

qui intra ſpatium quinque, ſex, ſeptem vel octo annorum mox citius mox tardius nouo colligendo cortici idonei ſunt (ANONYM. in *A. N. C. vol.* 1. *p.* 10.). Decorticatio fit quotannis bis ſcilicet ab Aprili ad Auguſtum, quod vocant meſſem magnam, et a Nouembri ad Ianuarium, quod meſſem paruam nuncupant.

Iuſſu autem ſocietatis Zeylanico Belgicae ſtatutum eſt, vt ditio quaelibet vel pagus dominio Belgarum ſubiectus quotannis definitam Cinnamomi partem deglubat ſibique afferat, vnde varia commoda illis conceduntur. Omnibus, qui haccre occupantur, praefectus quidam praeeſt. Dum deglubendus eſt cortex, rami triennes arboris plurium annorum cultro adunco praeciduntur, epidermide tum alio cultro deraſa cortex longitudinali plaga inciditur moxque ſenſim ſeparatur, demum in ſiccationem diſpergitur, ſub qua mutatione ſponte conuoluitur, tubique exiliores craſſioribus infiguntur. Siccati cortices in faſces colligantur, quorum quilibet circiter libras triginta pendit, et ſic in promtuaria ſocietatis deponuntur. Quando vero naues pro itinere in Europam ſoluendae ſunt, nouo ſcrutinio faſces ſubiiciuntur,

praesentibus praefecto dicto et medico vel chirurgo, a quibus si probati, cuilibet fasci longitudo duarum vlnarum datur et pondus 85 librarum. Funibus tum ille arcte reuincitur et in duplicem saccum, quorum alter alterum circumdat, neuter tamen cannabinus vel linteus esse debet, sed ex eo genere, quod in India Gunjesakken dicitur, inditur. In naui sacci conteguntur pipere, ita vt omnia interstitia repleantur; nempe animaduersum, piper absorbere humidum Cinnamomi, et corticem hunc praestantiorem reddere. Belgas in Zeylona siccare Cinnamomum in arena ad viscositatem nimiam isti demendam, vt sustinent cl. WHITE et COMBES (in *Phil. Transf. l. c. p.* 870. 874.), a testibus fide dignis confirmatum non video.

Iuniori iusto aetati arborum, vel incuriae in consarcinando cortice et per iter conseruando, sine dubio tribuendum, quod Cinnamomum, quod primum satione per manus facta emerserat, licet in loco natali efficax sentiretur, post aduentum tamen in Belgium, non quidem odore sed sapore fere plane orbum existeret (THUNB. *l. c. p.* 64.).

Pretium

Pretium et efficaciam corticum ſingulorum extra Zeylonam reperiundorum definire mihi non datur, nec Belgae, qui eosdem vilipendunt, commodi iſtius iudices cenſendi ſunt, quum Zeylonenſem praeferri ab iſtis facile exſpectetur. Cinnamomum in Mindanao obuium, initio licet acre, ſenſim amittit efficaciam ſuam, ita vt poſt duos vel tres annos inſipidum ſit (GENTIL *l. c. p.* 79.).

Optimum Cinnamomum flexile et tenue eſt, ſaepe charta regali, quam vocant, vix craſſius, colorem habet rubicundo flauum, ſubinde in brunum inclinantem, ſaporem ſubdulcem, nec acriorem, quam vt ſine ardore ferri poſſit absque alieno quodam ſapore ſubſequente. Contra ea vilioris pretii eſt cortex durus et craſſus, colore brunus et ſaturatus, valde linguam pungens et vrens cum ſapore in caryophyllaceum inclinante et ſubſequente alio quodam, vt auſtero, amaro vel viſcoſo (THUNB. *l. c. p.* 57.). Dulcedo dicta et gratia initio latet in cuticula, quae corticem inter et lignum reperitur, et veſiculis oleo farctis inſtruitur; quoniam haec autem cortici adhaeret, ſub ſiccatione in ipſum corticem quaquauerſum diffunditur, dum hic ipſe recens primum vix ab

aliis corticibus ſapore differat (ANONYM. in *A. N. C. cit. p.* 8.). — Ceterum cortex leuis eſt, aliquantum tenax et fibroſae texturae. Odorem gratiſſime aromaticum ſpargit, et cum ſapore ſuauiſſimo, quem deſcripſi, moderate pungentem dulcemque et leuem adſtrictionis ſenſum coniungit. Seruat quoque cortex formam ſuam etiam poſtquam deſtillatione oleo ſuo exutus fuerit, ſed ſapore odoreque ſuo priuatus, quem vtrumque tamen recuperat, ſi inter faſces optimi Cinnamomi reconditur, ſpolians eadem proportione vicinum corticem ſua vi (BOERH. *Chem. P.* 2. *p.* 104.).

Piget poſt irrita aliorum tentamina iterum diſquirere, an Cinnamomum veterum Graecorum et Latinorum cum noſtro idem ſit. Ad quorundam ſententiam rami iuniores arboris cum cortice a Graecis Κινναμωμον et ſubinde Ξυλοκασια vel Caſſia lignea dicti fuerunt, cortex vero detractus et ſiccatione tubuloſus Κασια συριγξ vel Caſſia fiſtula (Vide de hac controuerſia WATSON in *Philoſ. Tranſactions*, *vol.* 47. *p.* 301. et ante eum RAIIUS in *Hiſt. pl. tom.* 2. *p.* 1559. Confer quoque VALENTINI *Diſſ. de Cinnamomo et Malabathro* in *Hiſt. ſimpl. p.* 597.).

Specifica

Specifica corticis et peculiaris virtus ab oleo eſſentiali, quod ineſt, vel potius volatilibus eiusdem particulis ſ. ſpiritu, ſi placet, dependet, quae vndique in conclaui ſentiuntur, ſi aperto vaſe ſeruatur; hiſce enim difflatis oleum remanet iners, eiusdem fere ponderis, vt antea (BOERH. *Chem.* 1: *p.* 76.). Abſtrahi etiam poteſt hic ſpiritus alcohole, ſi, oleo Cinnamomi ſoluto in hoc, deſtillatio eius fit, qua vna cum alcohole ſpiritus aſcendit, et oleum ſpiritu priuatum in fundo remanet. Id quod quidem de oleis eſſentialibus in vniuerſum valet (BOERH. *Chem.* 2. *p.* 114.). Olei tantillum modo ineſt, vix ad $\frac{1}{128}$, nec in quolibet cortice idem pondus. Eſt qui ex libra vna vix ſcrupulos duos et dimidium eruit, (NEUM. *Chymie vol.* 2. *P.* 2. *p.* 30.), alius (LEMERY *Chym. p.* 588.) vix drachmam vnam; alius, poſtquam oleum modo aliquot dies poſt ab aqua ſeparatum fuerit, drachmam circiter vnam ſcrupulos duos et aliquot grana, vel, ſi Cinnamomum optimae notae fuerit, drachmas duas, obtinuit (CARTHEUS. *Mat. med. tom.* 1. *p.* 127.). Tinctura ſpirituoſa fuſco nigricans eſt, odoris cinnamomei, ſaporis aromatici dulcis et ſubadſtringentis; inſpiſſata extractum exhibet circiter ponderis $\frac{3}{16}$ (CARTHEUS.) vel

vel $\frac{1}{8}$ (NEUMANN.). Infuſum aquoſum e fuſco rubeſcit, ſubdulce eſt cum reliquis modo dictis notis; inſpiſſatione, ſub qua multum odoris diſpergit, extractum erogat modice adſtringens, ponderis circiter $\frac{1}{10}$ (NEUM.) vel $\frac{1}{8}$ (CARTHEUS.). Terreſtres partes inſunt circiter $\frac{3}{4}$ inſipidae.

Ob gratiam ſaporis, cortex vt condimentum bene multorum ciborum, potulentorum et bellariorum, a ditioribus eligitur. Medici ſaepe illum admiſcent medicamentis, dum ſapor eorum corrigendus, vel nauſeae obuiam eundum eſt. Sic e. c. pulueribus corticis Peruviani vel Ialappae vel Scillae rel. granum eius dimidium vel integrum addere ſolemus. Aſt multa plura in corpore noſtro efficit, nempe neruos egregie ſtimulat, hinc vires erigit, ventriculum refocillat et roborat, flatus diſſipat, ſudorem pellit, vomitus compeſcit, et aluum blande conſtipat. In vterum peculiarem vim inſuper habet, vt ex infra dicendis conſtabit. Incitare ſanguinis circuitum et calefacere, cum reliquis aromatibus commune habet.

Vix vnquam Cinnamomum hoſce ob ſcopos in puluere praecipitur ſolum, etſi ad ſcrupulum vnum, drachmam dimidiam ſupraque pro doſi auctores

auctores varii concedunt, quum copia terrae, quae ineſt, ſub varia conditione officiat, et commodius per praeparata varia, quae potiſſimas vires continent, effectus deſideratos praeſtet. Hoſce antequam recenſeam, reliquarum partium huius arboris, quae medicum vſum habent, commemorationem praemittam.

FLORES CASSIAE. Ita dicuntur flores Lauri ſpeciei cuiusdam nondum perfecti vel explicati. Sunt quibus et pulpa Caſſiae fiſtulae flos Caſſiae dicitur. Sicca forma, qua iſti ſeruantur, clauulum duarum vel trium linearum obſcure ſexdentatum referunt, ſuo capitulo et cauda, in quam ſenſim attenuantur, inſtructum, cui ſaepe ſubeſt pedicellus. Intra capitulum, quod calyx, vel ſi malis, corolla conſtituit, conſpicitur corpuſculum ſubrotundum vmbilicatum ex piſtilli rudimento. Odore ſaporeque Cinnamomum aemulantur, attamen adſtringens iſte ſenſus, quem iſtud imprimit, in floribus non adeo manifeſtus eſt. Serioribus modo annis in officinas varias Germaniae recepti ſunt. Ad CARTHEUSERI (*Diſſ. de calycibus aromaticis florum Caſſiae Zeylan.* recuſ. in *Diſſ. de Mat. med. ſubiect. p.* 109.) mentem, Cinnamomi arbori deben-

debentur. Aſt miror, ſi ita ſit, quod non ex inſtituto florum meminerint, quibus reliquarum partium arboris huius virtutes in Zeylona ipſa perſequi contingit: paucis modo monet GRIMMIUS (in *Laborat. ceyl.* Vid. BARTHOL. *Act. Havn. vol. 5. p.* 224.), ex floribus aquam, oleum, ſpiritum et conſeruam penetrantiſſimam et ſummi vſus in arte medica parari. Deſtillatione cum aqua praebent aquam lacteam odoris fragrantis cinnamomei et ſaporis dulcis cum admixta aliqua acrimonia, ſubſequente aqua pellucida odorata quidem, ſed ingratiori et penitus fere inſipida (CARTHEUS. *l. c. p.* 119.). Satis ſapidam tamen vocat ſecundo loco prodeuntem et pellucidam aquam TROMSDORF (in *Act. Mogunt.* 1776. *p.* 28.). Aqua deſtillata ſaporis ex caryophyllaceo et cinnamomeo mixti viſa alii eſt (DEHNE in CRELLS *Journ. vol.* 3. *p.* 8. *ſqq.*). Oleum eſſentiale, quod ſimul tranſit, oleum Cinnamomi omnibus notis aemulatur, et tam exigua quantitate latet, vt vix drachmam dimidiam ex libra florum vna eruas, licet inſuper veſtigia quaedam eius praeſentiae tam in aqua quam vaſis adfuerint (CARTHEUS.). Aqua cum oleo per plures menſes ſepoſita generat cryſtallos priſmaticas, ſexangulares apice acuto, in fundo vitri

vitri et ad latera, quas ipſas ſal eſſentiale volatile oleoſum ſiccum eſſe conſtitit (TROMSDORF *l. c. p.* 28.); ſaccharo analogas CARTHEUSERUS (*Diſſ. phyſ. chym. ac med. var. argumenti p.* 336.) declarat. Infuſum aquoſum ſubflauo colore tingitur, ſaporis blandi et adſtrictione carentis, ſed odoris cinnamomei, qui et inſpiſſatione diffunditur, qua ipſa ex vncia vna florum extracti circiter drachma vna cum tribus granis elicitur. Spiritus vini digeſtione obſcure ruber vel rubro nigricans redditur, ſaporis ſubacris et adſtringentis cum odore ſolito; et euaporatione extractum relinquit valde tenax odorum, ſaporis aliquantum acris, coloris obſcuri. Infuſum cum vino factum, item extractum inde paratum acoris varias notas prodit (CARTHEUS. *l. c. p.* 123 ad 130.).

Ad condiendos cibos in Germania ſubinde vſurpantur. Cum Cinnamomo quidem horum vires comparari poſſunt, attamen in eo differunt, quod blandius aroma conſtituant, nec adſtringendi potentia moleſti ſint. Quid ad vſum oeconomicum liberiorem inde colligi poſſit, et medicum, ex hiſce apparet, nec obſcurum eſt, praeparata ſignificata attentione medicorum digna eſſe.

Hacte-

Hactenus tamen flores hoſce pauciſſimi medici adhibuere. — De oleo infra vberius.

Notandae inſuper aliae quaedam arboris partes ſunt, quae, prout praeparata ex iis elicita, rariſſime in Europam transferuntur.

Ex *fructu*, qui Oliuam forma et magnitudine refert, oleum expreſſione item coctione elicitur. *Cera Cinnamomi* vulgo dicitur, quoniam rex in Candia candelas cereosque ſuos inde parari curat, quos ſibi et aulae ſuae ob odoris ſuauitatem modo reſeruat. Ore quoque ab Indis capitur in variis affectionibus, quibus non ſatis aptum eſt, vt contuſionibus et percuſſionibus, item in dyſenteriis (*Act. nat. cur. vol.* 1. *App. p.* 11.). Extus cuti inunctum nitidam mollemque eam reddit (*Ibid.*). Illitum quoque in doloribus punctoriis pectoris aliarumque partium conducit (FALK *l. c. p.* 286.). Quoniam vero hoc oleum emtores paucos modo habuit, per plures annos ab eius praeparatione abſtinuerunt (*l. c.*).

Radix odorem ligni Saſſafras ſpirat. Exſtat varietas arboris, dicta Capuru-carundu h. e. Cinnamomum camphoraceum, ex cuius radice Camphora deſtilla-

deſtillatur (THUNB. *l. c. p.* 58.). In Actis naturae Curioſorum (*Vol.* I. *App. p.* 12.) res proponitur, ac ſi ex qualibet Cinnamomi radice id fieret; nam mentio iniicitur Olei Caphurae, quod deſtillatum ſimul erogat tenues lucidasque cryſtallos, parietibus vaſis adhaerentes; quae ſpecies Camphorae ſunt, *Caphura baros* apud Indos dictae. Oleum ipſum analepticum depraedicatur, carminatiuum rel. et in arthritide podagraque laudabile ad guttas decem vel duodecim ſaccharo albo exceptum aut commodo liquido inſtillatum. Hoc idem in affectionibus arthriticis ſub externa inunctione quoque profuiſſe repertum, cuius rei notabile exemplum legitur (*l. c.*).

Folia inſtructa ſunt odore forti caryophyllaceo (THUNB. *l. c. p.* 66.). Viribus conueniunt cum aliis aromaticis, quarum aliquas ſpecialius GRIMMIUS (*l. c.*) recenſet.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA CINNAMOMI SINE VINO *Ph. W. p.* 13. Deſtillatio ibidem fit cum aqua Ceraſorum, ſed ſufficit aqua fontana, cuius exemplum praebet AQVA CINN. SIMPLEX *Ph. Lond. p.* 52. vel AQVA

CINNAM. S. V. *Ph. Ed. p.*28. Tanto magis ſuperflua eſt aqua Bugloſſi vel aliae deſtillatae additae in *Ph. W. l. c.* Colorem lacteſcentem habet ab oleo, quod ſuſpenſum haeret, vnde et hic color indicium fert efficaciae. Ne dimittatur temporis mora, vt fieri ſolet, ſtatione in loco frigido vel et tantillo ſacchari addito praecaueri poteſt. Eſt aromaticarum aquarum omnium ſuauiſſima. Excellit vi analeptica et carminatiua ad cochlear vnum vel duo capta. Admiſcetur quoque commode aliis ad nauſeam auertendam, item ſaporem corrigendum.

AQVA CINNAMOMI VINOSA *Ph. Wurt. l. c.* Deſtillatio fit cum vino generoſo albo. Calidior praecedente.

AQVA CINNAMOMI SPIRITVOSA *Ph. Wurt. l. c.* Menſtruum tam vinum quam ſpiritus vini rectificatus eſt. Aqua eiusdem nominis *Ph. Lond. p.* 56. paratur ex ſpiritu vini tenui et aqua, quo additamento empyreuma auertitur.

Omitto curatiorem recenſum aliarum aquarum magis compoſitarum *Ph. W.*, quas Cinnamomum intrat, vtpote ſuperfluarum, nec hodie amplius

amplius vſitatarum, quorſum pertinent AQVA CINN. CORDIALIS, CYDONIATA, CONFORTATIVA, CORDIALIS FRIGIDA, CORDIALIS TEMPERATA.

OLEVM ESSENTIALE CINNAMOMI. Ex Zeylona ad nos transfertur fere omne. Sunt tamen et in Belgio chemici, qui eo deſtillando occupantur, vtpote quum ob immediatam corticis translationem ibi plus lucri quam alibi exſpectari poſſit. In Zeylona ex fragmentis et feſtucis deſtillatur, quae ſub conſarcinatione Cinnamomi decerpuntur et decidunt. Hae eiusdem particulae immittuntur cupis grandibus, quarum ſingulae plerumque libras centum corticis complectuntur, et ſuperfunditur tantum aquae, ac opus eſt, vt probe contegantur. Maceratio per ſex vel octo dies continuatur, quibus exactis deſtillatio fit ex veſica cuprea lento igne, ſub qua aqua Cinnamomi fere lactea tranſit vna cum oleo ſupernatante, in excipulum vitreum praefixum. Dum oleum ab aqua ſeparandum eſt, praeſto ſunt Commiſſarii, qui et ampullam, in quam transfunditur oleum, obſignant et ciſta ſeruant, pariter obſignanda, ne quid de oleo auferatur. In ipſa Zeylona olei Cinnamomi vncia vna pretio $9\frac{3}{4}$ imperalium Belgicorum venit, et in Europa ven-

ditur circiter florenis triginta vel quadraginta Belgicis vel ſupra (V. de hiſce THUNB. *l. c. p.* 65.). Ob carum hocce pretium, quod exigua quantitas olei eruendi, de qua ſupra egi, iniungit, adulterationi veri varia arte per ſpiritum vini, vel alia olea addita, intenti fuerunt. Ex viliori huius generis cortice, ſcilicet Caſſia lignea, oleum quoque aliquando deſtillatur; alii ſubſtituunt in hunc finem cortici Cinnamomi flores Caſſiae, qui ipſi erogant oleum ſimile genuino ex cortice, ſed maiori quantitate, vnde vix fraudulentum artificium dici poteſt (FERBER *n. Beyträge zur Mineralgeſchichte, vol.* 1. *p.* 364.). Oleum Cinn. genuinum coloris aurei eſt, fundum aquae petit, odoris cinnamomei, ſaporis autem acerrimi et fere ignei, attamen dulcedinis quodam ſenſu mixti. Longiori per annos plurimos in loco quieto et vaſis arctiſſime clauſis, vt ſpiritus ſupra dictus non diffletur, mora, magna eius pars in concrementum ſalinum mutatur, quod ab Anglo SLARE (*Phil. Tranſ. abridg. vol.* 3. *p.* 362.) primum obſeruatum, BOERHAAVIUS (*Chem. vol.* 1. *p.* 106.) aliique poſtea confirmarunt. Camphoram eſſe, variis argumentis ſpecioſis inductus GAUBIUS (*Adverſ. p.* 28.) arbitratur. Si quid vero analogia valeat, illud potius pro

pro ſale eſſentiali volatili oleoſo habendum eſt (CARTHEUS. *Diſſ. phyſ. med. p.* 335.). — Ex cortice arboris in Sumatra creſcentis egregium oleum vix illi ex Cinnamomo Zeylonenſi cedens, elici poteſt (WHITE in *Phil. Tranſ. vol.* 50. *P.* 1. *pag.* 871.).

Continet oleum Cinn. omnes corticis virtutes praeter adſtringentem. Valde calidum eſt, et tam acre, vt partem, cui applicetur, mox inflammet, quin in eſcharam gangraenoſam vertat. Eximia reſtaurandi vires facultate inſtruitur, vt ſimile in vniuerſo medicaminum apparatu non cognouerit ſummus BOERHAAVE (*l. c. p.* 106. 112.). Nec minus in pituitoſo profluuio ex vtero foeminarum valet (*l. c.*). Praerogatiuam quoque prae aliis habet in paralyſi linguae tollenda, dum aliquot eius guttae inſtillatae ſaccharo linguae applicantur (LANGE *de remed. Brunſv. domeſt. p.* 142. EIVSD. *Miſc. verit. med. p.* 8.). Per os ſi ingerendum, in elaeoſaccharo commodiſſime capitur vel ſicca forma, prout exemplo pulueris cordialis Cellenſis mox dicendi, vel ſolutione in vino facta. — Oſſibus carioſis admotum vi ſua corroſiua obicem malo ponit.

PVLVIS CORDIALIS CELLENSIS *Ph. W. p.* 149. Ex Saccharo, Cinnabari et oleo Cinnamomi. Praeſtans analepticum, quod cuſpidatim exhibetur. Quidam folia Auri addunt, vnde PVLVIS auratus dictus. Sed haec aliaque additamenta, quae paſſim in pharmaceuticis libris obtinent, ſuperflua.

TINCTVRA CINNAMOMI *Ph. Lond. p.* 69. Ex Cinnamomi vncia vna et dimidia et ſpiritus vini tenuioris libra vna, ſine calore digeſtis. In pauciſſimis officinarum breuiariis exſtat. Paullo dilutior eſt, ſecundum formulam *Ph. Edinb. nouiſſ. p.* 107. Iſta vero *Ph. Roſſ. p.* 130. fit cum ſpiritu vini rectificato. Praeter virtutes de Cinnamomo pluries ſignificatas inclaruit ſua in ſiſtendis haemorrhagiis vterinis praeſtantia; ad quam formulam autem laudatores reſpexerint, vtinam declaraſſent. SWIETENIUS (*Comment. tom.* 4. *p.* 602.) bonum effectum aſſeuerat ſeſe expertum ex tinctvrae huius vncia dimidia in aquae deſtillatae Meliſſae vel ſimilis vnciis ſex diluta, cuius miſcelae cochlear vnum omni bihorio dedit; vnde vires, ex iactura ſanguinis deperditae, reſtauratae absque ſanguinis motu aucto, dum roborans illud auſterum vna cum Cinnamomi fragrantia in hac tinctura

ctura feruetur, nec sola haec vt in aqua et oleo corticis. Accedunt in eius partem alii medentes in schola Vindobonensi enutriti, nominatim cll. PLENCK et MOHRENHEIM. Multis laudibus effertur a PLENCKIO (in MOHRENHEIMS *Wienersche Beytr. zur prakt. Arzneyk. vol.* 1. *p.* 406.) mixtura alia Swieteniana ex aquae Menthae Meliff. āā ʒiij. Tinct. Cinnam. ʒβ. Lapid. haemat. ϑij. Syrup. Meliff. ʒj. M. vel crebrius per quadrantes horae vel per horarum interualla ad cochleare vnum duo vel plura exhibenda; ex cuius frequentissime explorato vsu in haemorrhagiis vteri, siue intra siue extra tempus grauiditatis siue ante siue post partum inciderint, ibidem concluditur, aeque specificam esse tincturae Cinnamomi hanc efficaciam, ac corticis Peruuiani in febribus intermittentibus vel Mercurii in lue venerea. Confert praecipue stimulo suo in haemorrhagiis ex atonia siue quasi paralysi vteri oriundis, nec vlla alia medicina tam celeriter iacturam virium refarcit. Hinc et iis casibus idonea censetur, qui alias quoque causas agnoscunt, aliaque simul praesidia requirunt (PLENCK *l. c.* et MOHRENHEIM *chirurgische Vorfälle vol.* 2. *p.* 222.). Quibusdam valde displicet tincturae huius sapor, aliique prae irritabilitate peculiari ven-

triculi illam euomunt; quod si fit, abstinendum ab eius administratione, ne vomitus exortus haemorrhagiam vteri resuscitet (MOHRENHEIM *loc. cit. p.223.*). Si spasmi subsunt, connubium cum essentia Castorei placuit, e. c. tincturae Cinnam. vnciae quatuor et essentiae Castor. guttae viginti, cuius miscelae cochlear vnum per quadrantes horae repetitis vicibus vel solum vel in vehiculo pro casu necessitatis captum (*l. c. p.217. p.223.*). Saepe profuit simul applicatio aquae frigidae per lintea. Guttatim et ingeri potest ad guttas viginti vel triginta in cochleari aquae frigidae, crebrius vel rarius, prout res fert. Attamen cl. MURSINNA (*Krankheiten d. Schwangern* rel. *vol.* 1. *p.* 145. *sqq.*) timet hanc medicinam in haemorrhagiis vterinis grauidarum vt nimis calidam, quam autem commodam ad dolores parturientium languentes vel deficientes excitandos declarat, et consequenter tum quoque, quando haemorrhagia defectu dolorum alitur, et ad partum accelerandum. Verum vbi enixus est retardandus et nihilominus haemorrhagia sistenda vel vbi orificium vteri per placentam clauditur, noxiam esse hanc tincturam arbitratur.

SYRVPVS CINNAMOMI *Ph. W. p.*207. Ex Cinnamomo cum aqua Cinn. vinosa et Rosarum mace-

macerato, addito demum Saccharo. Eſt ſapidiſſimus. Raro ſolus capitur, ſed additur medicamentis liquidis, inſtar analeptici et ſtomachici, tum et ad augendas eorum vires.

Nimis longum eſſet, omnia iſta compoſita recenſere, quorum partem Cinnamomum efficit. Addo modo nonnulla, quae eius nomen in fronte gerunt, vt BALSAMVM CINNAMOMI; CONFECTIONEM CINN. REGIAM; SPECIES DIACINNAMOMI. Sed et hiſce carere poſſemus.

OLEVM FLORVM CASSIAE vide ſupra p. 430.

β.

Pharm. CASSIAE LIGNEAE ſ. CANELLAE MALABARICAE *Cortex.*
MALABATHRI *Folia?*

Laurus Caſſia; foliis triplineruiis lanceolatis LINN. *Spec. pl. p.* 528. Cinnamomum perpetuo florens folio tenuiori acuto BURM. *Theſ. Zeyl. p.* 63. *tab.* 28. Laurus Caſſia TREW in *Nov. Act. nat. curioſ. Vol.* 2. *App. p.* 385.

LINNEUS illam tanquam ſpeciem a Cinnamomo diuerſam producit. Serius tamen vero magis

conſentaneum viſum pro diuerſa Varietate modo declarare. Coniecturis varii generis potius, quam demonſtratione rem abſoluit COMBES (in *Phil. Tranſact.* 1780. *p.* 873 *ſqq.*). Attamen non leue pondus iis eo addidit, quod rediens ex Bencoolen in Angliam ſpecimina corticis Caſſiae ligneae exhibuerit, quae vix ab aptiſſimis iudicibus a Cinnamomo potuerunt diſtingui (DOSSIE's *Memoirs of agriculture p.* 202. *not.*). Obſervatorum idoneorum fide cl. SOLANDER (DOSSIE *l. c. p.* 201.) pariter non aliud diſcrimen inter vtramque arborem agnoſcit, et praerogatiuam Cinnamomi Zeylonenſis culturae modo adſcribit, quae tamen, vt ex ſuperioribus patet, rectius climati ſtationis ſolique beneficio tribuitur. Addo iudicium THUNBERGII (*Vet. Acad. Handl.* 1780. *p.* 56.) eiusdem tenoris. Patriam igitur huius arboris ſignificare curatius non opus eſt.

CORTEX hic in Zeylona *Dawul-Curundu* audit, h. e. Cinnamomum planum, quoniam cortex ſiccando ſeſe non conuoluit, ſed planus permanet. Angli tamen diſtinguunt inter illum, qui ſeſe contorquet (Quill ſort), et alium planum (MILLER *bot.*

bot. 121.). An hic ipſe ex trunco, quem COMBES in conuolutam formam redigere non potuit (*Phil. Tranſ.* 1780. *p.* 876.), ille ex ramis? Quicquid ſit, refert colore odoreque Cinnamomi, ſed durior eſt, nec diſcerpi in fibras ſe patitur, ſed frangendo in breues feſtucas dilabitur. Debilior quoque ſapore eſt. Copiam mucilaginis continet, quae maſticando in ore cognoſcitur, et, ſi puluis aqua coquitur, poſt refrigerationem decocti gelatinae denſitatem adſciſcit. Haec igitur mucilago praecipuum diſcrimen a Cinnamomo efficit.

Oleum deſtillatione largitur, illo ex Cinnamomo paullo debilius (*Phil. Tranſ. l. c. p.* 872.); ex trunci autem fruſtis largis ligneis maiori quantitate prouenire fertur (*l. c. p.* 876.).

Subſtituitur in mercatura ſubinde genuino Cinnamomo, vel illi fraude interferitur. Carere poſſumus eodem in officinis omnino; certe hodie ex formulis exulat.

MALABATHRI *Folia* vtrum ab hac Varietate, an ſpecie diuerſa petantur, non certo dixerim. Sunt qui Caſſiae ligneae, alii (quod tamen non poteſt valere de praeſtantiſſima arbore Zeylonenſi), qui

qui ipſius Cinnamomi arbori eadem adſcribunt (MILLER *bot.* 202.). In HOUTTVYNI opere (*Natuurlyke Hiſtorie vol.* 2. *P.* 1. *p.* 335.) ſub Caſſia lignea collocantur. BERGIUS (*Mat. med. veg. p.* 318.) refert ad peculiarem ſpeciem, Laurum Malabatrum BURM. *Fl. Ind. p.* 92. cui Katou-Karua *Hort. Malab. tom.* 5. *p.* 105. *tab.* 53. ſynonymon adiungitur, cuius autem folia officinalibus iſtis longe grandiora, ſcilicet longitudine duarum ſpithamarum et latitudine duarum palmarum. Res non poteſt nisi a peregrinatoribus patriam harum arborum adeuntibus extra dubium poni. Anguſtiora plerumque ſunt folia iſtis, quae Cinnamomo vulgo tribuuntur: attamen nec in proportione conſtantiam eſſe comperitur, folia ex diuerſis officinis petita ſi comparentur. Etenim aliquando adeo ouata ſ. ſubrotunda ſunt, alia ouato-oblonga, alia lanceolata. Sic et longitudinis diuerſitas inſignis a tribus digitis ad ſeptem vsque obtinet (TREW *Nov. act. nat. cur. tom.* 2. *p.* 379. *ſqq.*). Quae coram habeo ouato oblonga ſunt, luteo viridia, ad vtrumque extremum acuta, trineruia, neruis apice confluentibus, ſurſum nitentia infra glauca, petiolo duarum vel trium linearum inſtructa. Sapor in folio debilis, vix aromaticus, in petiolo manifeſtior,

ſtior, ſed non cinnamomeus, verum ad eum Lauri nobilis accedens. Odor fere nullus, niſi tritura ſubueniat. Maſticatione ſaliuam, vt Caſſia lignea, mucilaginoſam reddit.

Nomen folii *Malabathri*, quod et olim *Folium Indum* vel vnice *Folium* dixerunt, peruenit ad nos quidem ab antiquis, ſed an id quod hodie venale eſt, intellexerint, alia quaeſtio eſt, cui immorari qui cupiat TREWII (*l. c. p. 377 ſq.*), huic rei intentum ſtudium proſpexit. Nobis ſufficiat ſcire, quod nonniſi compoſitis quibusdam a veterum tempore ad noſtra translatis, vt Theriacae, Mithridatio, hodie admiſceantur. Et vel ex hiſce absque damno debilia haecce folia excludi poſſunt.

478.

Pharm. CAMPHORA.

Laurus Camphora; foliis triplineruiis lanceolato-ouatis LINN. *Spec. pl. p.* 528. THUNB. *Fl. Iapon. p.* 178., vbi folia trineruia vocantur. TREW in *Nov. act. nat. cur. tom.* 2. *App. p.* 358. Laurus camphorifera *Iapon.* vulgo Kus noki KÄMPF. *Amoen. exot. p.* 770. c. icone. Arbor camphorifera Japonica foliis laurinis fructu paruo globoſo

boſo calyce breuiſſimo COMMEL. *Hort. Amſtel.* *tom.* 1. *p.* 185. *tab.* 95. adpoſito ramulo florifero. Arbor camphorifera Japonica BREYN. *exot. plant. cent. p.* 11. cum figura ramuli frondoſi; item EIVSD. *Prodr. p.* 7. et *icon. rarior. plant. p.* 16. cum tabula, quae et florem fructumque repraeſentat. Iconem quoque praeſtitit REGNAULT *Botanique*, Le Camphrier, ſed absque flore. Arbor vulgaris in Japonia occidentali et adiacentibus inſulis Saikokf, Nipon, aliisque, praecipue in prouincia Satſuma. Reperitur quoque in India orientali (MILLER), nominatim Jaua (BURM. *Fl. Ind. p.* 92.), item Capite bonae ſpei (MILL. *Gard. Dict.* BURM. *Fl. Cap. prodr. p.* 12.), vbi mediae ſtaturae arborem refert. Floret ſubinde in hypocauſtis hortorum Europaeorum. In Japoniae ſyluis copioſiſſime ſine cultu creſcit, ibidemque tantam proceritatem et craſſitiem aſſequitur, vt aliquando vix duo viri brachiis eandem amplecti poſſint.

Haec ſtirps praecipua eſt, ex qua concrementum iſtud, Camphora, elicitur, et vnica, quae Europaeis illud ſuppeditat. Aſt omnino plures ſunt, quae ſimilem materiem continent. Praeter dictam

dictam in primis hoc nomine celebris est arbor, in insulis Borneo et Sumatra indigena, quae *natiuam* Camphoram suggerit; nimirum

LAVRVS foliis oualibus acuminatis lineatis, floribus magnis tulipaceis HOUTTUYN in *Verhandelingen door de Maatschappye d. Weetensch. te Harlem, vol.* 21. *p.*266. *sqq. tab.* 8. Arbor Camphorae GRIMM in *Eph. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 1. *p.* 371. *fig.* 33. Arbor camphorifera Barosiensis ARENT SYLVIUS in VALENTYNI *Hist. simpl. p.*488. cum figura foliorum concinna. Camphire-tree CAR. MILLER in *Phil. Transf. vol.* 68. *P.* 1. *p.* 169. MARSDEN *Hist. of Sumatra p.* 121. Distinctam stirpem hanc esse a Lauro Camphora L. in aprico est; an vero ad genus Lauri pertineat, posset subdubitari, quum stamina aliaeque internae floris partes in sicco exemplari, quod meritissimus RADEMACHER, senator olim Indiae Belg., cl^mo HOUTTUYN tradidit, et ex quo hic genus definiuit, non obuia fuerint, etsi fructus omnino conuenit.

Arbor haec altitudine et crassitie Quercum fere aequat. Aliquando ad centum vsque pedes surgit (MILLER *l. c.*) et saepe sursum pedes quindecim peripheria constituit (MARSDEN *l. c.*). Asseres

ex

ex trunco duos pedes cum dimidio lati formari poſſunt (DEJEAN in GAUB. *Adverſ. p.* 108.). Hinc lignum eius fabris lignariis acceptum, quibus tanto magis commendabile, quum facile elaborari poſſit, leue ſit, durabile tamen, nec ab infectis facile conſumatur (MARSDEN). Et ciſtas inde conficiunt, quibus veſtes a formicis aliisque infectis muniuntur (DEJEAN). Folia contrita ſpirant Camphoram, qui tamen odor facile mora diſpergitur. Fructus conditi grati ſunt et ſubtilem Camphorae ſaporem habent (GRIMM *l. c.*). Creſcit arbor in partibus ſeptentrionalibus Sumatrae in ſyluis maris littori vicinis (MARSDEN), praecipue in montibus duplicem ſeriem conſtituentibus ad orientem oppidi Baros, vnde Camphora, quam profert, *Camphora Baros* dicitur (DEJEAN), potius ex Baros nuncupanda. Attamen et in Borneo eiusdem generis Camphora reperitur, praeſtantior Sumatrana, quin (contra cl^mum^ DEJEAN) maiori copia venditur. Nam quotannis Borneenſis circiter Piccola 35 (Piccol eſt pondus nominis Malaici) venduntur, quorum quodlibet libras 125 aequans valet imperiales 3200; Sumatranae autem modo Piccola 20, ſingulis ad imperiales 2200 aeſtimatis (RADEMACHER in *Verhand. van het Bataviſch*

Batavisch Genootschap. d. Wetensch. vol. 2. *p.* 127.). Colligi natiua nonnisi ex vetustis arboribus posse fertur. Quo noscatur, an intus lateat, corticem exsiccant et olfaciunt ac truncum pulsitant; si igitur colore, sono et odore, appareat praesto esse, excindunt arborem ad radicem, corticem auellunt lignumque findunt (TEN RHYNE *litt. ad* JAC. BREYNIUM in *Prodr. p.* 8.). Solent quoque in arboribus annosioribus rami sponte fissuras contrahere, ex quibus liquor oleosus stillat, oleum Camphorae dici solitum, quod ipsum appensis vasculis excipitur. Hocce stillicidio praegresso augurantur indigenae Camphoram matureścere (DEJEAN *l. c. p.* 109.), demumque, signis certis si euicta fuerit Camphorae praesentia, sub variis superstitiosis ritibus ad opus ipsum transeunt. Coaceruatur ista in interstitiis fibrarum ligni, praesertim vbi nodus quidam vel hiatus est, et in exiguas laminas grumescit (TEN RHYNE). In medulla arboris residere GRIMMIUS (*l. c. p.* 372.) indicat. Rami plurima Camphora turgent. Glebulae maiores (Malaice Copalla) seorsim primo colliguntur, dein minores (Malaice Poervet) pariter seorsim, tandem radula ferrea ipsum lignum defricant, vt quicquid Camphorae tenacius inhaeret (Malaice Cacki) vna

deradatur (DEJEAN). Sic emergunt tres ſpecies Camphorae quae diſtinguuntur eiusmodi nominibus, quae lingua Malaica idem denotant, ac caput, ventrem, pedes. Prima ſpecies ſinceris et praeſtantiſſimis glebulis conſtat, tertia ſpecies impura eſt, feſtucis ligneis aliisque ſordibus inquinata. Hucusque dicta etſi praecipue teſtimonio duorum inclytorum peregrinatorum rem ex propria indagine narrantium nituntur: alius tamen pariter in Sumatra per tempus commoratus, cl. MARSDEN (*l. c. p.* 121.), differt in quibusdam momentis. Negat nimirum Camphoram hanc modo in arboribus aetate prouectis contineri et in iunioribus fluida forma, ſiue olei Camphorae nomine, quin ſtatuit eandem arborem, quae fluidam Camphoram producit, nunquam ſiccam pellucidam proferre, multasque arbores neutrum genus erogare.

Habet haecce Camphora natiua id peculiare, quod longe lentius ad aëris attactum diſpereat, quam altera vulgaris ſ. Iaponica, ita vt ſi tam Sumatranae Camphorae, quam Iaponicae, centum librae aperto aëri exponuntur, haec intra ſexennium et ante diſſipetur, dum iſta per hoc ſpatium vix iacturam decem librarum faciat (TEN RHYNE).

Cariori

Cariori longe pretio iſta venit, quam Iaponica, cuius piccolum modo imperiales 50 conſtat (RADEMACHER *l. c.*), quum, vt ex ſuperioribus patet, natiua ſupra quadrageſies vel ſexageſies plus conſtet. Quod adeo cara ſit, inde praecipue dependet, quod et in arboribus proceris nonniſi libra vna, ſeſquilibra, librae duae, vel ad ſummum librae tres, contineantur (GRIMM. *A. N. C. loc. cit. p.* 375.), et pauperiores vix vnciam vnam vel alteram comprehendant (HERM. *Mat. med. tom.* I. *p.* 618.). Sine dubio multum eius adhuc in ligno latet, quod eodem artificio, quod in Iaponia adhibetur, erui cum lucro poſſet; nam transuerſim ſectum odorem camphoraceum ſpirat et pingue ſentitur. Sub venditione in pondere piccoli ſingulae ſpecies, proportione quadam definita, iunctim veneunt, et adduntur huic ponderi librae quinque ob ſordes, quae ablui ſucco Citri et aqua calida debent; quo enim pellucidior et nitidior eſt, tanto maiorem valorem habet (ESCHELSKROON *Beſchreib. d. Inſel Sumatra p.* 60.). Cauendum maxime, ne a lucroſis hominibus additione Aluminis vel aliarum rerum corrumpatur. Sumatrana Belgicae ſocietati commerciorum in oppido Baros degenti venditur, indeque Batauiam venit, ex qua vrbe vel

immediate a Belgis vel per Chinenſes in Iaponiam transfertur.

In quem finem Iapones tanto pretio hanc natiuam Camphoram redimant, nondum ſatis exploratum eſt. Sunt qui iſtos ea tanquam additamento vulgaris Camphorae vti ſuſtinent, quo haec tanto praeſtantior fiat, cui ſcopo natiuae exiguam modo quantitatem ſufficere (ESCHELSKROON *l. c. p.* 61.). Id quod tamen ſtudioſius in rem loco idoneo inquirenti negatum fuit (MARSDEN *p.* 122.). A natione, mercaturae deditiſſima, hanc Camphoram propriae praeferri vnice ideo, quod exotica ſit, ſub tanto pretio vix exſpectari poteſt. Plus veriſimilitudinis habet, Iapones non ſatis eſſe verſatos in arte depurandi Camphoram patriam, ideoque coëmere exoticam. Plures autem conſentiunt, Iapones tantum tribuere efficaciae medicae huius Camphorae, vt vix vllam medicinam adhibeant, cui iſta non addita eſſet, putantes, animam quaſi inſpirare reliquis (GRIMM *l. c. p.* 372. TEN RHYNE apud BREYN. *l. c. p.* 11.). Vel ſolo odore cardiacas vires exſerere, Sinenſes et Siamenſes ſibi perſuadent, imo ſolam per os ingeſtam, ſtomacho proficuam eſſe, viſcerum obſtructio-

ſtructiones tollere rel. (TEN RHYNE); in febribus bilioſis et putridis autem vulgare remedium ibidem eſt. Fertur quoque Iapones vernici illam admiſcere. Vtrum autem praerogatiuam veram in morbis habeat prae vulgari, Europaeorum certe medicorum experimentis conſtitui nequit, quum vix inſtar cimelii tantillum modo eius in muſea rerum naturalium transferatur. Quod longe ſerius in aura libera auolet, et, ſi optimae notae eſt, clarior ſit, quam altera, iam ſignificat, vires non omnino easdem vtramque poſſidere.

Eadem arbor fundit *Oleum Camphorae*, de quo ſupra quaedam iam monui. Eſt potius reſina liquida, quam oleum. Non ſolum ſponte, vt dixi, promanat, ſed lucri maioris ſine dubio cauſa inciſione quoque illud proliciunt. Fit haec transverſali directione ad profunditatem aliquot pollicum, indeque deorſum decliui modo exſcinditur, donec plana ſuperficies effingatur, quam dein excauant; cauo vncias 32 (a quart) complectenti, immittitur arundo accenſa per minuta prima circiter decem, vnde liquidum ad hanc partem attrahitur. Noctis ſpatio illud replet receptaculum illi deſtinatum, et noctibus ſubſequentibus tribus,

praeuia ignis applicatione noua quantitas promanat, etſi parcior, donec poſt paucas repetitiones omne exhauriatur (MARSDEN *l. c. p.* 123. Conf. GRIMM *l. c. p.* 373. TEN RHYNE *l. c. p.* 13.). Plagam fieri parum ſupra radicem GRIMMIUS ſpeciatim notat. Extra patriam non vſu venit, ſed excellit vi reſoluente et diſſipante. Sumatrani in ſpaſmis, tumoribus, quin inflammationibus extus illud illinunt, facileque ob inſignem ſubtilitatem poros ingreditur.

Et ex hiſce quidem duabus arboribus Camphora vnice cum lucro colligitur. Aſt inter congeneres *Laurus Cinnamomum* vel ob Camphoram, quam eius radix craſſa et ramoſa continet, et quae eius ſapore inſtruitur, memorabilis. Ea ſcatet non ſolum arbor Zeylanica et quidem Varietas Capuru Curundu h. e. Cinnamomum camphoratum, quae vnice intra ditionem regis inſulae reperitur (THUNBERG *N. Vet. Acad. Handl.* 1780. *p.* 58. Cfr. KÄMPF. *l. c. p.* 772.), ſed et Martinicenſis (JACQ. *Stirp. Americ. hiſt. p.* 118.) et Malabarica (*Hort. Malab. tom.* 1. *p.* 108.), in cuius radicis cortice haerere nominatim fertur. Deſtillatione aqua facta, vna cum oleo tranſit, a quo poſt refrige-

rium

rium ſeſe ſeparat et in cryſtallos ſeſe coadunat. Candidiſſima eſt et odore Camphora vulgari gratior (*l. c.*). Sed non conſtat ſerium vſum in locis natalibus inde fieri, certe ad remotas gentes non transuehitur.

Multae inſuper aliae ſtirpes reputantur camphoriferae, licet mallem, hocce iudicium chemicae indagini, quam ſimilitudini vnice ſaporis vel odoris, ſuperſtructum fuiſſe. Ita ſentio de Roremarino, Saluia, Sclarea, Hyſſopo et plerisque aliis verticillatis odoris, de Chenopodio ambroſioide, Camphorata, Millefolio, Agerato, Vnxia camphorata (LINN. *Suppl. p.* 368.) rel. De aliis quibusdam autem certiora nouimus, vtpote quum vera Camphora ex hiſce eruta declaretur. Huius cenſus ſunt Schoenanthus Perſicus (KÄMPF. *Amoen. exot. p.* 773.), Radix Zedoariae (GRIMM in *Eph. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *p.* 409.), Herba Thymi vulgaris (NEUM. in *Philoſ. Tranſ. vol.* 33. *p.* 321. Cfr. *Appar. med.* meus *vol.* 2. *p.* 125.), Radix Enulae (MALOUIN *Chimie medic. tom.* 1. *p.* 321.), quam tamen nonniſi oleum eſſentiale inſpiſſatum largiri, nouiſſime ſignificatum (*Almanach für Scheidekünſtler* 1787. *p.* 153.), Herba Menthae piperitae (GAUB.

aduerſ. med. cap. 7. p. 99. Conf. *Appar. med. vol. 2. p. 151.*), Herba Lauendulae (HAGEN *Diſſ. ſiſtens docimaſiam concretionum in nonnullis oleis aethereis, Argent.* 1784. Doleo defeciſſe me hactenus eam legendi opportunitatem.), Cubebae (MEYER *v. Kalch p.* 80. DE MACHY *l'art du deſtillateur p.* 78.), Terebinthina (MEYER *l. c. p.* 81.). Remotiori paullum iure recentiores quidam ex Herba Anemones pratenſis (HEYER Vid. *Appar. med. vol. 3. p.* 94.), feminibus Foeniculi (HEYER in CRELLS *chem. Journ. P. 3. p.* 102.), radice Aſari (GÖRZ in *Schrift. d. Berl. Geſellſch. naturforſch. Freunde, vol. 5. p.* 482.) Camphoram ſeſe elicuiſſe arbitrantur, quum haec concrementa multis momentis a Camphora vulgari differant. Cautiores quoque ſerioribus temporibus euaſimus, ne ſpiſſamentum pingue membranularum aut floccorum formam prae ſe ferens, quod ſubinde deſtillatione aromaticarum plantarum vna cum oleo prodit, item coagula iſta in annoſioribus oleis deſtillatis conſpicua, confunderemus cum vera Camphora; futuro tamen examine conſtabit, anne in quibusdam vna cum ſale volatili oleoſo vera Camphora iuncta exiſtat. Verum largius et enucleatius in hocce momento verſati ſunt ell. CARTHEUSER (*Diſſ. de ſale volat. oleoſ. oleor. aether.*

in

in Diſſ. *phyſ. chem. p.* 327 *ſq.*) GAUBIUS (*Aduerſ. varii argum. p.* 99 *ſqq.*), HAGEN (*Diſſ. cit.*), quam hoece loco fieri poteſt.

Redeo iam ad Camphoram ex Lauri ſpecie, commentationi huic praefixa. *Bacca* eiusdem eſt ſaporis ex Camphora caryophyllacei, et ex hac ſevum pro candelis exprimitur (THUNB.). *Folia* huius contrita Camphoram ſpirant. *Lignum* fabricandis ſcriniis inſeruit. *Radix* autem prae ceteris partibus, prout et odore cognoſcitur, diues eſt Camphora. Quae ex hac arbore petitur merito diſcriminis cauſa Camphora *Iaponica* nuncupatur, quum hactenus nonniſi ex Japonia in alias terras translata fuerit. Quomodo proliciatur, paucis modo verbis cll. viri, qui Iaponiam adierunt, memoriae reliquerunt. Radices vnice in hunc finem vſurpari TEN RHYNE (in BREYN. *prodr. p.* 12.) innuit; praeter hanc autem et ramos iuniores (inquit non diu progerminatos) CLEYER (*Eph. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 10. *p.* 79.), radicem et lignum absque mentione trunci vel ramorum memorat KÄMPFER (*Amoen. p.* 772.); radicem autem et lignum trunci indicat THUNBERG (*Fl. Iapon. p.* 72.). Hae ipſae partes, poſtquam grandiuſculae

diuſculae arbores autumnali tempore praeciſae fuerint et radices euulſae in feſtucas vel affulas diſciſſae cum aqua pura immittuntur aheno ſ. veſicae ferreae (TEN RHYNE, KÄMPFER.), vel cupreae (CLEYER). Non vacuam hanc cl. TEN RHYNE deſcribit, vt reliqui, ſed ſignificat ſupra cauitatis medium craticulam inſeri, fundo aquam infundi, craticulae autem ramenta ad veſicae repletionem vsque iniici. Scopus huius craticulae eſt, vt vaporibus excalefactae aquae ſurgentibus dura fruſtula emollita tanto facilius Camphoram dimittant. Veſica inſtruitur collo longo et anguſto (CLEYER), verſus apicem acuminato (TEN RHYNE), quod ex deſcriptione RHYNEI videtur disiunctam partem conſtituere (nunc doliolum vocat). Collo ſuperponitur capitellum fictile latum amplumque (CLEYER), roſtratum (KÄMPFER), ſtramine repletum. Sic veſica peculiari furno immiſſa coctio inſtituitur, et quidem ex KÄMPFERI reliquorumque praeter RHYNEUM narratione, contactu aquae et ſegmentorum arboris immediato, per 48 horas protracta (CLEYER), ſub qua Camphora ſurſum verſa, niuis inſtar alba, ſtramini capitelli adhaeret. Furnum cum vaſis dictis figura delineauit CLEYERUS, ſed capitelli roſtrum non repraeſentat, nec commemo-

memorat. Folia cónciſa vna cum reliquis ſupra dictis partibus adhiberi et recipiens vas alembico combinari, vt NEUMANNUS (*Chymie vol.* 2. *P.* 1. *p.* 285.) innuit, ex fontibus colligere non datur. Attamen Dresdae ex foliis ſemiſiccis et ramis iunioribus arborum ibi reperiundarùm pharmacopola BEYLICH deſtillatione cum aqua Camphoram elicuit cum oleo Camphorae, adeo vt decem librae foliorum et ramuſculorum erogauerint olei drachmas duas et Camphorae purae vncias duas cum dimidia (*Hamb. Magazin vol.* 18. *p.* 96.).

Itaque Camphora per ſublimationis modum obtinetur. Per vaſorum ſtructuram commodiorem ſine dubio minori eius diſpendio encheireſis fieri poſſet; ſed elicere Camphoram, ruſticorum opus eſt in prouincia Satzuma et inſulis Gotho (KÄMPF.). Et pretium exiguum, quo Iapones illam vendunt (de quo ſupra), inſuper teſtatur, prouentum eius in Iaponia eſſe largiſſimum.

Camphora, ex Iaponia transmiſſa, *cruda* vocatur, (Gallis Camphre brut, Germ. roher Kampher). Conſtat glebis exiguis plerumque griſeis, quibus multae ſordes ex ſtramine, ligno, pilis, lana rel. immixtae ſunt. Et ſic transfertur intra vaſa lignea

ſtramine

ſtramine tecta in Aſiam, Turciam et Europam. Longiori via ſi tranſportanda, reconditur intra vaſa ex metallo Tutanego (OSBECKS *Oſtind. Reſa p.* 161.). Magna eius pars in Perſiam, Bengaliam, Suratam, Chinam indeque in Europam peruenit. Nullus eius vſus fieri poteſt, antequam ſublimatione noua depuretur. Artem iſtam, quam rafinationem vocant, Veneti olim exercuerunt, ſed hodie in Belgarum manus tranſiit, quae, quomodo fiat, iamiam exploratum eſt, et a variis ſcitis viris, qui adſtiterunt encheireſi, deſcriptum, niſi hoc ſcrupulum moueat, quod iſti tum modo ab artificibus admiſſi, dum Camphora vaſis iam indita fuerat. Hinc forſitan etiamnum arcanam artem declarat ill. LASSONE (*Hiſt. de la Societé en Medec. à Paris, vol.* 5. *p.* 263.), nec niſi familiis quibusdam Belgicis reſeruatam. Non peregrino additamento ſemper in hunc finem opus eſt. Succeſſit enim res MODELIO (*Chym. Nebenſtund. p.* 190. Cfr. HAENEL *Diſſ. de Camphora*) ſola ſublimatione in cucurbitis vitreis arenae immiſſis ſub moderato igne; ſed hicce cl. vir videtur potius experimenti cauſa et in priuatum vſum hunc depurationis modum adhibuiſſe. Aſt vere in Belgio in quibusdam officinis chemicis, conſequenter maiori longe quanti-

quantitate ſimplici hacce via Camphoram purgari, teſtantur qui praeſentes fuere et encheireſin ample deſcribunt cll. BOMARE (in *Memoires preſentés à l'ac. R. des ſc. vol.* 9. *p.* 470. *ſqq.* et in cl. DEMACHY *Art du deſtillateur p.* 78. *ſqq.*, qui ipſe adſtitit cl^mo BOMARE encheireſin hanc imitanti) et JARS (*Voyages metallurgiques, tom.* 3. *p.* 322. *ſqq.*), quorum neuter additamenti meminit. Officinae eiusmodi mox pluribus mox paucioribus furnis inſtruuntur, hinc mox plura mox pauciora vaſa ſublimatoria comprehendunt. In hiſce quoque aliquod in minoris ponderis momentis diſcrimen ſub encheireſi obtinet. Sic in alia primum conquaſſatur Camphora cruda in mortario ferreo (DE MACHY); in alia in cupa lignea inſtrumento ſcindente in particulas valde exiguas comminuitur, deinque per cribrum pelleum, cuius foramina diametro piſum aequant, tranſmittitur (JARS); iterum in alia, mola quadam manu verſanda conteritur. Comminuta haecce Camphora immittitur in cucurbitas exiguas altitudinis ſex vel ſeptem pollicum ex vitro albo tenui, quarum venter deorſum conuexo planus eſt, diametri circiter octo vel ſeptem pollicum, collum longitudinem pollicum duorum cum dimidio habet cum orificio poll. $\frac{3}{4}$ (Figura cucurbitae vid. in JARS *l. c.*

l. c. tab. 9.). Quaelibet, poſtquam paullum ſupra libras duas Camphorae iis inditum fuerit, in catinum ferreum arena repletum collocatur. Singulis peculiares furni deſtinati ſunt, ita exſtructi ex lateribus, vt quinquaginta circiter eiusmodi furni iunctim coadunentur (Figura furni cernitur in FERBERS *neue Beytr. z. Mineralg. vol.* 1. *fig.* 15. licet ibi non conſpiciatur arcus cuilibet furno ſubditus, cuius mentionem facit JARS). Cucurbita in catinum repoſita nonniſi ad dimidium ventris arena contegitur, quod ſolet menſura eſſe, ad quam Camphora liquata aſcendit. Pro calefaciendo furno turfa vſurpatur, qua accenſa initio non obturatur orificium, ſed cucullo ſiue tegmine modo, ex ferro ſtanno obducto, conico et ad latera catini deſcendente, absque contactu cucurbitae operitur, donec humiditas euecta, quae diffluxit per latera coni huius, diſparuerit; tum demitur et eius loco goſſypii floccus vel et complicata charta (Vid. *Pharm. Suec. ed.* 3. *p.* 61.) intruditur: quo tempore liqueſcit Camphora, niſi antea id factum fuerit. Ignis inter haec moderamen iuſtum maxime neceſſarium eſt, quod regitur ad normam thermometri, et cui ceſpes bituminoſus, vt quae calorem mitem aequalem ſua natura ſuppeditat, maxime

maxime fauet. Si iusto minor calor est: sublimatio non contingit; si iusto maior: Camphora vltra orificii cancellos eleuatur et ad latera defluit. Ne vero Camphora colli lumen claudat, pluries bacillo ferreo materies auferenda est, et aditus liber aëri restituendus, gossypio inter haec alternatim remoto. Refrigeratis cucurbitis hae franguntur. Camphora pura ad superiorem ventris cucurbitae partem condensata tum formam panis vel placentae refert, sursum conuexae, deorsum concauae, medio perforatae, ex agitatione bacilli ferrei, pondere librarum duarum; separatur ab ista prominentia ex colli figura residua, item, quicquid sordium adhaeserit, deraditur, vt nonnisi massa alba transparens seruetur, quae charta coerulea, vel rubra (DEMACHY), quae posterior mihi non occurrit, ad venditionem inuoluitur. Quod remanet in cucurbita nonnisi crusta tenuis est, quae vt materies inutilis reiicitur. Labor intra diei spatium finitur. Et in hac quidem descriptione ob diluciditatem et accurationem cl^mum JARS potissimum sequutus sum. Sine dubio Camphora tanta simplicitate depurata sponte iam insignem puritatis gradum prae se tulit.

Sed si heterogeneis, quas supra dixi, partibus Camphora inquinatur, sub sublimatione empyreuma-

reumaticum oleum emergit, quod absque additamento calcareo Camphorae colorem luteum impertiturum esset, et vim eiusdem medicam manifeste mutaret. Hinc aliquando calcem vel cretam admiscere Camphorae crudae opus est. Id re vera in Belgio fieri, testium idoneorum fide nouimus. Ars haecce iam inualuit ante centum annos temporibus cl. TEN RHYNE (V. BREYN. *prodr. p.* 12.), qui refert librae vni Camphorae impurae vnciam vnam calcis viuae addi. Cl. CRAMER cretam substitui monet, eadem ceteroquin, quam modo indicaui, proportione (JARS *l. c. p.* 327.). MARCGRAFIUS (*Chym. Schrift. vol.* 1. *p.* 262.) calcem dilapsam idoneam declarat, sed alia proportione, tertiam scilicet vel quartam eius partem requirens. Pharmacopoeae Sueciae auctoribus (*Ed.* 3. *p.* 60.) calcis vstae in puluerem redactae vncia vna pro Camphorae crudae libris duabus placet; quum rursus cl^mo FERBER (*N. Beytr. z. Mineralgeschichte vol.* 1. *p.* 371.) narratum, Amstelodami cretae vncias duas Camphorae librae vni admisceri. Discriminis in proportione ratio videtur in gradu diuerso puritatis Camphorae contineri. Ceterum encheiresis sub hocce additamento fere eadem est, ac ista modo descripta tam quoad vasa, quam ignis

ignis et reliquorum administrationem, vt constat descriptione FERBERI eximia, qui tamen narrat, tegmen istud conicum ex ferro per stannum incrustato initio, donec Camphora liqueſcat, arena obtegi, postea auferenda, et tum tegmen istud commutari cum alio frigido, apice aperto. Ipse nullum thermometrum in officina a se conspecta offendit; vnde liquet, empirice tantummodo caloris iustum gradum determinatum ibi fuisse. Eo quoque edocemur, residuum Camphorae, quod fragmentis cucurbitarum adhaeret, immitti aheno oblongo cupreo, cui aliud eiusdem figurae loco alembici imponitur, et in furno vulgari anemio sublimari (Conf. EIVSD. *fig.* 17.).

Depurari etiam spiritu vini Camphora se patitur, dum nimirum, solutione praegressa, destillatio instituitur, qua spiritus primum transit, dein Camphora, quae in panes liquatione intra clausum vas transformatur (LEWIS *Mat. med. p.* 168.). Sed sumtuosus nimisque prolixus videtur hicce modus, quam vt pro maiori quantitate Camphorae idoneus possit haberi.

Ex dictis concluditur, aeque bene depurationem succedere posse extra Belgium, modo

officinis ſumtus neceſſarii impendantur. Quod Pharmacopoea Suecica modum inter formulas expoſuerit, hariolari ſinit, artem ibidem a quibusdam exerceri. Ita Hafniae quoque largiori copia ſublimatio fit (CRELLS *chem. Entdeck. P. 3. p.* 87.).

Camphora conſtituit maſſam albam, leuem, ſolidam, ad attactum ſubunctuoſam, ex mollitie fragilem, inter dentes ſubtenacem, pellucidam, odoris valde fragrantis, ad Rorem marinum accedentis, valde fragrantis, qui largo ambitu ſeſe ſpargit, ſaporis aromatici, amaricantis, cum ſenſu primum caloris inſignis dein frigoris. In ſuperficie aquae natat. Aëre libero vel négligentius tecta ſenſim ſenſimque diſparet. Minimum eius diſpendium fit aëre frigidiſſimo et ſicco, maius in temperie eius calida et ſicca, maximum in calida et ſubhumida (BERGII *Mat. med. veg. p.* 322.). Vitris ante clauſis plane nihil eius auolat, vt conſtitit experimento facto in vitro hermetice obturato, alioque cera clauſo, in quorum vtroque nihil de pondere per triennium ſeceſſit (ERASM. BARTHOL. in *Act. med. et phil. Hafn. vol.* 1. *p.* 106.). Flammae admota ardet lumine lucido albo et fumo copioſo, qui in fuliginem condenſatur, ſed absque carbone

vel

vel cinere relicto. Ardet quoque fruſtulum paullo maius ſub natatione in aqua. Lente vitrea autem vel ſpeculo cauſtico non accenditur, licet charta et tabula lignea lenti ſubiecta ignem conceperit (A BERGEN in *N. Act. nat. cur. vol.* I. *p.* 197.). Nec in flammam erumpit, carboni candenti impoſita, ſed in fumum reſoluta aufugit. In cochleari metallico cito liquatur in olei ſpeciem, et in halitus fragrantes reſoluitur. Pertinet ad corpora electrica non inferioris ordinis, nam fruſtum maius panno laneo adfrictum corpora leuia attrahit et per condenſatorem cl.mi VOLTA ſcintillas excutit (LICHTENBERG in litt. ad KOSEGARTEN. *Diſſ. de Camph. p.* 43.). Motus tamen Camphorae in particulas exiguas diuiſae, qui in ſuperficie aquae conſpicitur non a vi electrica, vt cl. ROMIEU (*Mem. de l'ac. R. d. ſc. de Paris* 1756. *p.* 449.) exiſtimauit, ſed attractione particularum locum exhalatione perpetuo mutantium dependet (LICHTENB. *l. c. p.* 38. *ſq.*). Mirum, clmum A BERGEN motum gyratorium fortiorem in aqua frigida quam calida vidiſſe, quin fortiſſimum in aqua gr. 20. Fahrenh. infra punctum congelationis frigida (*Nov. Act. nat. cur. tom.* I. *p.* 195.), quum cl. LICHTENBERG (*l. c.*) expreſſe moneat viuidiorem eſſe hunc motum in

aqua calida. Forma cryſtallorum, ſub qua Camphora comparet, dum ſpiritus vini, quo ſoluta fuit, in vitro ſubter microſcopio difflatur, ſtellulas niueas refert radiis vel vno vel quatuor vel ſex (LEDERMÜLLER *mikroſkop. Ergözungen tab.* 39. *p.* 77.). Per modum praecipitationis, ſi Camphorae ſpiritu vini ſolutae inſtillatur aqua, vegetatio elegans formatur (ROMIEU in *Mem. de l'ac. d. ſc. l. c. p.* 443. *cum figg. tab.* 9. 10.).

Aqua Camphoram penitus non ſolui, omnes fere vno ore aſſerunt, ſed contrariari videtur ſapor odorque, quo aqua praecipue calida imbuitur, in qua per tempus Camphora moram traxit, licet vterque ſenſim pereat. Spiritu vini rectificato facillime ſoluitur ſub duplo menſtrui pondere (MORVEAU *Elem. de Chymie tom.* 3. *p.* 365.); FR. HOFFMANNUS aequale pondus aſſignauit (*Obſ. phyſ. chym. p.* 144.). Haec ſolutio ſi calore in ebullitionem aucto loco arcto et bene clauſo redigitur ad exhalationem perfectam fere, face accenſa illata confeſtim aër inflammatur (BOMARE apud MORVEAU). Aqua affuſa ſolutioni ſpirituoſae praecipitatur Camphora absque vlla eiusdem alteratione. Mucilagine Gummi Arabici contrita, addita demum aqua,

aqua, connubium per plures dies fere omnino ſeruat (FRENCH in *Med. Obſ. and Inquir. vol.* 1. *p.* 421.). Soluitur oleis tam expreſſis quam aethereis. Parem vim in eam exercent acidum Vitrioli et Nitri, a quibus tamen absque calore vel motu inteſtino ſoluitur, vnde nulla inflammatio ſubſequitur. In acidi Vitrioli miſcela oleum rufo-fuſcum homogeneum repraeſentat; acido Nitri autem ſi ſoluitur, in ſuperficie eius inſtar olei comparet, inſigni acrimonia inſtructi; ex vtroque menſtruo autem aqua frigida infuſa priſtinam formam et indolem recuperat. Valde imperfecte et inconſtanter modo ſoluitur acido Salis, nam licet inde oleum album coagulatum emergat, Camphorae plurimum tamen ſponte rurſus ſeparatur loco praeprimis calido. Aceto arte WESTENDORFII concentrato ſoluitur, non autem aceto non concentrato; nec acido Sacchari, vel eſſentiali Tartari, vel lignorum (KOSEGARTEN *Diſſ. de Camphora p.* 26.). Soluitur et aëre fixo aqua frigida excepto (BERG. *M. m. p.* 320.). Reſpuit vnionem cum alcali, ſiue fixum ſit, ſiue volatile, nec cum alterutro ſaponem efformat, absque peregrino adiumento, in quem finem alcali cauſticum elegit cl. BINDHEIM (CRELLS *chem. Entdeck.*

P. II. p. 113.). Soluitur in aqua calcis pura (ALEXANDER'S *experimental Eſſays p.* 138.).

Multa igitur, vt ex dictis elucet, Camphora cum oleis eſſentialibus, aethere, et reſina, communia habet; in multis tamen tam ab hiſce, quam aliis corporibus, Gummi, Gummi reſina, Sale volatili oleoſo, ita differt (Conf. comparatio Camphorae cum hiſce in NEUM. *Chem. vol.* 2. *P.* 1. *p.* 292. *ſqq.* et quoad aetherem KOSEGARTEN *Diſſ. de Camphora p.* 23.), vt neceſſe ſit, pro ſingularis plane naturae ſubſtantia agnoſcatur.

De partibus, ex quibus Camphora conflatur, varie diſputarunt, coniectura potius quam tentaminibus chemicis nixi. Non attinet omnes huc ſpectantes hypotheſes hic recenſere (Conf. KOSEGARTEN *Diſſ. l. c. p.* 44.). Nec ſententia NEUMANNI (*l. c. p.* 306.), quod ex copia phlogiſti, pauxillo aquae et ſubtiliſſima terra conſtet, in omnibus ſatisfacit, quum iſta ſaporis nulla ratio detur. Abſtinere a chemico ſcrutinio, fecit procul dubio moleſta experientia, quod reſuſcitari ex menſtruis, quibus ſubacta fuerat, Camphora facile ſua integritate poſſit, ita vt aeque pertinax decompoſitioni reſiſtat, ac Hydrargyrus. Legi merentur inge-

ingenioſa et operoſa experimenta, quae cl. KOSEGARTEN in hunc finem inſtituit. Poſt varia irrita, tandem per pluries repetitas deſtillationes Camphorae cum magna quantitate ſpiritus Nitri dephlogiſticati eo peruenit, vt eliceret cryſtallos ſalinas, albas, nitidas, parallelepipedas vel laminas rhomboidales et rectangulares. Hoc ſal fuit acidum, diſcrepans ſua natura ab aliis acidis, vnde putat eſſe partem Camphorae conſtituentem, et obiectionibus eorum obuiam it, qui putarent originem traxiſſe ex acido Nitri, vel nonniſi acidum Sacchari eſſe mutatum (Vid. *l. c. p.* 61. *ſqq.*). Acidum e contrario Camphorae per ſpeciem combuſtionis generari ſub operatione, nec antea adfuiſſe, vult cl. MARET (in CRELLS *Annal.* 1786. *vol.* 2. *p.* 138.). Camphorae cum acido vitriolico tractatione phlogiſton modo et terra iſtius conſpicienda ſeſe praebent (KOSEGARTEN *l. c. p.* 51.).

Apud Graecos veteres nulla Camphorae mentio fit, ſed Arabes primi illam inter medicamenta celebrarunt, Cafur vel Canfur illam nuncupantes et refrigerantem vim illi adſcribentes (Vid. AVICENNA ed. ALPAGI et RINII *p.* 563. et SERAPION). Seriori autem aetati reſeruatum fuit,

naturam et virtutes eius plane ſingulares veriùs explorare.

In hunc finem quoque frequentia in animalibus varii generis experimenta a cll. MENGHINI, CARMINATI, MONRO aliisque capta ſunt, quae multa illuſtrant phaenomena, ſub vſu Camphorae in corpore humano ſeſe manifeſtantia. Et horum quidem animantium quaedam magis, alia minus, ab humana natura aliena ſunt. Ex priori cenſu ſunt inſecta multiplicis generis. Fruſtulum Camphorae prope oſtiolum, ex quo prorepſerunt formicae, repoſitum, haſce mox valdopere turbauit, vt procedentes illico latibulum priſtinum quaererent, reliquae perterritae et fugatae vndique diſcurrerent (MENGH. in *Comment. Bonon. tom. 3. p. 314.*). Hae turbae prout ſignificant, halitus Camphorae formicis valde moleſtos eſſe: ita manifeſtior longe euadit vis eorum in inſecta, hiſce, intra ampullas vitreas octo vnciarum capaces charta perforata tectas, iunctim cum fruſtulo Camphorae granorum ſex reconditis. Adhibita ad haec pericula veſpae, muſcae, pulices, culices, ſcorpiones, cimices, pediculi, formicae, erucae, aranei, ſcarabaei, qui horrea praedantur, curculiones tritico fabisque infeſti,

nfesti, tineae, quae lanea destruunt; singulaeque iorum species intra propriam ampullam inclusae. Omnibus et singulis, exceptis tineis, Camphora ub hocce administrationis modo venenum exstitit; nempe post agitationes multas et subsequentem anguorem, soporem, vel et conuulsiuos motus, perierunt, quaedam citius, aliae lentius. Celerius quoque ista necata aestate quam autumno, celerius flante austro quam borea, quorum discriminum ratio continetur in exhalatione Camphorae diuersa, quae aestate et austro flante viuidior (MENGHINI *l. c. p.* 315-317. Conf. CARMINATI *de animal. ex mephitibus interitu p.* 186.). Tineae, quae vapores adpositae Camphorae eluserant, non pares tamen fuere violentiae suffitus Camphorae accensae ferendae, qui suffitus et potentiorem vim in alia insecta exserit. Huic tentamini vel ardens carbo vel lapillus candens ad excipiendam Camphoram idoneus est (MENGH. *l. c. p.* 319.). En artem, qua vestiariis, horreis et granariis, egregie consuli poterit.

Transgredior ad experimenta, quibus maiora animalia, nostrae naturae propiora, subiecta sunt, de vi effluuiorum Camphorae primum commen-

taturus. Haec ipſa ranis in vitro longitudinis latitudinisque quatuor pollicum, cui inditae erant drachmae tres Camphorae, intra vndecim vel viginti minuta pr., et vni intra tres horae quadrantes deleteria exſtitere, poſt praegreſſos motus praeternaturales, reſpirationem difficilem, anxietatem, tremores, neruorum diſtentiones, ſtuporem (CARMINATI *l. c. pag.* 186.). Similibus affectionibus correpti ſunt paſſerculi picaeque marinae (*loc. cit. p.* 190.). — Euentus idem fuit in ranis et paſſerculis ex fumo Camphorae accenſae et dein extinctae intra vas vitreum; nec reuiuiſcere potuerunt ranae, etiamſi ſemimortuae in aërem purum protraherentur (*l. c. p.* 179-184.).

Sed magis intereſt ſcire, quid Camphora per os largius ingeſta in brutis effecerit. Horum e numero fuerunt volucres varii generis ſcilicet paſſerculi (MENGHINI; CARMINATI), columbi, coturnices (MENGHINI *Comment. Bonon. tom.* 4. *p.* 201. 205.), item hirundines, merulae, galli gallinacei (CARMINATI *p.* 199.), ranae iterum (MENGHINI; CARMINATI *p.* 192.); tum et quadrupedia varia, nimirum feles, canis (MENGHINI *p.* 203.), oues (MENGH. *p.* 203. CARMINATI *p.* 206.) et cuniculi (CARMIN.

(CARMIN. *p.* 202.). Effectus in hiſce varii, nec vlla horum conſtantia, niſi in eo, quod omnes grauiter afficerentur; quaedam temulenta euaſerunt, alia in furorem coniecta, alia ſopore oppreſſa ſunt, quibusdam anxietatem, ſtertorem, gemitus, eiulatus, ſpumam ante os, excitauit, alia inde correpta ſingultu, tremoribus vel conuulſionibus valde conſpicuis, epilepſia adeo. In nonnullis euacuationibus natura ſibimet auxilio fuit, vt vomitionibus, deiectionibus aluinis, ptyaliſmo, profluuis lotii. Quibusdam tamen poſt luctamina dicta necem attulit. Memorabile et hoc, quod fruſtum Camphorae vomitione ſubinde reiectum, etiamſi grauiter laboraſſet animal, exiguam modo ponderis iacturam perpeſſum fuerit. Pro natura animalis diuerſa, quibusdam minor quantitas indita, vt volucribus, quibus pauca grana aliquando iam infeſta fuerunt, aliis, vt quadrupedibus, maior e. c. felibus, quas grana viginti quatuor perdiderunt (MENGHINI *Comm. Bonon. tom.* 3. *p.* 314. *ſq.* CARMINATI *de anim. ex mephit. interitu p.* 186. *ſq.*). Oues, etſi male ex drachmis duabus affectae, eluctatae tamen periculum ſunt, quin ea, quae vnciam dimidiam ſumere cogebatur (MENGHINI *p.* 203. CARMINATI *p.* 206.). Canis drachma vna

et

et dimidia furere incepit, vnde, ad peiora euitanda, occidere illum e re visum (MENGH.). In alio cane duabus drachmis ingestis hydrophobiae indicia adeo sese manifestarunt, sed sensim tamen mentis suae compos euasit cum restaurata vita (BRUMWELL in *Med. Observ. and Inquir. vol. 6. p.* 229.). Id quoque animaduersum, in singulari specie animalis non semper eandem dosin exitio fuisse, hinc post interualla iusta sensim sub iterato experimento dosis aucta (MENGHINI), nisi opportunius visum, mox initio, euentu alieni experimenti monente, pondus maius intrudere (quod quidem subinde cl. CARMINATI fecit). Eluserunt tamen duo cuniculi periculum ex drachmis duabus simul ingestis absque vllo naturae leuamine, dum alius ex eadem quantitate apoplecticus caderet (CARMINATI *p.* 203.). — Iuuat quoque considerare, quaenam singularia in enecatorum corpore post dissectionem conspecta fuerint. Muco ventriculus praeter consuetudinem abundauit et inflammatus apparuit, cibus autem indigestus; animalia profundo somno sopita occubuerunt meningum, pulmonum, cordis, vasorum et intestinorum inflammatione; bilis quoque in hisce in tenuia intestina vbertim effusa exstitit (MENGHINI *l. c.*

l. c. p. 204. CARMINATI *l. c. p.* 202.). — Operae quoque pretium viſum, Camphoram per anum immiſſam tentare. Hoc quum fieret in cuniculis, drachmis duabus ope Gummi ſolutis, eadem ſubſequuta incommoda, quae modo expoſui, in necem vsque; idem in cadaueribus ſpectaculum (CARMINATI *p.* 204. *ſq.*).

Nocendi necandique animalia, quae Camphorae ineſt, poteſtas ſine dubio halitibus ſubtilibus, quos ſpargit, praecipue imputanda, qui ipſi neruos cerebrumque in primis impetunt. Nam infeſta eſt Camphora, antequam ſoluta in ſanguinem tranſierit, vt reiectum vomitu fruſtulum vel in ventriculo poſt mortem reſiduum demonſtrat. Protractiori autem actione inflammat tam partes, in quarum immediato contactu eſt, quam alias remotiores. Labefactare digeſtionis vires, veſtigio pariter non obſcuro cognoſcitur. Sectis vero mox poſt mortem animalibus conſtitit veritas ingenioſi effati cl. BURSERII: Camphora fibrae muſcularis irritabilitatem imminui (*Inſtit. med. pract. tom.* 3. *p.* 190.); ad quod confirmandum praeſertim ſpectant eximia cl. CARMINATI pericula. Hocce quoque argumentum, quantum colligo, ſtudioſius attigit

attigit cl. SEVERI (in *Diſſ. de Camphora, Ticenis reg. a.* 1776. defenſa Vid. *Gött. Anz.* 1778. *Zug. p.* 733.). Nempe deleto iam omni neruorum ſenſu micare pergit per plures horas cor, quin incrementum cepiſſe cognoſcitur, et muſculorum irritabilitas perſiſtit (CARMINATI *l. c. p.* 172. 208.). Ad vim neruos inſenſiles reddendi corroborandam experimenta cl. MONRO in ranis ſuſcepta quoque faciunt. Applicata enim Camphora cruri, ſtupor in iis ſubſequutus eſt (*Eſſays and Obſerv. phyſ. and literary, vol.* 3. *p.* 351. 353.). Irritare et calefacere Camphoram, vaſorum, quibus applicatur, turgeſcentia et rubedo declarat. In ſanguinem reſorberi, alia experimenta in ranis facta probare videntur (MONRO *l. c. p.* 357.).

Experimenta in brutis inſtituta licet ſaepe nonniſi temere ad corpus humanum applicentur: heic tamen conſpiratio egregia obtinet, ſiue noxios effectus ex nimia doſi reſpicias, ſiue ſalutares in vario morborum genere, quo hominum genus conflictatur. Nempe hi poſterius dicti euentus ex iſtis mirifice illuſtrantur. Vir ex deglutita drachma dimidia Camphorae, oleo Oliuarum ſolutae, mox ardore ventriculi corripiebatur, oculorum caligine

et

et congeſtione inſigni humorum ad caput, ſed poſtquam in auram liberam ſeſe tranſtuliſſet, paullo poſt diſparuerunt haec omnia incommoda (WHYTT's *Works p.* 646.). In alio ex eadem quantitate multa ſimilia exorta, ſed cum nauſea, quae in vomitum bilioſum tranſiit, ſanguine coloratum, et cum pulſu ſenſim citatiori (GRIFFIN *Diſſ. de viribus camphorae, Edinb.* in *Gött. Anz.* 1769. *p.* 1408. et ALEXANDER's *experim. Eſſays, p.* 141.). Item in alio, qui ſcrupulos duos ingeſſerat, ardore ventriculi ſcena initium capiebat, pulſu pluribus ictibus per minuta pr. decreſcente, tribus horis poſt oſcitatio et ſomnus ſubſequebatur, vertigo per interualla grauans, ebrietas, horror leuis et impalleſcentia vultus (De neutro caſu exitum definire poſſum, quum diſſertationem ipſam perluſtrare iam mihi non ſuppetat.). Experimenta, quae cl. ALEXANDER (*l. c. p.* 227.) in ſemet ipſe inſtituit, tanto maioris ponderis ſunt, quum, vtpote medicus, tanto curatius omnium ſenſationum et motuum rationem habere potuerit, ſaltim quamdiu ſui compos fuit; nominatim decrementum et incrementum numeri pulſuum exactiſſime obſeruauit. Ex aſſumto ſcrupulo vno ab ictibus arteriae 68 decidit numerus ad 66 vel 65. Captis vero ſcrupulis

pulis duobus cum ſyrupo Roſarum pallidarum, ii ore mox calorem ingratum ſenſit, pulſus ſenſin ab ictibus 77 deſcendit ad 67, et thermometrun ventriculo admotum vno gradu decidit. Inte haec inſignis virium deiectio cum oſcitatione e pandiculatione moleſta fuit. Tum vertigo, nauſea memoriae defectus, abolitio ſenſuum, furor adeo cum ſpumante ore, conuulſiones, tremor, ſopo inciderunt, et pulſus ad centum adeo ictus acce leratus. Tepida aqua potata euomuit partem maximam Camphorae non ſolutae, licet tres horas antea iam ingeſta fuiſſet, vnde pedetentim ſenſuum vſus rediit, et ſuperſtes vertigo, tinnitus aurium, calor et tremor, bibita Thea cum ſucco Limo neorum et Aurantiorum, dein ſubſequo ſomno naturali, omnino deuicta fuerunt; ſuperfuit modo alui obſtructio pertinax (*l. c. p.* 128. *ſqq.*). Alia et exempla proſtant, quod et maiores doſes apud homines ſanos ebrietatem, vertiginem et ſpaſmos excitarint (COLLIN *Obſerv. circa morbos P.* 3. *p.* 148.).

Quoniam vero multa medicamenta ſano cor pori detrimento ſunt, quae a morboſo impune feruntur, quid in hoc Camphora inſigni quantitate ingeſta efficiat, ponderandum eſt. Tum modo largio-

largiorem dosin eius vertiginem peperisse aegris, notat auctor quidam (libelli Anglici Germanice versi sub titulo *von d. Wirk. des Camphers und Calomelas, p. 56.*), quando soluta propinata fuit sub sordibus primarum viarum et obstructione aluina, non vero in bolo. Quum ad febrem bilioso putridam coërcendam largior Camphorae dosis exhiberetur a granis decem ad drachmam dimidiam tertia vel quarta quauis hora quin quibusdam casibus, singulis horis: ecce in tantum non omnibus successerunt notabile caloris cutis decrementum, pallor eiusdem, obscuratio visus, respiratio crebra et difficilis, pulsus minor frequens inaequalis et intermittens, interdum rigores. Sed haec symptomata subito exorta breui sese subtraxerunt, nec vnquam vltra horae dimidium perdurarunt, tum pulsus tardior aequalis et maior euasit, respiratio libera, cutis calida et rubicunda, oculi splendorem suum recuperarunt et tremores euanuerunt, stupor cessauit rediitque mentis liber vsus, conuulsionesque, si quae adfuerunt, cessarunt. Iteratae doses mitius affecerunt aegros (CALLISEN in *Act. R. societ. med. Havn. vol.* I. *p.* 418.).

Hactenus enumerata in brutis hominibusque obuia phaenomena multis momentis congruunt

cum iis, quae Opium excitat; eadem fere vtrobiuis effectus celeritas, quae impreſſionis in neruos documentum praebet; eadem ſub parua quoque doſi poteſtas; eadem in ſenſu ſopiendo, in vi irritabili autem excitanda efficacia. Quae tamen duplex vis contrario ordine ſeſe conſpiciendam dat in Camphora, quam in Opio (V. *Appar. medic. vol. 2. p. 236.*); quippe in hoc languor ſyſtematis neruoſi excipit irritationem praegreſſam, in iſta praecedit languor, ſubſequitur incrementum irritabilis muſcularium fibrarum virtutis. Multa quoque ex hiſce effectibus peti poſſunt argumenta ad diſcutiendum diſſidium, vtrum Camphora refrigeret, an calefaciat. Ex ſententia veterum frigidae naturae eſſe, ſupra iam indicaui. Inter recentiores, qui eandem opinionem arripuere, memorandus eſt FR. HOFFMANNUS (*Diſſ. de vſu interno Camphorae* 1714. *p.* 20.), qui redarguens alios, qui valde calidam eſſe pronunciant, aſſerit, ſe eam ad ſcrupulum vnum vel drachmam dimidiam in ſpiritu vini ſolutam cum vehiculo ſufficiente exhibuiſſe multoties homini ſano ſine intenſiori calore et pulſus incremento, ſed potius manifeſtum refrigerium praeſertim circa praecordia attuliſſe; pergitque, vnciam vnam ſpiritus vini vel vnicum hauſtum vini generoſi

neroſi plus caloris in corpore excitare, quam duas drachmas Camphorae. Nec longa annorum ſerie mutaſſe mentem ſuam teſtatur praefatio libro cl^mi TRALLES (*De virtute Camphorae refrigerante* 1734. *p.* 23.) praefixa. Sed ipſum libri auctorem in hancce partem abiiſſe, titulus iam indicat. Nec veretur cl. POUTEAU (*Melanges de Chirurgie p.* 184.) Camphoram frigidam declarare, nixus praecipue caſu puerperae, cui intra ſemihoram ſexaginta grana eius contra colicos dolores data, vnde frigore per horam fere durante cum pallore inſtar mortuae correpta eſt, ſed ſenſim calor naturalis absque ſudoribus rediit. Varia quidem ſuggeri poſſunt argumenta, quae fauere refrigeranti eius indoli videntur, quorſum referunt ſenſum frigoris in lingua, efficaciam in morbis inflammatoriis, inhorreſcentiam, pallorem pulſusque decrementum aliosque ſupra recenſitos effectus. Sed cauſam caloris tollendo ſaepe refrigerium ciet, prout ſubinde vinum generoſius incaleſcentiam moleſtam corporis pulſusque velocitatem tollit, et poſt ipſam applicationem veſicatorii id aliquando in inflammatoriis morbis contingit. Quis vero audet vinum vel veſicatorium ideo refrigerantibus accenſere. Qui ad ea, quae ſupra de Camphorae vi neruorum ſenſum

eneruandi vna cum altera muſcularem potentiam incitandi attendit, rationem inueniet variorum iudiciorum, quae pro refrigerante natura militare videntur. Certe ad ſcrutinium thermometri non refrigerat, dum hoc vel ſolutioni Camphorae ſpirituoſae vel oleoſae vel cum aqua calcis factae immittitur (ALEXANDER'S *Eſſays*, *p.* 137. *ſq.* *Exper.* 3. 4. 5.). Nec thermometro ad abdomen applicato poſt Camphoram largius ingeſtam caloris decrementum gradu vno maius percipitur (ID. *Exper.* 2. *p.* 128.). Contra ea ſenſus caloris in ore et ventriculo, volatilis natura, acceleratio pulſus, congeſtio inſignis ad caput, inſudatio ſubſequa, odorem Camphorae ſaepe prae ſe ferens, demonſtrauit luculenter calidam eſſe.

A corpore tantae tamque multiplicis vel nocendi modo efficaciae ſperatur facile, in vario morborum genere, cauto et ad opportunitatem reſpiciente vſu exercere poſſe virtutem maxime egregiam. Id quod tam abunde experientia confirmatur, vt non opus ſit ex probabilibus modo coniecturis, quae enucleatis hactenus phaenomenis ſuperſtruuntur, medendi vires deducere, et fateri fas ſit, pauciſſima obtinere medicamina, quae in tanta malorum

malorum varietate auxilium ferrent. Nempe excellit penetrabili ſua indole, qua vel minima vaſa permeat, humores ſtagnantes potenter diſcutit, ſpaſmos ſoluit, dolores mitigat, vires erigit, vnde cardiaci nomine digniſſima, perſpirationem auget, putredinem humorum refraenat, demum in vermibus inteſtinalibus necandis haud parum valet. Horum omnium fides iam facienda eſt, vnde liquebit, aeque tuto per os ingeri ac extrinſecus applicari.

Quamuis calidae indolis Camphora ſit, in quibusdam febribus tamen tam ad corrigendam earum diatheſin, quam ad mitiganda et tollenda varia ſymptomata incidentia et criſin per ſudores promouendam, eminet.

Harum e tribu putridae febres ſunt. Quantum polleat Camphora in putredine auertenda, experimentis extra corpus humanum quoque cognoſcitur. Nam grana duo aqua mixta magis praeſeruant carnem contra putredinem, quam ſexaginta ſalis marini (PRINGLE'S *Diſ. of the army, Append. p.* 12.). Quin caro plane non computruit intra vitrum in miſcela comminutae Camphorae, etiamſi ſubinde inter experimentum aëri

acceſſus liber contigerit (*Eſſai ſur la Putrefaction p.* 399.). In febribus autem huius naturae non antiſeptica modo vi, ſed et vires erigendo et miaſma perſpiratione eliminando, iuuat. Compeſcendo quoque turbas febriles blandum ſomnum inducit, quando opiata inania ſunt, vel tumultus febremque augent. Hinc in febre carcerum ſiue noſocomiorum tantae praeſtantiae eſt in ſecundo et tertio ſtadio (PRINGLE *l. c. p.* 310. 316.). Petechiis iam et haemorrhagiis ſub reliqua funeſtorum ſymptomatum ſyndrome exortis multos orci faucibus eripuit (RIVERII *Obſ. et hiſt. Cent.* 1. *Obſ.* 24. *Obſ.* 29. *Cent.* 2. *Obſ.* 18. *Obſ.* 62. 64. HOFFM. *Diſſ. cit.* §. 11. 12. HUXHAM *Oper. T.* 2. *p.* 116.). LUDWIGIUS (*Adverſ. med. pract. vol.* 1. *P.* 1. *p.* 62.) rationem praecipue habet analepticae eiusdem virtutis et poteſtatis criſin per blandos ſudores ſuſtinendi, hinc in paucis granis ſubſtitit, etſi aliquando ob nimiam putredinem ſpe excidiſſe ſeſe dolet. Vtut vero commoda eſt, febre ipſa putrida praeſente, non tamen ſufficit miaſmati epidemico arcendo (COLLIN *Obſ. circa morb. P.* 3. *p.* 148.). Nocet Camphora, ſuperſtite adhuc vigore virium et pulſu forti plano, confert autem detritis viribus pulſuque debili et flaccido exiſtente. Ex

hiſce

hiſce ſignis quantitas Camphorae quoque tutiſſime definitur. Sunt qui magnas doſes non ferunt ſine acceleratione nimia pulſus, congeſtionibus ad caput, conuulſionibus et phrenitide lethali (QUARIN *method. medend. febr. p.* 57.). Sufficiunt ſub iuſta opportunitate intra nychthemerum decem modo, quindecim ad ſummum viginti grana (*l.c.*), licet alii intra idem ſpatium drachmas tres dare auſi fuerint. Commode et Camphora in hiſce febribus cum aliis coniungitur e. c. cortice Peruuiano, radice Serpentariae, Contrayeruae, Aceto. Eiusdem in aceto ſolutio eam quoque virtutem habet, quod facilius, quam ſolet, a ventriculo feratur (HUXHAM *l. c. p.* 117.). Pro norma eſſe poterit formula (LOCHERI *Obſ. pract. p.* 43.), infra (articulo de Camphorae vi in mania) ſuppeditanda. Et ad corrigendum aërem putridum conclauis, qua decumbit aeger, acetum, cui Camphora iniecta, ſuper carbonibus exhalationi exponitur. Nec ſine fructu aliquando clyſmate ſimul excipitur (V. exemplum in METZGERI *Adverſ. med. P.* 2. *p.* 87.). — Nec defuerunt, qui in ipſa peſte Camphoram multis encomiis depraedicarunt, quorum e numero CONR. GESNERUS (Vid. TISSOTI *Epiſt. ad* HALL. *p.* 237.), MINDERERUS

(*Lib. de peſte cap.* 15.), JO. CRATO (in *Epiſt. med.* A SCHULZIO *edit. p.* 103.), qui omnibus aliis antecellere illam expertus fuit, ZWINGERUS (*Epiſt. ad Monauium inter* SCHULZIANAS *n.* 246.), HARTMANNUS (in *Pract. chymiatr. p.* 364.), SCHREIBER (*Obſerv. et cogitata de peſtilentia p.* 58. *ſq.*) aliique.

In ſummo adeo putredinis gradu, ſcilicet gangraena tam ſicca quam humida, potens eſt auxilium. Quod quidem iam cognouit Arabs celebrati nominis ALI OSEIBAH. Noſtra aetate preſſius perſequutus eſt hanc eius facultatem cl. COLLIN, qui non dubitat reliquis omnibus hocce nomine Camphoram praeferre (*Obſerv. circa morbos P.* 3. *p.* 145.), ſi largiori doſi ore capitur et externe mucilagine Gummi Arabici ſoluta plumaceolis applicatur, quando gangraena ſicca adeſt; vel in puluere, quando humida vexat, denſo ſtrato inſpergitur; vel, quando malum interna corripit e. c. vterum, illuc iniectione Gummi Arabico ſubacta defertur. Sic breui obicem ponit gangraenae et ſeparationem partis mortuae a viua procurat. A circulo rubro, qui cingit partem gangraenoſam, et cui eryſipelatoſam naturam tribuit cl. POUTEAU (*Melanges de Chirurgie p.* 187.) iudicium

cium praecipue format efficaciae in gangraena ſiſtenda; nempe in eryſipelate tollendo efficaciſſima illi cenſetur. — De vſu in vlceribus putridis externis infra opportunius dicetur.

Ex nuperius dictis de praeſtantia inſigni Camphorae in putridis variolis iam admonemur. Verum in hiſce et ideo iuuat, quod ipſum miaſma eneruet. Hac ipſa efficacitate pollere, non vno documento conficitur, vt vel Camphorae exemplo BOERHAAVII ſententia fulcrum obtineat, virus variolarum poſſe ſpecifico quodam domari. Si inungitur cuti pomata pure varioloſo impraegnata, addita Camphora nulla infectio ſubſequitur, quum e contrario id fiat omiſſa Camphora (ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 160.). Eius ope tuemur quasdam corporis partes ab inſidiis variolarum, vt oculos, ſi linteum, cui camphora affricta, ſupra oculos propendeat; fauces, quibus ſuccurritur gargariſmate ex Camphorae drachma vna aliquot guttulis liquoris mineralis HOFFMANNI humectata, ſacchari vncia dimidia et aquae calidae libris duabus (*l. c. p.* 130.); naſum, impoſito linteo ſpiritu Camphorae madefacto (*loc. cit. p.* 129.). Nec ſpernendo effectu intra facculum

ſuprà pectus geſtatur, ad arcendas variolas, quando malignae graſſantur. Hinc et ROSENSTEINIUS pilulis ſuis praeſeruatiuis Camphoram addidit (*l. c.* *p.* 159.). Virtutem eius in putridis variolis HALLERUS (*Opuſc. pathol. p.* 145.) primus ex obſervationibus a. 1735. ſtabiliuit, qui in emulſione ea quantitate eam dedit, vt aeger intra diem grana viginti conſumeret, tumque et proficere vidit, quando haemorrhagiae ex reſoluto ſanguine naſcebantur. Acidis nuptam in malignis ſpeciebus nonnullis apprime prodeſſe vidit TISSOTUS (*Epiſt. med.* *pract. p.* 237.). Memorabilis maxime poteſtatis Camphorae in hiſce variolis caſus is eſt, quo matrona nobilis iisdem detenta, omni ſemihorio eius ſcrupulum vnum vitello oui (praeſtat mucilaginis adminiculo vti) ſolutum in mixtura cum aqua et ſyrupo ingeſſit, in clyſmate quoque, item fermento panis plantis pedum impoſito recepit, et tandem, quum ſic non ſufficeret, linteis obuoluta fuit, oblitis Camphora vitelli oui ſoluta; ſicque tandem octoginta vnciis conſumtis periculo emerſit (C. L. HOFFMANNS *Nachricht von e. gut. Heilart d. Kinderblattern*, 1764. in VOGEL. *Bibl. vol.* 5. *p.* 340.). Qui hancce curationem perfecit, idem etiam aliis caſibus vſum Camphorae externum in vario-

variolis egregium deprehendit (HOFFM. *vom Scharbock v. d. Luftſeuche* etc. *p.* 288.). Confert et in ſuffimigio et linteorum eius fumo impraegnatorum applicatione (METZGER *Adverſ. med. P.* 2. *p.* 185.), quibus ſubſidiis variolae retrogreſſae ad priſtinam ſedem reuocatae. Legi merentur caſus varii de praeſtantia Camphorae in variolis ancipitis generis a cl^mo COLLIN (*Obſ. pract. P.* 3., *caſ.* 22. 23. 24.) conſignati.

Quoniam de morbo exanthematico ſermo eſt, reuocare mox in memoriam e re eſt, quantum valeat Camphora, quando variolae, morbilli, purpura vtraque, vel ſcarlatina, ſubito retroceſſerunt, in hiſce exanthematibus ad cutem reſuſcitandis. Languenti autem horum exanthematum eruptioni vtilem ſtimulum ſubdit. Ita et ſcabies infantum refrigerio, vel intempeſtiua inunctione, retrograda, ſi eclampſiam creauit et hic effectus recens eſt, in priſtinam ſedem hocce auxilio reſtituitur (ROSENSTEIN *om Barns ſjukd. p.* 55.).

In febribus lentis neruoſis ſub ipſo lentore, quo lympha laborat, et torpore neruorum, virtus Camphorae attenuans et excitans et diaphoretica auxilio

auxilio insigni est (HUXHAM *Oper. tom.* 1. *p.* 172. et *tom.* 2. *p.* 84.).

Sed in febribus acutis quibuscunque ad symptomata quaedam vrgentia tollenda, ad stagnantia liquida mouenda et ad sudorem criticum adiuuandum Camphora laudari meretur. Praesentaneum saepe exstat delirii et anxietatis remedium, et somnum diu interceptum absque eo damno procurat, quod Opium afferre solet. In Nitri connubio, vel in puluere vel emulsione tum conuenientissima est, ad grana tria vel quatuor per bihoria repetita. Pondus afferto addit auctoritas FR. HOFFMANNI (*Diss. de vsu interno camph.* §. 15.), et WERLHOFIUS inter tot alia merita et hoc habet, quod quam tuto et efficaciter in acutis ore capiatur, quum vacillaret adhuc medicorum animus, sua experientia et amicorum quorundam euicerit (Vid. *Comm. Nor.* 1734. *p.* 258. *et* 268. Item 1735. *p.* 28. 154.).

De inflammatoriis febribus praecipue, sub ea pulsus velocitate vigoreque et stasi sanguinis, quae tum obtinet, dubitari posset, si ratiociniis vnice inhaerere fas esset. Ast metum iam minuit explorata Camphorae in inflammationibus externis discu-

diſcutiendis virtus. FR. HOFFMANNUS in acutis vel ideo eam extollit, quod fere omnes aliquid inflammatorii ſecum veherent, et febribus vere inflammatoriis multiplicis generis ſubueniſſe ſe eius ope, nobis exponit (*l. c.*). Qui ſucceſſus et aliis multis, qui rem calamo conceperunt, contigit, et certe quotidie adhuc in praxi contingit. Per partes hiſtorias eiusmodi curationis perſequuntur cll. WERLHOF, DE BERGER, ALBRECHT (*Commerc. Nor. ll. cc.*) WOLFF (*Comm. Nor.* 1740. *p.* 313.) et IOERDENS (*Comm. Nor.* 1736. *p.* 5.); quorſum ſpectat pleuritis tam vera, quam ſpuria ſ. rheumatica (*C. Nor.* 1735. *p.* 153.), angina (*C. Nor.* 1740. *p.* 313.), inflammatio vteri (*l. c.* it. *C. Nor.* 1734. *p.* 269.). Praemitti tamen in hiſce febribus alia neceſſaria debent, vt venaeſectio, diluentia, acida, ſalina, aluum leniter ſubducentia, nec niſi tempore remiſſionis concedenda Camphora, ea miſcela, quam modo de acutis innui. In exiguis doſibus grani dimidii per bihoria ſumtis ſubſiſtit cl. DE MERTENS (*Obſervat. med. tom.* 2. *p.* 27.), quando ſub pulſu non magno ſed frequentiſſimo et tenſo cum ſumma inquietudine et deliriis paruis, in morbis inflammatoriis tam pectoris quam abdominis coctionis ſigna deſunt, quam ipſam optime

adiuuare

adiiuuare obſeruauit. Alii nec maiores doſes reformidant. Leuat et eximie internas inflammationes Camphorae oleo exceptae, et, quo tenacius inhaereat, vnguento Althaeae commixtae inunctio; vel miſcela ex vnguento Althaeae et tantillo ſpiritus Camphorae, eodem modo applicata (ROSENSTEIN *l. c. p.* 221.).

In febre puerperarum, cuius natales cl. POUTEAU (*Melanges de Chirurgie p.* 180. *ſqq.*) ab inflammatione eryſipelatoſa, vt vocat, omenti et vteri deriuat, largas et frequentes Camphorae doſes exhibuit, optimo euentu. Et ad hanc vnice reſtringit in vniuerſum eius vim, in phlegmonoidea contra fruſtra adhiberi conquerens. In eryſipelatibus, ſiue externe ſiue intus adhibita fuerit, ſpecificam pronunciat, quorſum pleuritides et peripneumonias vernales refert. Vereor, ne nimis ſubtiliter hiſce in morbis inflammationem diſtinxerit.

In inflammationibus externis diſcutiendis licet Camphorae magna vis ſit: non excludenda tamen alia auxilia, quibus hoc morborum genus generatim indiget, nec in quantitate modus excedendus eſt. Nam tumores indolentes molles melius ferunt Camphoram, quam inflammatione nimia dolo-

oloroſi. Sic addimus, genis tumentibus, in ngina, in ophthalmia, Camphorae tantillum ſtiribus reſoluentibus ſiccis in ſacculis, vel, quod praeat, quum Camphora facile aufugiat, ſacculis andem extus infricamus. Cataplaſmatum camphoatorum in ophthalmiis opportunorum alio iam oco exempla dedi (*Appar. med. vol.* 2. *p.* 193.). luius loci quoque eſt aqua camphorata ST. YVES, uius vim in ophthalmia infra vberius deſcribam. — In eryſipelate peculiarem ſibi vindicat laudem xtus impoſita reſoluente ſua et diaphoretica naura. Et in maligno ex putredine orto, vtpote ntiſeptica, eminet.

Inflammationibus rheumatiſmus acutus affinis ſt; hinc et commode, praeter venaeſectionem et purgantia refrigerantia, Camphora modica quantitate um ſalino noctem praecipue verſus conducit (ROENST. *Apot. p.* 7.). Refrigerio concepto tempetiuo eius vſu tam huic morbo, cuius cauſa tam aepe exſtat, quam aliis in dicta miſcela praeuertitur. ed et rheumatiſmos variae ſedis et longioris duationis feliciter ſufflaminat (vt multis caſibus confirmat cl. COLLIN *l. c.*), ad ſpinam dorſi, in coxa, orſo pedis, femore, ad os ſacrum et vertebras lumba-

lumbares etc. obuios (COLLIN *Caſ.* 1. 2. 4. 19. 20.), inter quos et iſchias neruoſa occurrit (*Caſ.* 3.), quorum quidam ob cruciatus conuulſiones excitarunt.

An ſpaſmos et conuulſiones compeſcat, iam inquirendum. Ex hoc fonte proueniunt flatus et colici dolores, quibus torquentur hypochondriaci et hyſtericae, in quibus diſſipandis mirabilem praeſtare opem animaduerſum (HOFFM. *Diſſ. de Camphora p.* 32.). Ex collatis quibusdam experimentis ſtudio in hunc finem factis conſtitit, in affectionibus hyſtericis et ſingultu non deſtitui illam efficacia, ſed effectum eſſe breuis durationis, nec recidiuis auertendis ſufficere (HOME's *clinical experiments p.* 193.). Sed et in diuerſis huius generis vitiis valet. Epilepticis bene multis opem ferto mixtura ex Camphora et Aceto, qualem infra deſcribam de mania loquuturus; quin homo per integrum triennium epilepticus inde conualuit (LOCHER *Obſ. pract. p.* 42.). Aſthma conuulſiuum chronicum coërcet Camphora efficaciter et praeſentaneum leuamen ſaepe affert, aliis irritis; ſed in forma ſolida non aeque apta eſt, quoniam diu in ventriculo absque ſolutione ſubſiſtit, ac fluida: quo fine Julepi e camphora Lond. cochleare vnum vel

vel duo omni trihorio vel quadrihorio, vel quoties paroxyſmus aſthmaticus redeat, ſcite ingeruntur (MILLAR *on aſthma and hooping-cough p.* 104.). Ita ſublata eſt conuulſiua rotatio oculorum cum dolore magno ſinuum frontalium per Camphoram (COLLIN *Obſ. pract. P. 3. Caſ.* 8.). Omitti nequit hiſtoria virginis, quae ſpaſmorum omni genere, tam vniverſali quam partialibus, per tres annos, vt videtur ex concepto contagio podagrico, miſerrime excruciata poſt multa ſine fructu tentata tandem conualuit ex Camphorae granis tribus ad drachmam vnam quater de die ingeſtis, doſi ſenſim diminuta. Quum maxima doſi vteretur, turbatae mentis varia indicia ſeſe exſeruerunt, et deſcenſu ad ſcrupulum vnum facto ex conuulſione diaphragmatis ſonitum edidit illi columbae riſoriae non abſimilem, a quo autem Aſſae foetidae maiori doſi liberata fuit (SCHMALZ *med. und chir. Vorfälle p.* 138. *ſqq.*). Commemoratione quoque dignum eſt exemplum puerperae, quae poſt difficilem partum in inferiori dorſi parte abſceſſum contraxit cum conſtrictione ſpaſtica gulae deglutitionem impediente, conuulſionibus vehementiſſimis, ſtridore dentium, ſpaſmo maxillae inferioris et reſpiratione fere intercepta, quae vero, praemiſſa inciſione pus euacuante, Camphora lar-

gius ingeſta et cum oleo pectori inuncta diſparuerunt (GRUELMANN *Diſſ. de vſu Cicutae, Camphorae etc. p.* 12.). — In febribus intermittentibus aegri ſenſilis nimium ſyſtematis neruoſi horroribus aliquando moleſtiſſimis nec periculo ſuo carentibus concutiuntur, quod vt praecaueatur, inter paroxyſmos conducit, Camphoram partitis doſibus capere in Nitri miſcela (HALLÉ in *Mem. de la Soc. R. de Medec. vol.* 5. *p.* 69 *ſq.*).

Anodynis accenſeri poſſe, docet efficacia in mitigandis doloribus ſaepiſſime explorata. Qui inflammationem comitantur, hoſce partim ipſum ſtagnans liquidum diſſipando ſedat. Eadem ratione doloribus ex acri ſcorbutico, rheumatico, arthritico exortis, et partium ſubinde immobilitate iunctis, ſubuenit (COLLIN *l. c. p.* 145.). Eiusmodi exempla attigi, de rheumatiſmis quum dicerem. In odontalgia rheumatica ſaepe iuuat aquam ore retinere, cui, dum calida erat, Camphora indita fuit (TREW *N. Act. nat. cur. vol.* 1. *p.* 198.), id quod proprio experimento corroborare poſſum. Camphorae vnice auxilium hoc deberi, luculentius patet, quam ſi in eodem malo Camphora vna cum Pipere contrita intra linteum ſpiritu vini camphorato humectata

denti

denti imponitur, vel in aurem dolentis lateris immittitur, quod quidem saepe quoque iuuat (ROSENSTEIN *Apoteque*, *p.* 48.).

Non infimum locum inter ea tuetur, quae in mania et melancholia compescenda opportunitatem habent. Quaedam vestigia quidem huius cognitionis reliquerunt THEOPHRASTUS PARACELSUS (Vid. *Bücher und Schrift. de morb. ament. Tract. 2. cap. 2. tom.* 1. *p.* 501.) ETTMÜLLERUS (*Oper. omn. Francof. tom.* 1. *p.* 578.), qui in deliriis melancholicis habitualibus cum et sine furore praegresso raro fallere indicat, SENNERTUS (*Pract. med. lib.* 4. *P.* 2. *sect.* 3. *c.* 5.), qui contra furorem vterinum commendat, sine dubio ob vim adscriptam stimulos venereos exstinguendi, DOLAEUS (*Encyclop. med. tom.* 1. *p.* 76. 40.) aliique vetustiores medici. Ast nostro seculo terum Anglus KINNEIR (*Phil. Transact. vol.* 35. *p.* 347.) recensu duarum foeminarum totidemque virorum, hominum in vigore aetatis et habitus constitutorum, quorum successus voto respondit, in hanc vim medicorum mentes conuertit. Praemisso quidem emetico antimoniali, alterantes pilulas ex aethiope minerali Gi. Guaiaci rel. per diem exhibuit, sed vesperi Camphorae drachmam dimidiam,

ſicque maniam, in furorem adeo ſubinde erumpentem, quatuordecim menſium intra ſex hebdomades deuicit (*Caſ.* 2.). In melancholia non febrili hyſterica per multas veſperas continuas illam ad drachmam dimidiam cum mica panis in pilulis exhibuit WERLHOFIUS (*Comm. Nor.* 1733. *p.* 221.), nec niſi bono euentu praemiſſis neceſſariis et abſente febris incendio et obſeruata euphoria. BERGERUS memorat maniacum rite praeparatum, penitus in ſanitatem reſtitutum, ſimulque admonet, vt diu ſatis vſus ſufficiente doſi continuetur (*Comm. nor.* 1735. *p.* 28.). Ob neglectam iuſtam continuationem paſſus recidiuam eſt maniacus, cuius cl. IOERDENS (*Comm. Nor.* 1736. *p.* 5.) curam geſſit, ſed tandem eodem auxilio confirmatus, vncia vna fere conſumta. In caſu maniaci vegeti a cl. TRIEWALD (*Vetenſk. Acad. Handl.* 1744. *p.* 53.) deſcripto, ſuffecit ſola Camphora ad grana ſedecim ſemel die aſſumta. In alio caſu foeminae vehementer inſanientis cl. BOENNEKEN (*Fränk. Samml. vol.* 5. *p.* 294.) addidit ſingulo eius ſcrupulo pro doſi ſumto dimidium Nitri, nec niſi octo doſibus opus fuit, blando ſudore quamlibet ſubſequente. Eiusmodi connubium approbat Eques A ROSENSTEIN (*Apot. p.* 48.), Camphora a granis quatuor ad

ſexaginta

ſemel de die data. Puero quatuordecim annorum, cuius pulſus paruus et celer oculique non feroces ſed languentes, emeticis Chinchina aliisque fruſtra tentatis, Camphorae per Gummi Arabicum ſubactae et aqua deſtillata dilutae ſcrupulis duobus vel ſeſquitertio quotidie ad conſumtionem ſemunciarum ſex ad ſeptem, ſanae mentis vſum cl. HERZ (in SELLE *Beiträge z. Natur- u. Arzn. Wiſſ. P.* 1. *p.* 127.), quamuis nulla tranſpiratio ſuccederet, reſtituit, confeſſus tamen, in quibusdam maniacis ſpe ſua ſe excidiſſe. LOCHERUS (*Obſ. vract. p.* 64.) conſueuit mixtura vti per diem ex Camphorae drachma dimidia, Sacchari et mucilaginis Gummi Arabici $\overline{aa}$ drachma vna ſubacta, additis Aceti calidi vncia dimidia, aquae florum Sambuci vnciis ſex et ſyrupi florum Rhoead. vncia vna; nam Camphora Pineis ſubacta ad drachmam dimidiam et veſperi data non ſatisfecit, certe effectus addito aceto celerior et certior fuit; vnde quidem eo inclinat, vt potiſſimum curationis aceto tribuat. Eidem fere miſcelae indulſit cl. WILLEMSE (in *Maatſchappye d. Weet. te Harlem. vol.* 14. *App. p.* 3. *et* 28.) eo diſcrimine, vt ſenſim quantitas Camphorae augeretur; ſic iuuenis robuſtus et furibundus eo peruenit, vt ob recidiuas periodicas

cortici Peruuiano via panderetur, alius isque phlegmaticus absque furore delirans plane conualuit. Eodem Aceto camphorato diluto plurimum ad sanationem praestitit Hafniae in nosocomio maniacis destinato cl. SCHÖNHEYDER (in *Soc. med. Havn. collect. vol.* 2. *p.* 107.), licet et aliis frustra exhiberetur, alii modo ad interualla mensium quorundam eodem resipiscerent; spectat huc casus puerperae maxime furibundae. Nec proletarie in tribus huius generis historiis, quas concinnauit, cl. PAULIZKY (*Med. prakt. Beobacht. P.* 2. *p.* 113. *sqq.*) versatus est. Prior spectat ad hominem melancholico maniacum 54 annorum, emaciatum coloris pallidi plumbei oculis fixis toruis, pulsu lento manibusque frigidis, qui copiosa Camphora et Tartaro tartarisato in mixtura data sanitatem recuperauit. Alia (*l. c. p.* 119.) sistit iuuenem exonania maniacum, sed Camphorae larga dosi a scrupulo vno ad quatuor per diem in emulsione, sanationi proximum, nisi respuisset roborantia et detestabile vitium continuasset. Tertia (*p.* 124.) meminit foeminae, ex puerperio melancholicae, sed Camphora in connubio Tartari tartarisati sanatae. WHYTTIUS (*Works p.* 646.) videtur illam in palliatiui modo dignitate habuisse, nam dicit

dicit, maniacos et melancholicos aliquot, se obseruante, inde euasisse pacatiores. Cl. SIMMONS (in RICHT. *chir. Bibl. tom.* 7. *p.* 771.) quum in mania a granis decem, sensim augendo dosin granis quinque ad drachmam vnam, Camphoram exhiberet, inde vertiginem, imbecillitatem pedum et epilepticum quasi insultum percepit, quo superato resipiscere aegri feruntur, quod nisi fiat id contingere secundo eadem ratione excitato paroxysmo.

Corollaria quaedam ex hisce casibus subiungenda. Maniaci qui salutarem effectum ex Camphora experiuntur, in hisce saepe insigni celeritate ex paucis praebiis subsequitur. Nonnulli paullo post pacatiores euadunt et furor subsidit, in somnum longum incidunt et large insudant. Dosi eius insigni maniacis, vt in aliis medicamentis apud hosce vsitatis familiare, opus est. Quidam vitio diaetae in prius malum relabuntur, sed redintegrato Camphorae vsu curantur. Mali etiam diuturni exempla fauentia adsunt. Non excludit hocce remedium alia vel praemittenda vel combinanda pro efficacia adiuuanda. Sed maximam curam in diiudicatione naturae maniacorum, quibus conueniat, requiro. Fuere quidem inter aegros

gros a me luſtratos plerique flore aetatis et habitu vegeto inſtructi; quis vero medicamen tam calidum et ſtimulans plethoricis pulſuque duro et veloci et bilioſa diatheſi primarumque viarum colluuie correptis impune offeret, niſi vel euacuantibus neceſſariis aegro proſpexerit, vel connubio Aceti, Nitri et ſimilium turbas refraenare intentus ſit? Tutius Camphora datur hiſce, quorum facies pallet, extrema frigent, reſpiratio lenta, et arteriarum ictus torpent. Hinc et cl. BURSERII (*Inſtit. med. pract. vol. 3. p.* 189.) cum aliis magis conducere illam melancholicis arbitratur. Non miror, aliquos Camphora ſumta in maiorem furorem raptos, vel quietos ante iam repente deliraſſe vel conuulſos fuiſſe, prout ille aeger, cuius CARMINATI (*l. c. p.* 202.) meminit, ex ſcabie retrogreſſa maniacus. Poteſt aliquod dictorum vitiorum ſubfuiſſe, vel praeterea naturalis quaedam ſenſilitas inſignior. Nec miror, aliquando incaſſum praeceptam, prout in caſu duplici melancholiae a cl. MUZELL narrato (*Med. und chir. Wahrnehm.* 1.*Samml. p.* 50. 65.), quamuis intra diem drachmae tres ad quatuor conſumerentur, et iis caſibus, in quibus cl. CULLEN (*Firſt lines of the practice, vol.* 4. *p.* 164.) de fruſtranea opera querelas mouet. Quis enim organicum multiplex vitium,

ium, ex quo hi morbi mentales saepe proficiscun-
ur, tollere valebit? Sufficit plus saepe efficere,
quam reliqua omnia.

Vix crediderim in omnibus maniacis, quo-
rum supra mentionem feci, phaenomenon istud
adfuisse, ex quo cl. AUENBRUGGER (*Experimentum
nascens de remedio specifico sub signo specifico in mania
virorum, Vienn.* 1776.) opportunitatem Camphorae
exhibendae diiudicat. Nempe in hisce modo suc-
cedere arbitratur, quorum sub paroxysmo membrum
virile contractum, mirabiliter exile, duriusculum,
eniter ad anteriora flexum sit; scrotum corrugatum
et manibus palpatum vacuum; ambo testiculi re-
vulsi et ad superiora quasi inclauati; genitalia in
comparatione vicinarum partium minus calida. In
foeminis vero tempestiuum Camphorae vsum ex
tremore digitorum, praecipue vero ex singulari
manuum ad interiora intorsionem (vulsionem vocat)
colligit, dum pulsus carpi contrectetur, quae qui-
dem signa et sese supra dictis associare in viris re-
fert (*l. c. p.* 6. 145.). Quicquid horum indiciorum
sit, inter casus decem ample a cl. viro explanatos
aegri comparent aetatis vegetae et corporis plerum-
que robusti et temperamenti cholerici. Praemissis

euacuationibus ex vena et primis viis et fomento emolliente abdomini applicato, inter diaetam tenuem et decocti Hordei forbillationes, propinata mixtura ex Camphorae scrupulis duobus, mucilaginis gummi Arabici drachmis duabus contritis, aquae Sambuci vnciis quatuor et syrupi Diacodii vncia vna, idque per bihoria ad cochlearia duo. Subinde furor inde increscit vel febris accedit, quod vero non curatur, quum pediffequis sudoribus deferuescat. Sufficit tum tantum omni trihorio vel quadrihorio et tandem modo bis per diem mixturam sumere; et sensim ad lautiorem cibum transitus fit.

Pauciores longe auctores infestam eiusdem in vermes intestinales potentiam experimentis stabiliverunt vberius expositis, licet bene multi virtutes eius generalius ponderantes in dissertationibus (WEDELII, JUCHII, GRONOVII *Dissertationes de Camphora.*), item libris de materia medica, non reticeant esse anthelminticam. Nolo ad confirmandam rem analogia acquiescere, petita a vi eius infecta varia necandi, vt ista supra recensita, item alia corpori humano extrinsecus insidiantia (V. exempla ex auctoribus narrata in PRANGE *Diss. de Camphorae virtute anthelm.* §. 9. 10.). Nec mihi satisfaciunt vetustiora

uſtiora experimenta in verminantibus hominibus facta (Cfr. recenſus *l. c.* §. 8.). Recentiora potiſſimum ſpectant ad vſum in febribus acutis, quibus vermes ſeſe adiungunt, vt in quibus duplici malo ſubuenit. Eo fine proficua eſt potio ex Camphorae drachma vna guttulis aliquot ſpiritus vini contrita, Sacchari vnciis duabus, Aceti vini vnciis tribus, cuius cochleare vnum omni hora vel alternis horis capiatur (ROSENST. *om Barns ſjukd. p.* 364). Quum, in noſocomiis Hannoueranis, aegris febre caſtrenſi laborantibus ſimulque verminantibus Camphora praeberetur, poſt aliquot horarum interuallum vermium motus ſenſerunt, et intra viginti horas eosdem partim mortuos partim adhuc viuos vel vomitu vel alui deiectionibus eliminarunt, continuato eius per aliquot dies vſu plane ab hiſce hoſtibus liberati; non vero vermes niſi remittente febre expulſi, nec recuperata valetudo niſi iisdem reiectis (PRANGE *Diſſ. cit.* §. 6.). Similis expulſio vermium in febribus caſtrenſibus per vtramque viam Camphorae ope alibi notata (BALDING. *v. d. Krankh. e. Armee Ed.* 2. *p.* 411.). Vermibus ſine dubio aduerſi ſunt Camphorae halitus, prout hac ipſa de cauſa anthelmintica ſunt efficacia Allium, Aſſa foetida, Sulphur, quibus ſingulis ſtimulantur,

ſtupe-

ſtupefiunt, pereunt. Probabile tamen ſimul eſt, Camphorae virtutem adiuuari ſtimulo, quo ventriculum et inteſtina ad vberiores contractiones alliciat, vi coërcendi putredinem, quae etiamſi vermes non generet, generationi tamen et propagationi eorum apprime fauet. Succedit et contra aſcarides clyſma ex Camphorae drachma vna, olei Oliuarum vnciis duabus per tres continuos dies decubitus tempore iniectum, repetendo dein, ſi opus, alternis diebus ad quartam vicem (FOWLER in *med. Commentaries vol.* 8. *p.* 344.).

Multis depraedicat HOFFMANNUS (*Diſſ. de Camphora* §. 14.) eam, tanquam remedium in venerea lue ſubigenda excellens, ſaltim in gonorrhoea tam recenti quam veteri (Conf. DESPATUREAUX *Diſſ. Ergo lui venereae hydrargyrus praeſ.* MISSA in HALL. *collect. pract. Diſſ. tom.* 1. *p.* 530.). Quin ad teſtimonium medici fide digni illi datum ſola Camphora axungia Viperarum ſubacta ſanationi luis ſufficit. Sed noua tentamina ſuccedant oportet in rei fidem.

In curatione vlcerum pertinacium ſuperat multa alia celebrata. Id quod cl. COLLIN inprimis multis exemplis

exemplis edocuit. Horum quidem pleraque in extremis inferioribus enata in crure, ad poplitem, in pede, ſed et circa os. Cauſa ſubfuit varia, mox laeſio externa, mox retrogreſſa ſcabies, mox phlegmone (*Caſ.* 21.), mox febris putrida praegreſſa, mox alia labes humorum, rheumatica, arthritica, ſcorbutica. Ex vlcerum numero quaedam gangraenoſa exſtitere (*Caſ.* 6. 9. 15.). Vlcera adeo cancroſa extra glandulas ſita, conſumta fungoſa degeneratione ſanat (*Caſ.* 19.), imo cancrum putreſcentem mammarum retardat (*p.* 146.). Vſus internus largus ad drachmas duas vel tres per diem, quin vno caſu ad vnciam dimidiam (*p.* 64.), combinatur cum externo, dum Camphora vel mucilagine excipitur, vel contrita digitis inſpergitur, qua pulueris forma excreſcentiae delentur. Niſi hoc ſufficiat ad iſtas conſumendas, Camphora ſpiritu Nitri forti in oleum deliqueſcens inſtar lenis eſcharotici applicatur, ſubſequente dein Camphorae pulueris applicatione ad cicatricem inducendam (*p.* 154.). Sic vlcus in digito viri rheumatiſmis obnoxii ferrae laeſione obortum maleque ſanatum Camphorae vſu coaluit (GMELIN in *Schwäb. Beob. z. d. Arzn. tom.* 5. *p.* 71.). Multum adiuuat ſanationem vlcerum crurum ſuffimigium ex Camphora,

ante-

antequam fascia obuoluantur, quam strictius attrahi e re est (METZGER *Adverf. med. P. 2. p.* 88. 170.). Facilis quoque et efficax est applicatio Camphorae cum saccharo albo subtiliter contritae, ita vt istius vncia vna cum huius vnciis duabus commista inspergatur. Hacce ratione cl. FLAJANI (*Nuovo metodo di medicare alcune malattie spettanti alla Chirurgia, p.* 117. *sqq.*) vlcera ampla difficilia curatu, gangraenosa, item a fomite venereo scorbutico vel scrophulosо oriunda, sanauit. Nimirum hocce connubium non modo acre depositum corrigit et putredinem vlceris compescit, sed pus quoque laudabile reddit et cicatricem promouet. Attamen negligi non debent commoda interna, quae vitio peculiari humorum aduersa sunt, et aluum blande subducunt, quum Camphora extus adhibita solummodo vitiosum humorem depositum, non vero eum, qui in sanguine oberrat, subigat. Prodest quoque in insigniori humorum corruptela, eodem cl. auctore (FLAJANI *l. c. p.* 118. *not.*), puluis subtilissimus ex corticis Peruuiani vnciis quatuor et Camphorae vncia vna, post lotionem partis per decoctum Hyperici, mane et vesperi insparsus, superimposito dein linteo carpto et splenio, ope eiusdem decocti humectato; sic paucis diebus pars corrupta a sana seceſſit.

Tumo-

Tumores frigidos indolentes emollit et diſcu-
it ſaepe egregie. Inter hoſce commemoranda
)edemata ſub ſicca eius applicatione. Oleo ex-
)reſſo autem ſi excipitur, iungitur penetrans Cam-
)horae virtus cum emolliente olei; in quo nexu
umores cyſticos ſollicita inunctione ſoluit. Sic
iusmodi tumor latere ſiniſtro abdominis exortus,
)ugno maior, denſitatis ſteatomatis vel atheroma-
is, inunctione bis de die facta intra paucas heb-
lomades diſparuit (WHYTT's *Works p.* 669.). Ace-
um ea impraegnatum emphyſema diſcutit (PLENCK
Pharm. chir. p. 105.). Spiritu vini ſoluta non
eſoluit modo, ſed et roborat, de qua re autem
nfra vberius.

Notanda quoque venit mira iſta Camphorae
)oteſtas, priuandi medicamenta quaedam ſuis in-
commodis vel haec infringendi absque virtutis
remedii diſpendio. Hanc vim in Cantharides ex-
erit, quibus, etiamſi modice vel ingeſtis vel ap-
)licatis, ſtranguria, priapiſmus, mictus cruentus,
lias facile enaſcuntur. JOANNI GROENEVELT M. D.
(*Tutus cantharidum in medicina vſus internus ed.* 2.
Lond. 1703.), qui olim ob renouatum canthari-
dum vſum internum, carceris in Newgate, in igno-

miniam

miniam medicorum, qui eius iudices adfederunt damnatus fuit, hoc inuentum acceptum referimus. Hic Camphora hominem, cui adoleſcentes petu lanter vinum cantharidibus corruptum propina runt, vnde pruritus, punctiones, ardor, ſtran guria, poſt tentata varia incaſſum, diebus quin que iam praeterlapſis, ſeruauit Camphorae ſcru pulis duobus in duos bolos diuiſis et interualle horarum ſex captis (*l. c. p.* 62.). Tempore poſt cantharides ſemper vel cum Camphora miſcuit vel illam ſubiunxit (*p.* 110.). Sicque non veritus eſt cantharidum doſes, etiam ad hodierni tempo ris iudicium nimias, variis in morbis, exulcera tione veſicae, ſuppreſſione lotii, hydrope, prae cipere. Nempe aliquando cantharidum adeo grana ſeptem ad nouem, ſubiuncto poſt bihorium Camphorae ſcrupulo vno, ab eo data (*p.* 111. 147.), vel cantharidum grana duodecim cum Camphorae granis quindecim intra tres horas in gerenda fuerunt (*p.* 104.). Forma bolaris illi in primis placuit. Hacce praeuia luce hodie prae ſcribentes cantharides in pilulis addimus Cam phoram, cuius rei exemplum praebent pilulae a ſummo WERLHOFIO contra rabiem caninam vſur pari ſolitae (Vid. WICHM. *Diſſ. de venenorum quo-*

rundam

rundam virtute p. 31. Cfr. *Hannov. Magaz.* 1766. *n.* 67.). Vel ſubiungitur ſcite cantharidibus qualicunque forma adminiſtratis emulſio camphorata. Imo veſicatorio in eundem finem inſpergitur a cautioribus Camphora vel cum illo ſubigitur, quod additamentum fieri quoque ſolet in vnguento deligationi loci a cantharidibus exulcerati deſtinato. Conſuetudo, in Suecia (ROSENSTEINS *Apot. p.* 83.) et Germania vulgaris, minus vſitata videtur in Britannia, ſede alias ſolidioris praxeos medicae; nam cl. HOME (*Clinical Experiments ed.* 2. *p.* 31.) rem tanquam minus notam proponit; emulſiones magis eodem ſcopo frequentatas vituperans, vt quae oneri ſint ventriculo, eundem relaxent et debilitatem vniuerſi corporis inducant. Iſta ſtranguria ex veſicatorio ſubnata mox ſopita oleo camphorato malleolis pedum inuncta (HOME *l. c.*). In hac Camphorae cantharidibus iunctae efficacitate mirandum, quod ſtranguria eius vſum aliquando excoluerit. Ita foemina ex eius ſcrupulis duobus clysmate iniectis dolores tam inſignes perpeſſa eſt, vt dolores parturientium referrent; et alia mulier ex capto bolo camphorato ſtranguriam paullo poſt ſenſit, cuius non alia ratio reddi potuit (HEBERDEN in *med. Tranſactions vol.* 1. *p.* 471.).

Mercurii vim ptyalismum excitandi sufflaminari addita vnguento inungendo Camphora, Galli varii memoriae prodiderunt. Cl^mo RAULIN (*Observations de Medecine p.* 266.) suffecit in hunc finem pro qualibet Hydrargyri vncia Camphorae scrupulus vnus: attamen suadet initium inunctionis facere parua quantitate, scilicet vnguenti drachmis duabus, et obseruauit celerius sub hac miscela tolli huius symptomata (*p.* 268.). Eiusmodi vnguento mercuriali camphorato, linteo si applicatum fuerit, pustulae venereae infantum commode tolluntur (*l. c.*). Plenius hoc medendi genus describit DESPATUREAUX (*Diss. cit.* in HALL. *Diss. pract. vol.* I. *p.* 531.), suadens, vt a quantitate drachmarum duarum vnguenti, qua per sex dies pergendum, ascendatur ad vnciam dimidiam vno intercalato die, et, si ptyalismus inopinato inciderit, vt Camphorae noua portio addatur vel haec ipsa masticetur; hocce connubio humorum acrimoniam obtundi, eorum aestum compesci, pruritum partium inflammatarum leniri, vitiatas particulas ex corpore expelli, auctor est. Si haecce omnia vera essent, miror, non in vulgare artis exercitium transiisse hocce connubium. Laudibus dictis arbitror, cl. VAN DEN BOSCH (*Hist. constit. vermin. p.* 343.) permotum esse, vt Camphoram

ram mercurio dulci addi iuberet, vtpote quum et ex huius exigua dosi aliquando saliua manaret. Sunt, qui hanc eius efficaciam dubiam faciunt tam argumentis quam suae experientiae innixi cl. VOGEL (*de cogn. et cur. morbis p.* 606.), COLOMBIER (*Code medic. milit. vol.* 5. *p.* 344.), BLOCH (*med. Bemerkungen p.* 169.). Nec homo, cui vnguentum Neapolitanum luis venereae causa illitum fuit, ex granis decem Camph. quouis inunctionis die ore captis expers euasit ptyalismi, qui nec gargarismo ex solutione Camphorae in oleo Oliuarum inhiberi vel minui sese passus est; omnes tamen hocce curationis genere vsi confessi sunt, mitem modo subsequutum saliuae fluxum, nec aegro molestum, nec diuturnum, sed malo sanando parem (SCHREIBER *de pestilentia p.* 63.). In auibus, quibus Camphora indita, largius adeo saliuae profluuium successit, imo quadrupedibus, quorum os spuma foedatum apparuit (CARMINATI *de animalium ex mephitibus interitu p.* 215.). Ast si a Mercurio gummoso vertigo et tremor oboriuntur, ab emulsione camphorata optimum auxilium exspectari potest (PLENCK *Mat. chir. p.* 165.). — Ipse Mercurius addita Camphora videtur nouas vires acquirere, nominatim, si haec cum mercurio dulci et Cherme minerali trituratur;

ſicque inſignem potentiam exercuit in morbis chronicis rebellibus et inueteratis, qui originem ex deprauato ſanguinis ſero, ex vitio herpetico, ex veneno venereo degenerante, obſtructione et induratione glandularum, traxerunt (LASSONE ſen. in *Hiſt. de la Societé Roy. de Medecine de Paris*, *vol.* 5. *p.* 266.).

Nec omitti debet, incommoda quaedam, ex Scilla oriunda, Camphora breui plerumque tolli. Loquor dolores diros per corpus diſperſos, quos acrimonia ſua penetrabili aliquando creat, et conuulſiones, quae in ſenſilibus et irritabilibus facile emergunt (TISSOT *Epiſt. medico-pract. p.* 406.).

Mitigari ea vim draſticorum nimiam, ſi cum iisdem copulatur, legimus (LASSONE *l. c. p.* 265.).

Ita et Opio ſcite additur in vlceribus cancroſis aliisque nimis doloroſis, quum contra ea Opium ſolum plerumque vlcus magis ſordidum et ſanioſum reddat (LASSONE *l. c.*). — Iuncta Opio indolem huius narcoticam minuit, ita vt hoc ſomnum vltra conſuetos limites non protrahat nec ſomnia moleſta, ſubſultus tendinum aliasque agitationes creare valeat, dum tamen probos Opii effectus non ſuffla-

minet

minet (HALLÉ in *Mem. de la Societé de Med. tom. cit. p. 73. ſq.*).

Calcar quoque quaſi ſubiici aliis quibusdam remediis, vt cortici Peruuiano, ſiue in febribus ſiue in gangraena adhibeatur, obſeruatum eſt (LASSONE *loc. cit.*).

Remedium tantae efficaciae ſine dubio aeque facile nocere poteſt, ac prodeſſe, niſi ſcopuli prouida cura euitentur. Non licet illud exhibere plethoricis et rigiditate fibrarum et ſpiſſitudine humorum laborantibus; ſed ſupponit pulſum debilem, mollem, flaccidas fibras. Abeſſe quoque debent congeſtiones ad ſuperiores partes. Si quid horum vitiorum ſubeſt, minui prius debet labes in corpore praeſens, vel connubio Nitri, acidorum ſimiliumque noxa auerti. Primas praeterea vias oportet eſſe colluuie liberas, nec aluo obſtructa decet ea vti. In acutis tutiſſime inſtante criſi vel praeſente et ſub declinationem conuenit. In epidemia febris putridae malignae tamen mox initio auſus eſt illam dare Anglus quidam (Auctor libri *v. d. Wirkung d. Kamphers u. Kalomelas in anhalt. Fieber p. 13.*). Lue venerea affecti non ferunt magnas eius doſes, ſed inde ſpaſmis corripiuntur vel conuulſionibus,

febrisque et alia mala ſuſcitantur; ſub putredine humorum tamen et hiſce conſulit. Maculam Camphorae quidam alliuerunt hanc, quod virilem potentiam exſtingueret (V. e. c. LOSS *Obſerv. medic. p.* 314. qui adeo exſtinctae odoratu exemplum adducit): aſt temere huius vitii accuſatur medicina calidae naturae et tanti in ſanguinis motum impetus; aduerſantur et obſeruationes maioris omni ratiocinio ponderis. Nam deprehenſum, plurimos quotidie in depurandi Camphoram negotio occupatos foecunda et multa ſobole praeditos fuiſſe, et fuerunt, qui ad mitigandos veneris ſtimulos eadem vſi multo magis iisdem vexatos conqueſti ſunt (V. BREYNII *pl. exot. cent. p.* 14. PAULINUS in *Miſc. nat. cur. Dec.* 1. *A.* 6 *et* 7. *Obſ.* 235. *p.* 342.). Idem effectus experimenti in cane catuliente fuit (SCALIGER apud PAULINUM *loc. cit.*).

In vniuerſum conuenit, initium minoribus doſibus facere, niſi vis morbi aliud vrgeat. In febribus acutis exigua doſi grani vnius ad quatuor pluries per diem vulgo acquieſcimus. Quae ill. QUARIN (*Method. medend. febr. pag.* 57.) contra magnas eius doſes in febribus putridis monuit, de febribus acutis aliis tanto maiori iure valent, ſcilicet in multis quibus Camphora maiori doſi exhiben-

hibetur, pulſum euadere celerrimum faciem ruberrimam, oculos toruos, inflammatos, conuulſiones et phrenitidem lethalem ſequi. Anglus anonymus (*Von d. Wirk. d. Kamph. p.* 13.) tamen non dubitauit vna doſi in febre putrida veſperi et mane eius grana decem ad viginti quin ad drachmam vnam aegris exhibere. Chronici morbi maiores doſes admittunt, quarum tamen norma capi nequit a maniacis et melancholicis, qui aliquando Camphoram ad vnciam dimidiam per nychthemerum impune ingeſſerunt, et de quibus conſtat eos et opiata, emetica aliaque ſaepe enormi quantitate ferre. Cl^mo COLLIN in gangraena et vlceribus mali moris magnas doſes placuiſſe ex ſupra allatis conſtat; adeo vt ſimul ſcrupulus vnus, drachma dimidia vel integra et per diem drachmae duae vel tres, imo vncia dimidia (*l. c. p.* 64.), conſumta fuerint. Forma fluida ſaepe ſiccae in pilulis vel bolis praeferenda eſt, ne ventriculus ſingulari quodam loco vellicetur, vnde ſaepe inſignis anxietas, (FOTHERGILL in *med. Obſervations vol.* 1. *p.* 432.). Per ſe in puluerem conteri nequit, facile vero id fit, ſi inſtillata guttula vna vel altera ſpiritus vini vel liquoris anod. min. Hoffmanni emollitur, deinque cum ſaccharo vel alia puluerulenta medicina

miſcetur. Angli ſaepe in bolo cum conſerua Cynosbatos et mucilagine gummi Arabici eam praecipiunt. Commoda miſcela in acutis eſt Camphorae cum Nitro et Saccharo. Si fluida forma placet, adiuuantibus ſpirituoſis dictis ſolutio in aqua vel aceto fieri poteſt, non tamen perfecta, nam multum intra colum non ſolutum remanet. Perfecte vero ſoluitur Amygdalis vel Syrupo emulſiuo trita, item mucilagine radicis Salis ſ. Gummi Arabici ſ. Tragacanthae. Praeſtat mucilaginoſo adiumento praecipue ex gummi Arabico vti, ad exemplum Vindobonenſium (Vid. exempla apud COLLIN *l. c. p.* 156. *ſqq.*), ſicque Nitrum vel Acetum pro neceſſitate addi poteſt. Vitello ouorum illam ſubigere, in acutis ſaltim minus idoneum eſt. In gratiam ſaporis ſyrupus quidam additur.

Pro externo vſu, niii ſufficiat inſperſio, ſoluitur vel oleo expreſſo, vel mucilagine gummi Arabici, vel vitello oui. Poteſt e. c. cum mucilaginis gummi Arabici libra vna terendo miſceri Camphorae vncia vna et dimidia vel vnciae tres, quatuor, et plumaceolis applicatio fieri. Clyſmatis exempla ſupra quoque adfuere, dum nimirum Camphora vel oleo expreſſo vel mucilagine ſoluta iniicitur.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CAMPHORA PVRIFICATA *Ph. Suec. ed. 3. p. 60.* Paratur ſublimatione Camphorae crudae cum calce vſta.

OLEVM CAMPHORAE LIQVIDVM ET BVTYRACEVM *Ph. Wurt. p. 130.* Deſtillatione cum Bolo rubra, qua primum aſcendit oleum fluidum, ſubſequitur craſſius. Huius hiſtoriam ſuccinctam lege in WEIGELII *Progr. de oleis Camphorae* 1786. §. 4. Raro hodie vſurpatur idque extrinſecus ad odontalgiam et defluxiones catarrhales tollendas.

OLEVM CAMPHORATVM *Ph. Edinb. p. 93. Ph. Suec. p. 91.* Soluitur Camphora in dupla quantitate olei Oliuarum vel Lini. Conferatur de hoc SCHULTZII *Diſſ. de Camphora cum oleo expreſſo iuncta* praeſ. AURIVILLIO *Upſ.* 1758. Eximio ſucceſſu in rheumaticis affectionibus fibrarum et artuum rigiditate, pleuriticis et colicis doloribus inungitur. Addi poteſt, quo tenacius cuti inhaereat, tantillum vnguenti Althaeae. Penetrantius fit in rheumatiſmis frigidis addito pauxillo ſpiritus ſalis ammoniaci.

OLEVM BEZOARDICVM WEDELII *Ph. Wurt. p. 122.* ROLFINCII nomen potius gerere debet.

Differt a praecedente oleo proportione Camphorae minori et additamento rubedinis Alkannae et olei de Cedro. (Conf. WEIG. *Progr. cit.* §. 2.). Vſui interno deſtinatum praecipue fuit, vt epitheton indicat, ſed hodie hic euiluit, et contra in morbis, quos modo memoraui, vt praecedens inungitur; ideo minus commode oleum calidae naturae illi admiſtum eſt.

SPIRITVS VINI CAMPHORATVS *Ph. W. p.* 200. Conſtat ex Camphorae drachmis ſex in ſpiritus vini rectificati libra vna ſolutis. A mulierculis ruſticis quidem ſubinde cochleare eius vnum ad tollendum paroxyſmum hyſtericum ingeritur. Sed inter externa praecipue locum tuetur, cuius intempeſtiua applicatione plebs et agyrtae multum ſaepe noxae attulerunt, dum in eryſipelate, podagra vel rheumatiſmis, vel membris gelu correptis illam adhibuerunt. Ad ſtagnantes varios humores diſcutiendos et partes roborandas vtilis. Diſſipat ecchymoſes ex contuſione vel lapſu; item tumores ex puncturis apum. Panaritio praeuertit et medetur (JUSTAMOND *on cancerous and ſcirrhous diſorders, p.* 174). In pernionibus iuuat diſcuſſo liquido ſtagnante cutem quotidie lauare pauxillo ſpiritus vini aquae eadem

adem quantitate diluto (TISSOT *Avis au peuple* .571.). Foueri ſolent eo loca ex fracturis oſſium el vulneribus inſtante tempeſtatis mutatione dolentia: aſt efficaciora proſtant. In deliquio animi el morbis contagioſis graſſantibus confert eundem lfacere.

IVLEPVM E CAMPHORA *Ph. Lond. p.76.* Ex Camphorae drachma vna, Sacchari vncia dimidia, Spiritus vini tantillo contritis, et Aquae bullientis ibra vna. Iam ſupra monitum, imperfectam tantum hac ratione ſolutionem fieri.

EMVLSIO CAMPHORATA *Ph. Ed. p.57.* Ex Camphorae drachma dimidia, Amygdalis ſex, Aquae Pulegii libra dimidia et Sacchari vncia ſemis.

AQVA OPHTHALMICA CAMPHORATA ST. YVES. Formula: ℞. Camph. ℈ij. Sal. Tartari ʒj. Tritis per horae dimidium adde ſenſim Aquae deſtill. Chelid. mai. ℥iv. M. D. S. Eau camphrée de ST. YVES. Eſt egregium collyrium contra debilitatem viſus, dolorem oculorum, ophthalmiam et pruritum palpebrarum. Guttula eius ter vel quater de die inſtillatur ad canthum externum oculi ope cochlearis exigui vel apice ſpongiae; item linteo ea madefacto oculus obtegitur.

Seruan-

Seruantur praeterea in officinis compoſita varia, quibus Camphora ineſt; e. c. SPIRITVS THERIACALIS CAMPHORATVS *Ph. Wurt. pag.* 199. MIXTVRA SIMPLEX LUDOVICI *Ph. Wurt. pag.* 117. VNGVENTVM ALBVM CAMPHORATVM *Ph. W. p.* 239. aliaque, quae hoc loco enumerare non attinet.

479.

Pharm. CVLILAWAN *Cortex.*

Laurus Culilawan; foliis triplineruiis oppoſitis LINN. *Mant. 2. p. 237.* Ipſe LINNEUS ſibi nomi ſatisfacit pro Lauro arborem declarando, quum folia ſint oppoſita, ſed fide modo RUMPHII nititur. Cortex caryophylloides, Culitlawan RUMPH. *herb. Amb. vol. 2. p. 65. tab.* 14. De Coelit-Lawanboom FRANÇOIS VALENTYN *Oud en nieuw-Oſtind. vol. 2. p. 210. tab. 37.* Arbor diffuſe per Orientales inſulas creſcens. Optima autem in quadam parte, Leytimora, inſulae Amboinae locis montoſis deprehenditur.

Nomen corticis Malaicum eſt, quod licet corrupte contractum a voce Culit-Buguliwan idem ſignificat ac corticem caryophylleum et odorem, quem ſpargit. Non omnes officinae pharmaceuti-

cae

ae eum ſeruant, deficitque quoque eius mentio
n multis libris materiem medicam luſtrantibus.
Variat quidem cortex nonnihil facie, textura, craſſi-
ie, colore, item ſapore et odore pro diuerſitate
atriae et parte trunci vel ſuperiori vel inferiori,
x qua deglubitur. Nempe ex Papuanis et Moluccis
nſulis petitus paullo magis eſt fuſcus, quàm Am-
oinenſis. Et in Amboinenſi arbore ſuperior multo
enuior et durior, ſaporis et odoris iucundioris.
Mentio et fit corticis tam albi, quam rubri (RUMPH).
Inde diſcrimen ſpeciminum in officinis obuiorum.
Quod coram habeo eſt fruſtum conuexo planum,
mplum, lineam paullo craſſitie ſuperans, coloris
auo rufi, extus veſtigia quaedam epidermidis gri-
eae relinquens, rugoſum, intrinſecus ſatis glabrum,
ompagis duriuſculae quidem, ſed non firmioris,
uam vt feſtucae diſcerpi queant. Sapor eius acris
romaticus, idem fere ad meum iudicium, qualis
n cortice Winterano, ſed blandior et cum leui
dſtringentis et mucilaginoſi ſenſu mixtus; odor
d illum ligni Saſſafras accedens cum ſenſu Caſſiae
aryophyllatae adſperſo. Radicis cortex proxime
enit et ſapore et vi ad lignum Saſſafras. Auul-
is trunci cortex ſole ſiccatur, nec ſeruari debet
ſtis clauſis ſed locis apertis (RUMPH. VALENTYN.).

Aqua

Aqua eius deſtillata lactea eſt, ſaporis acris aromatici et ſimul amaricantis. Huic ſupernatat oleum pallide flauum limpidum tenue, quod tam parce cortici ineſt, vt ex corticis dimidia libra modo olei dimidia drachma eruta fuerit. Hoc pariter amaricans acre et aromaticum, odoris ex iſto Caryophyllorum et Saſſafras mixto (CARTHEUSER *Diſſ. de cortice caryophylloide Amboin. vulgo Culilawan dicto p.* 17.). Eſt (RUMPH. *l. c. p.* 68.), qui medium inter Caryophyllorum et nucis Moſchatae odorem illi adſcribit; eſt (VALENTYN *l. c. vol.* 2. *p.* 121.), qui cum oleo Caryophyllorum comparat. Ex vncia corticis dimidia extracti ſpirituoſi, ſapore et odore Caryophyllos aemulantis grana quinquaginta eruuntur; extracti autem aquoſi pondus paullo minus, quod Caryophyllorum quidem odorem prae ſe fert, ſaporem vero modo amaricantem leuiter aromaticum. In vtroque extracto mucilaginis latentis conſpicua veſtigia (CARTHEUSER). Iunior cortex craſſitiem cultri habens magis mucilaginoſus eſt.

RUMPHIUS eius iam a. 1680. mentionem fecit: (Vid. *Eph. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 1. *Obſ.* 22. *p.* 55.). Baleyenſes et quidem Jauani cortice vtuntur loco aromatis in cibo. Manducatus oris halitum corrigit

igit et ventriculo robur impertit. In patria corticis quoque additur famoso vnguento Bobori.

In praxi Europaeorum medicorum nunquam valde eminuit, vixque vnquam hodie ab his praecipitur. Nihil igitur reliquum est, quam ex analogia cum aliis aromatibus vel ex analysi chemica virtutes eius hariolari. Roborare ventriculum post colicam et diarrhoeas LINNEUS (*Diss. Observ. in mat. med. p.* 3.) innuit.

Ita olei virtutes nondum satis confirmatae sunt, si ab idea recedas, esse aethereum. Amboinenses ex cortice oleum destillando prouocant, quod iisdem magno in pretio est in retentione vrinae bis de die ad guttas quinque vel sex spiritu vini ingestum. Externe ab iis frequentatur in luxationibus, contusionibus, praecipue autem in paralysi, item doloribus arthriticis (VALENTYN *l. c. vol.* 1. *p.* 121. 255.). Vix crediderim laudem *Olei Coelilaban* inungendi a cl. FUUN (*Verhandel. door de Maatsch. te Harlem vol.* 2. *p.* 8. *vol.* 4. *app. p.* 21.) ad nostrum oleum pertinere, quum indicet (*vol.* 2. *l. c.*), in Amboina ex radicibus arborum nucis Moschatae et Caryophyllorum aromaticorum erui; et pro inunctione balsamum quendam artificialem admisceat.

480.

480.

Pharm. LAVRI *Folia; Baccae.*

Laurus nobilis; foliis lanceolatis venosis perennantibus, floribus quadrifidis LINN. *Syst. veg. p.* 317. Conf. Laurus nobilis TREW in *Nov. Act. nat. cur. tom.* 2. *p.* 381. Laurus vulgaris C. B. Icon: DU HAMEL *Traité des arbres, tom.* 1. *p.* 352. BLACKWELL *Herb. tab.* 175. Arbor dioica calidiorum Europae regionum, vt Hispaniae, Italiae, Galliae meridionalis, item Graeciae. HALLERUS in *Hist. stirp. Helv. n.* 1602. adeo Helueticis eam annumerat, quum circa Montru in omnibus pomariis abundet, imo in Pyri altitudinem succrescat. In frigidioribus regionibus hibernaculorum tutamine per hiemem indiget, ibidemque hortos principum et magnatum inter Citros et Aurantia ornat; rarius vero ibidem planta foemina occurrit.

Graecis Δάφνη dicitur, quod nomen ab Apolline inditum fabulabantur poëtae, quum Ladonis filia formosissima, quam ille deperibat, a matre tellure, vt insidiis eius eriperetur, in arborem transmutaretur (Vide effigiem metamorphoseos in DOMENICO

NICO DE ROSSI *Raccolta di ſtatue antiche e moderne, tab.* 81.), cuius ramo diuulſo verticem coronauit. Hinc Apollo, medicinae et praeſertim rei herbariae inventor et praeſes, in gemmis, nummis, marmoribus aliisque monimentis priſci aeui, Lauro plerumque cinctus apparet, et cithara, pharetra, arae et templa Apollinis Lauro decorata cernuntur. Tranſiit hoc ornamentum in alia quaedam paganorum numina, vt Aeſculapium, filium Apollinis. Apud Romanos triumphantes coronam lauream geſtabant, vel Lauri ramum ferebant, qua et faſces, naues, iacula, lances rel. in ſignum victoriae ornabantur. Sed de hiſce ſimilibusque elegantioris diſciplinae deliciis ſtudioſius egerunt JO. GER. WAGNER (*Diſſ. de Lauro ex omni antiquitate eruta, Helmſt.* et MICH. GOTTLIEB AGNETHLER *Diſſ. de Lauro, Hal.*). Imo vel noſtro tempore heroum, poëtarum aliorumque celebratiorum hominum comas Lauro in imaginibus cinctas cernimus. Quod laudationis genus, vt tot alia, plerumque nonniſi tenuis adulationis impulſu proficiſcitur.

Proceritate ſua, quae ſaepe viginti vel triginta pedes, quin plures, attingit, tum et elegantia foliorum et perpetua viredine excellit. Tonſionem facile fert.

Multas ſuperſtitioſas vires finxerunt veteres de hac arbore, tueri contra fulminis ictum, item daemones, auſpicata et fatalia omnia ferre, et quae alia ſunt; quae modo inſtar teſtimonii venerationis, in qua arbor fuit, commemoratione aliqua digna ſunt.

FOLIA guſtata aroma facile ſuum, cum amaritie et ſenſu adſtrictionis iunctum, produnt, contrita fragrantiam naribus offerunt. Pauxillum olei aetherei deſtillatione praebent; et ſpiritu vini extractum modice calidum et pungens. Veteribus iam folia, baccae ſiccatae et cortex radicis in vſu fuerunt, qui tamen in multis recedit ab iis effectibus, qui hodie obſeruantur (Vid. *Diſſ. citatae*). Vis emetica foliorum, cuius DIOSCORIDES et PLINIUS meminerunt, lectionis forſitan vitio vnice nititur. Verius vires ad alia aromata exſerimus, et ſtomachum ſtimulando et roborando, reſoluendo pituitoſos humores, flatus diſcutiendo, neruos vellicando, circuitum ſanguinis accelerando, menſtruaque pellendo valere pronunciamus. Hiſce neceſſitatibus infuſum aquoſum ore captum confert; ſicuti et in balneis vterinis et clyſmatibus carminatiuis locum habent. Vino cocta inſtar epithematis ad

ſugilla-

fugillationes discutiendas adhibentur. Attamen si ab iis, quae plebs saepe in valetudinis dispendium committit, recedas, tanto magis, si infusum eorundem spirituosum ingerit, culinario vsu ad condienda iura, intinctus rel. magis, quam medico, eminent.

Baccae magis frequentatae, nisi solae, in praeparatis tamen et compositis variis. Oblongae sunt, cerasi exigui magnitudinis, dum succo scatent, saturate coeruleae, post siccationem autem profunde brunae et rugosae, constant ex testa fragili et duobus *seminibus* ouatis altera parte conuexis, altera planis, badii coloris. Odore aeque ac sapore aromatico haec antistant foliis, et amarities longe intensior illis inest, cum sapore simul pingui. Ipsa testa fructus quoque aromatica. Duplex oleum recondunt semina, alterum aethereum, alterum vnguinosum, quod simplici expressione alias consueta non sufficienter elici potest, sed coctionis cum aqua adiumento opus habet. Non spernendo consilio instar praeseruatiui contra contagiones malignarum febrium fructus masticantur. Vires horum ceteroquin, quales de foliis notaui. Non commode in puluerem redigi possunt, hinc in infuso capiendi.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM DESTILLATVM E BACCIS *Ph. W. p.*128. Raro inſtillatum ſaccharo vel mucilagine ſubactum in flatulentis affectionibus praecipitur, ſed vnguentis neruinis et roborantibus admiſceri ſolet.

OLEVM LAVRINVM *Ph. W. p.* 125. Eſt vnguinoſae naturae. Vix vnquam pharmacopolae noſtrates ipſi illud parant, ſed transferendum curant ex Hiſpania, Luſitania, Italia aliisque regionibus, vbi arbor ſpontanea eſt. Ex inſulis Fortunatis id fieri Pharmacopoea Würtenbergica indicat. Duplicis generis eſt. *Alterum* idque vulgatius coctione et ſubiuncta expreſſione elicitur, dum ſcilicet baccae recens collectae et bene maturae conquaſſantur, et hiſce aqua leni igne per decem horas coctis tota maſſa ſacco indita prelo ſubiicitur; quod defluit commiſcetur cum liquido primum prodeunte. Liquido omni refrigerato, oleum in ſuperficie aquae fixum haeret. Si pulpa cum eadem aqua iterum coquitur, noua rurſus portio olei colligi poteſt, ſed deterioris (DU HAMEL *l. c. p.* 351.). Et iſtud quidem probae notae viride eſt, ſpiſſitudine axungiam refert, odoris laurini, ſaporis amari (Conf. de gravitate olei ſpecifica, caloris gradu, ſub quo diffluit iterum-

iterumque coit, cl. BRANDIS *Commentatio de oleorum vnguinoſorum natura, p.* 21. qui vero illud flauo rubens deſcribit.). Saepe axungia admixta corrumpitur. *Alterum* ſimplici expreſſione ſeparatum fere inſipidum et fluidum eſt (LEWIS *M. m. p.* 346.); aëre temperato autem conſiſtentiam axungiae adſciſcit. Huius $\frac{1}{16}$ pars baccarum collecta (SPIELM. *inſtit. Chem. p.* 84.) — Abdomini inunctum vel clyſmate exceptum flatus et colicas ex hoc fonte oriundas diſſipat. Neruina vis in paralyſi membrorum, quibus illinitur, elucet, quo fine etiam linimentis vnguentisque variis additur. Contra ſurditatem proficit aliquando, illud in connubio olei Amygdalarum amararum, vt acre mitigetur, auri inſtillare. Illinitur et articulis nimium relaxatis.

EMPLASTRVM DE BACCIS LAVRI *Ph. W. p.*60. Oleum laurinum haud exiguum pondus inter multa alia aromatica et reſinoſa conſtituit. Haud contemnendum ſub applicatione ſupra abdomen ad flatus diſcutiendos, vomitum ſedandum, et viſcera, nominatim ventriculum, roborandum.

Multas alias formulas officinarum ſaltim Germanicarum dictae Lauri partes intrant; *folia:* e.c. SPECIES PRO EPITHEMATE CEPHALICO *Ph. W.* VN-

GVENTVM MARTIATVM *l. c.*; — *baccae* e. c. ELECTVARIVM BACCARVM LAVRI *l. c.*; EMPLASTRVM DE CVMINO *l. c.*; — *Oleum Laurinum* e. c. EMPLASTRVM DE RANIS *l. c.*; VNGVENTVM PEDICVLORVM *l. c.* VNGVENTVM AD SCABIEM *l. c.* VNGVENTVM AD TABIDA MEMBRA *l. c.* Sed quis in tanta miſcelae farragine dixerit, quodnam pretium ſingulis remediis formulam ingredientibus ſit ſtatuendum.

481.

Pharm. SASSAFRAS *Lignum; Cortex.*

Laurus Saſſafras; foliis integris trilobisque LINN. *Spec. pl. p.* 530. TREW in *Nov. act. nat. curioſ. tom.* 2. *App. p.* 344. *Pl. ſelect.* EHRET. *a* TREW *edit. tab.* 69. *et* 70. Saſſafras arbor ex Florida, ficulneo folio C. B. Cornus mas odorata, folio trifido, margine plano Saſſafras dicta CATESBY *nat. Hiſt. of Carol. tom.* 1. *p.* 55. *et tab.* Cfr. quoad litteraria et botanica cl. TREW in *N. act. N. C. cit. a pag.* 281. et quoad momenta varia, quae ad naturam eius ſpectant cl. KALM *Reſa til Norra America, tom.* 2. *p.* 270.-434. Arbor ſtaturae et craſſitiei pro climatis diſcrimine variae, in temperatioribus Americae ſeptentrionalis

trionalis regionibus, Virginia, Carolina, Florida, item in Canada prope regionem Irocenſium habitans, et quidem in Virginia in ſyluis, ad ſepes, in agris derelictis, terra exſucca (KALM). Inter Mexicanas ſtirpes numerat HERNANDEZ, et Braſilienſes PISO. Propagatur in Europa, pro arboretis, ſeminibus ex America translatis, de quorum multis verendum, ne non iuſtam maturitatem adepta ſint, quum baccae inſidiis auium tantopere in patria pateant. Sero germinant ſubinde tantum ſecundo vel tertio anno poſt ſationem, niſi terrae indita ex America transmittantur. Sed frigoris arbor impatiens eſt, etiamſi adoleuerit. Hinc raro arboreta Europaea ornat, vt tamen adſueuerit climati Batauo et Anglico. Indis Floridanis arbor Pavame dicta.

Commodis in oeconomiam redundantibus in patria non valde celebratur. Lignum inſigni fragore ardet. Palis ſepimentorum idoneum eſt, quum putredini reſiſtat. Aperto aëre autem vermibus valde obnoxium eſt. Cimices lectularii fugantur, ſi lecti inde fabrefacti fuerint, ſed non diutius, ac lignum odorem ſeruet. Ad arcendas

tineas a veſtibus laneis, confert illis ſegmenta eiusdem in ciſtis, quibus ſeruantur, adponere. Vaccae auide ſurculos conſumunt, prout aues baccas. Cortex tingit lanam colore aurantiaco. Flores Theae vices in America agunt (KALM *l. c.*).

Medica ſua efficacia diu apud Floridae incolas in laude fuit, antequam Europaeis innoteſceret. Hiſpani tandem, in quorum poſſeſſionem haec inſula tranſierat, eandem in Europa decantarunt, horumque primus, quantum notum eſt, NICOLAUS MONARDUS (cuius liber primum prodiit Hiſpanice a. 1574. Latine verſus a CLUSIO in *Exotic. p.* 320. *ſq.*). Vires autem arboris tutius ex ſobrio recentiorum temporum iudicio, quam priſtinorum ambigua iactantia, definiuntur.

LIGNVM trunci vilioris pretii eſt, minusque efficax, quam radicis vel ramorum exiliorum. Hinc reiicienda fruſta grandiora eaque, quae mora longiori odorem perdiderunt. Ad huius conſervationem multum facit adhaerens ligno cortex, quem igitur reſiduum eſſe conuenit. Proſtant ligni nomine fruſta longa ſubdura, leuia, albo ferruginea, odoris fragrantis ad Foeniculum accedentis, ſaporis ſubdulcis, leniter acris, aromatici. —

CORTEX

ORTEX extus rugoſus, cinereo fuſcus, interne coris ferruginei, leuis, in ſtrata tenuia diſcerpenus. Ex iudicio ſenſuum cortex praeſtantior: atamen in ligno acquieſci ſolet.

Lignum aquam deſtillatam erogat, Oleum ſſentiale fragrans, odore Saſſafras, pungens, inio coloris expers, aetate autem flaueſcens, et tanem rubicundum. Fundum aquae petit magna elocitate, et ponderoſius oleo Caryophyllorum HOFFM. *Obſ. phyſ. chem. p.* 31.), quod antea habium oleorum ponderoſiſſimum. Quantitas non ab mnibus eadem elicita eſt. Vnus (HOFFM. *l. c.* . 14.) eruit ex libris ſex olei vnciam vnam et rachmas ſex; alius (NEUM. *Chym. vol.* 2. *P.* 3. *p.* 48.) ex eadem quantitate vncias duas, ſecundum quem calculum quaelibet ligni libra illi ſcruulos octo erogauit; tertius (Vid. CRELLS *chem. Journ. P.* 3. *p.* 18.) ex ligni et corticis iuncti liris triginta, olei vncias ſeptem cum drachma vna. Plus gummoſarum partium ligno ineſt, quam reſinoſarum, iſtarum ſcilicet poſt primam extractionem ex qualibet vncia drachmae duae, harum vix drachma vna, cui tamen haud parum gummi adhuc mmixtum (NEUMANN *l. c. p.* 249.). Infuſum aquo-

ſum ſaturate rubrum, lignum redolens et ſapiens. Inſpiſſatum in extractum amaricans et ſubadſtringens eſt. Extractum ſpirituoſum aromaticas partes recondit.

Vſitatius lignum cortice eſt, etſi hic plus virium promittit. Reſoluere humores, ſubigere acre-varium in iisdem latens, ſudorem denique et lotium pellere, vulgaris laus eſt. Aegris ſicci habitus, plethoricis, bilioſis, ad febrem pronis, non conuenit. Grauante pituita et catarrhales affectiones excitante prodeſt. In rheumatiſmis frigidis nec non podagra valde celebratur; quoad hancce labem MONARDI auctoritas non ſuo pondere caret, quum referat, ſe quibusdam decocto opem tuliſſe, quibus ita artus diſtorti fuerint, vt iisdem vti nequirent (*l. c. p.* 321.). Decreuit fiducia in lue venerea, quae olim magna fuit, et qua efficacia Guaiaco fere ſuppar habitum. Hydropem dispellere pluribus exemplis exploratum, quorum memorabile hoc a VALLISNERO (*Ephem. nat. cur. Cent.* 3. *Obſ.* 28. *p.* 54.) propoſitum de moniali ſexagenaria aſcite et artuum hydrope correpta et poſt multa incaſſum tentata tandem decocto Saſſafras bis per diem poto, quod copioſum lotii efflu-xum creauit, ſanata. Similis ſucceſſus in Virginia

crebro

rebro obſeruatus fuit (KALM *l. c. p.* 434.). Praeat infuſum ex raſo ligno ingerere, vulgo autem ecoctum eligitur, quod vel magis vel minus ſaturatum capitur pro conditionum ratione; e. c. ligni vncia dimidia pro aquae libra vna. Habet amen liquida forma id incommodi ſaepe, quod nitio caput tentet, donec illi ſenſim aeger aſſuefiat.

Extractum aqua paratum ad roborandum viscerum tonum in declinatione febrium intermittentium, et ad compeſcendos ſpaſmos hypochondriacorum ad ſcrupulum vnum, ſaepius valuit (HOFFM. l. c. *p.* 15.)

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM LIGNI SASSAFRAS DESTILLATVM *Ph. W.* p. 129. Caute capiendum, quoniam tam calidum eſt. Laudat iuſto impenſius HOFFMANNUS (*loc. cit.* p. 15.) ad leniendam tuſſim, ſpaſmos mitigandos, impuram lympham corrigendam.

EXTRACTVM *Ph. W. p.* 89. reſinoſo gummoſae naturae.

ESSENTIA LIGNI SASSAFRAS SIMPLEX *Ph. W.* p. 82. Fit maceratione corticis cum ſpiritu vini rectificato. Iudicium petatur ex ſuperius dictis.

ESSENTIA

ESSENTIA LIGNI SASSAFRAS COMPOSITA *loc. cit.* Aromata varia admiſta habet. Adhuc minus in vſu.

ESSENTIA LIGNORVM *l. c.* Complectitur, praeter lignum Saſſafras, alia ligna, Guaiaci etc. in conſueto menſtruo macerata. Hinc tanto calidior, nec genio noſtri temporis accommodata.

SYRVPVS SASSAFRAS *Ph. W. p.* 213. Inuſitatus.

SPECIES DECOCTI LIGNORVM *Ph. W. p.* 184. Copia ineſt ligni Saſſafras.

482.

Pharm. BENZOE ſ. BENZOINVM ſ. ASSA DVLCIS.

Laurus Benzoin; foliis ouato lanceolatis integris, fructu nuciformi HOUTTUYN in *Verhandelingen door de Maatſchappye d. Weet. te Harlem vol.* 21. *p.* 265. *tab.* 7. Arbor Benzoini GRIMMI in *Eph. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 1. *p.* 370. *Obſ.* 152. *fig.* 31. Benjuifera arbor GARCIAE *arom. hiſt. in* CLUS. *exot. p.* 156. ARENT SYLVIUS in VALENTINI *Hiſt. ſimpl. p.* 487. Benjamin MARSDEN'S *Hiſtory of Sumatra p.* 123. Arbor, copioſe in inſulae Sumatrae partibus ſeptentrionalibus et media parte creſcens.

Multi-

Multiplex quoad ſpeciem, cui natales Benzoës debentur, error a recentioribus botanicis commiſſus eſt. Peti ex arbore Virginicae originis, a LINNEO Laurus Benzoin dicta (*Spec. pl.* p. 530.), poſt RAIIUM (*Hiſt. plant. vol.* 2. *p.* 1845.), alieno tamen teſtimonio potius quam propriae indagini fiſum, COMMELINUS, cui vocatur Arbor Virginiana Citreae vel Limonii folio, Benzoinum fundens (V. EIVSD. *Hort. Amſtel. tom.* 2. *p.* 189.) ſuſtinuit. Cui iudicio quidem initio ſubſcripſit LINNEUS Eques, dein autem valedicens (*Mant.* 2. *p.* 297.) arborem ad Crotonis genus retulit (Croton Benzoe *Mant. loc. cit. Syſt. veg. ed.* 13. p. 721.), licet ipſe fateretur, ſe nunquam floris vel fructus partes vidiſſe. Filius magni viri Terminaliam anguſtifoliam eandem plantam dixit (*Suppl. p.* 434.), imbecilli tamen nimis argumento ductus, Benzoes matrem declarat. Verum nec haec coniectura altas radices egit; etenim innotuit, ex ramulo ſicco foliis floribusque ornato, Baronetum BANKS permotum fuiſſe, vt eam Styrax Benzoin nuncuparet (V. LODER in BALDING. *med. Journ. P.* 5. *p.* 50.), quam de genere ſententiam ill. vir mihi nuperrime in litteris confirmauit, adiuncta ſpe fore vt in *Philoſophical Tranſactions* breui

breui fides rei fieret. Haud ita pridem (1784.) cl. HOUTTUYN (*l. c.*) ex ficco ramo ſibi a cl. RADEMACHER dono dato perſuaſum cupit, Laurum eſſe cui quidem nomen Benzoin adpoſuit, ſed eius loco Virginianam arborem, quae nunquam, v iam conſtat, Benzoen fundit, Laurum Virginican nominat. Poſſunt quidem omnino varia contr conſociationem cum Lauris moneri, nam ſtamin octo, petala quatuor intra calycem recondita fru ctumque nucem perfectam deſcribit. Aſt cetero quin reliquis botanicis longe accuratius ſtirpem deſcripſit depinxitque, et confirmauit varia mo menta a GARCIA et GRIMMIO de arbore Benzoe memoriae prodita. Haec ratio eſt, cur arboren eousque inter Lauros medicas collocem, donec promiſſa ab ill. BANKS commentatione Styracis eſſ ſpeciem publice euincatur.

Arbor procera vaſtaque a GARCIA deſcribitur quod quidem de arbore aetate prouectiori valer poteſt: ceteri (GRIMM; MARSDEN) modicam ill altitudinem tribuunt, nempe GRIMMIO teſte poſ ſex annos eam exſcindunt et nouum arboretum ex fructibus eius adornant. Ea aetate (GRIMM.) vel quando truncus ad diametrum pollicum ſex

ve

vel octo peruenit (MARSDEN *l. c. p.* 124. Cfr. ESCHELSKRON *Beſchreib. von Sumatra p.* 62.) incidi-tur trunci cortex ſupra ad principium ramorum ſecundum longitudinem et aliquantum oblique ad lignum vsque (GRIMM), vnde Benzoe exſu-dans et ſole aëreque coagulata cultro ſollerter abraditur. Non vltra tres libras profert quaelibet arbor (GRIMM); nec vltra decem vel duodecim annos inciſiones eiusmodi iterari poſſunt (MARS-DEN). Puriſſima Benzoe eſt illa, quae primum profluit, alba, mollis et fragrans (MARSDEN). Optima *Cabeſſa* vocatur, cuius librae 125 ſoluun-tur imperialibus 18 vel 20 (RADEMACHER apud HOUTTUYN), et in Belgium mittitur. Vilior ſpecies ſubfuſca duraque eſt, et peregrina varia admixta habet, quae vel dependent a mora diuturniori, Benzoi poſt effluxum in arboribus conceſſa, ſub qua vento exagitata arena adhaereſcit (GRIMM), vel ſegmentis arboris ſuccisque forſan aliis arboris accedentibus (MARSDEN). Cl. ESCHELSKRON di-ſtinguit in tres ſpecies, quarum vna, *Camayan poeti* vel Benzoinum album, omnino alba, eſſe, et quando in citas liquatur venis rubris percurſa eſſe debet; altera, *Camayan bamatta,* longe minus alba eſt, ſed modo albis quibusdam maculis quaſi

oculis

oculis diſtinguitur, quarum quo maior copia, ec praeſtantius Benzoinum cenſetur: haec pariter ca loris ſolaris ope liquari poteſt, vt in ciſtis ſerue tur; tertia, *Camayan itam*, ſ. Benzoinum nigrum valde impura eſt, nec niſi affuſa aqua feruida emolliri pro conſeruatione in ciſtis poteſt (Conf de hac emollitionis encheireſi in vilioribus ſpecie bus vſitata MARSDEN *loc. cit. p.* 124.). Viliore ſpecies in Arabia, Perſia aliisque Indiae regioni bus conſumuntur ad ſuffitus in templis, item pro fugandis inſectis, et ad corrigendum aërem.

Nunquam fruſtis maioribus plane albis mih comparuit, ſed rubicundo brunis, duris, fragili bus, quibus moleculae albae immixtae. Quo plus earundem praeſto eſt, eo melior exiſtimatur et tum *Benzoe amygdalodes* dici ſolet. Odor eius fragrans gratusque eſt, praecipue ſi teritur vel in calefcit, ſapor ſubdulcis et balſamicus. Candela admota ardet flamma viuida fuliginoſa ſuperſtite carbone nigro. Tota quidem ſpiritu vini ſoluitur tinctura profunde ex flauo rubicunda, quae affuſa aqua lacteſcit, tumque lac virginis dicitur; atta men aqua digeſta eandem fragrante ſuo odore et leui acrimoniae ſenſu imbuit, et poſt exhalatio nem

nem eius remanet salina materia, quae aliquando octauam vel decimam partem totius massae constituit (LEWIS *M. m. p.* 132.). Ita et destillatione aqua impraegnatur eodem odore et sapore item sale eodem, sed nullum oleum aethereum secum vehit. Neque oleis destillatis neque vnguinosis soluitur. Destillatione sicca post praeuiam fusionem idem quod dixi sal surgit, quod excipit oleum empyreumaticum tenue flauicans liquore acidulo mixtum, et post hoc oleum butyraceum, cui quoque salis portio inest. Tenue istud oleum aqua destillatum in naturam oleorum destillatorum transit. Resinosa pars Benzoës segregatur solutione huius in spiritu vini et subsequa praecipitatione per aquam (MAGISTERIVM GI BENZOËS *Ph. Brandenb. p.* 109.). Arbitror hac encheiresi vsum fuisse BERGIUM (*M. m. p.* 761.), dum dicit ex Benzoës vnciis duabus resinae purae drachmas quatuordecim se obtinuisse.

Rarissime in substantia, quam vocant, Benzoe interne adhibetur, sed variis praecipue praeparatis compositisque destinatur. In affectionibus quibusdam pectoris febre destitutis olim commendata, quorsum tussis inueterata, asthma, obstructiones

pulmonum, quae maciem minantur. In ſuffimigiis corrigit aërem corruptum egregieque ſtagnantes humores frigidos diſcutit. Eius exemplum exſtat in pneumatocele puſionum ex aqua intra ſcrotum collecta, quam fumus eius panno laneo exceptus et applicatus diſpellit (MONRO's *Works p.* 577.). Vnguentis odoris grati cauſa aliquando additur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

FLORES BENZOES. Digeſtione cum aqua modice calida (nam nimis calida in coagulum facile tranſit reſina) non omnes, qui inſunt, elici poſſunt; hinc excogitatae aliae encheireſes. Vulgatiſſima eſt per ſublimationem (*Ph. W. p.* 96.) in cucurbita humili orificio ampliori, cui cucullus chartaceus ſupra perforatus ſuperimponitur, per temporis diſtantias varias mutandus. Sic ex libra Benzoes vncia vna et dimidia vel duae florum emergunt, verum oleo multo adhuc inquinati ſunt. Deſtillatione librae vnius in vaſe retorto, et ſeparato per elixiuationem ſollicitam oleo empyreumatico eruuntur florum nouem ad duodecim drachmae (SCHEELE in *Vet. Acad. Handl.* 1775. *p.* 129.). Flores rubrii impuri ſunt, depurandi vel noua ſublimatione cum argilla fiſtularum, vel, quod praeſtat ſolutione in aqua

aqua colatione et cryſtalliſatione ſubſequa. Maxima copia florum eorundemque olei empyreumatici omnino hinc et odoris expertium obtinetur coquendo Benzoën cum aqua calcis recens parata, inſpiſſando miſcelam ad definitum gradum et colando, dein ſpiritus ſalis inſtillatione flores Benzoës praecipitando, quod poſtea affuſa aqua frigida elotum calore modico ſiccatur. Sic ex libra Benzoës florum drachmas duodecim vel quatuordecim lucramur (Vid. hoc inuentum cl. SCHEELE *l. c.*). Alii vtuntur loco aquae calcis ſale alcalino vegetabili (GÖTTLING *Almanach für Scheidek.* 1782. *p.* 157.), vel minerali (GREN in CRELLS *chem. Entdeck. vol* 8. *p.* 112.).

Sunt hi flores ſal eſſentiale, odoris fragrantis, ſaporis aciduli linguam faucesque pungentis, cryſtallos albiſſimas leues ſubulatas lineares formans. Aquae feruidae vncia vna et dimidia ſoluit eius grana ſex; ſed frigidae eadem quantitas modo grana duo (BERG. *M. m. veg. p.* 763.). Cum alcali effervescit et in ſal medium tranſit, cuius exemplum proſtat ſalis ex floribus Benzoës et alcali minerali (DON. MONRO in *Phil. Tranſ. vol.* 57. *p.* 508. *tab.* 24. *fig.* 21.) et aliud ex hiſce floribus et ſale ammoniaco volatili (*l. c. p.* 509. *fig.* 22.), in quo poſte-

riori id ſingulare eſt, quod tempore ſaturationis mercurius thermometri ſex gradus decidat. Maxima pars florum acida eſt et cum terra combinatur, reliqua inflammabilibus partibus ita obuoluitur, vt acidum liberum non prodat, ſed potius dulcedinem (HERMSTÄDT in CRELLS *chem. Annal.* 1785. *P.* 10. *p.* 308.). Stimulant et reſoluendi vim habent. In affectionibus dictis frigidis pectoris item in pituitoſa diatheſi humorum et hyſterico malo quibusdam placuerunt a granis duobus ad quatuor vel ſcrupulum dimidium ſupraque, ſoluti liquido commodo vel vitello oui. Sacchari triti vel aqua ſoluti et naribus excepti ſternutationem cient.

ESSENTIA BENZOËS SIMPLEX *Ph. W. p.* 78. Ex floribus Benzoës ſpiritu Aniſi ſolutis. Rariſſime ore capitur in vitiis chronicis pectoris ad guttas decem vel viginti, ſed ſcopo cóſmetico aquae communi eius tantum inſtillatur, donec lacteſcat. Vigecuplum plerumque aquae vel maior pars capitur. Sic nitor et mollities creditur cutiі conciliari poſſe.

ESSENTIA BENZOËS COMPOSITA *Ph. W. l. c.* Styrax et Balſamum Peruuianum vna cum Benzoë ſoluuntur ſpiritu vini. Vſus idem.

OLEVM

OLEVM BENZOËS *Ph. W. p.* 130. Deſtillatione Benzoës ſicca obtinetur. Suffimentis et vnguentis grati odoris cauſa admiſcetur. Fraudulentis ſeplaſiariis pro corrumpendo balſamo Peruuiano inſeruit.

BALSAMVM TRAVMATICVM *Ph. Ed. pag.* 96. recipit Benzoën. BALSAMVM TRAVMATICVM *Ph. Lond. p.* 74. item; ſed differt.

PILVLAE PECTORALES *Ph. Ed. p.* 86. Intrant flores Benzoës.

MASSA PRO FORNACE *Ph. W. p.* 113.

483.

Pharm. Faba PECHVRIM ſ. PICHVRIM ſ. PECVRIS.

Laurus — —. Ex Lauro quadam fructum ſignificatum prouenire, iam coniectura LINNEI Equ. fuit (*Diſſ. Obſ. in mat. med. p.* 8.), crediderim ob nuclei ſimilitudinem cum eo generis Lauri et odoris ſaporisque conuenientiam. Cel. BERGIUS (*M. m. veget. p.* 327.) vlterius progreſſus quaerit, anne ſit Lauraſter Amboinenſis: Leytun RUMPH. *Amboin. vol.* 2. *p.* 70. *tab.* 15. ?

ductus ſine dubio ſimilitudine quadam cum fructu huius deſcripto et depicto. Non eſſe ex Copaifera, vt olim creditum (*Vetenſk. Acad. Handl.* 1759. *p.* 75.), viſo huius fructu tanto magis conuincor.

Quicquid in hac hiſtoriae fructus Pechurim parte lacunarum ſit: certiora ſunt, quae ſequuntur. Transfertur iſte per Luſitaniam, in quod regnum ex Braſilia peruenisſe gens iſta eminus indicauit: adſcripto ſeminibus tranſmiſſis nomine Faua Pichurim de Maranhon (BÄCK in *Vet. Acad. Handl. cit.*); vnde colligitur creſcere arborem in vicina Braſiliae inſula Maranhon. Alius regnum Paraguay patriam indicat (BERG. *l. c.*). Medio circiter, quo viuimus, ſeculo Stockholmiam illum aduexit ex Luſitania rediens dux quidam nauis bellicae Suecicae, tanquam laudatum ſibi ſpecificum contra colicam et diarrhoeam. Dein experimentis quibusdam bene cedentibus aliquot librae a mercatore Stockholmienſi ex Luſitania coëmtae, quarum pars in exercitu Suecico in Pomerania intra vltimum bellum ſeptenne commorato conſumta. Hiſce aliisque Suecicorum medicorum experimentis publici iuris factis, virtus fructus adeo percrebuit:

vt

vt et passim alibi Europaea pharmacopolia intraret, licet hactenus parcius, quam meretur, formulis medicis excepta fuerit.

Quod ad nos peruenit, non totus fructus est, sed modo NVCLEVS oblongus ouatus nigro brunus subglaber ponderosus, altera parte conuexus, altera concauus cum sulco saepe longitudinali, et hac parte distantia sesquilineae stigmate vel foueola oblonga, corculi vt puto vestigio, notatus. Mox longior est mox breuior a lineis circiter 13 ad 18 Paris., mox latior mox angustior ad lineas 5.6.7. Figuram eius, sed minori forma quam in speciminibus vnquam vidi, expressit *tabula* 1. in *Vet. Acad. Handl. l. c. fig.* 8. *et* 7. Color internus est ex carneo luteus, sed subuariegatus punctulis saturatioribus pallidiori parenchymati intermixtis. Facile cultro discindi vel radi potest, item dentibus subigi. Sapor odorque inter nucem Moschatam et Sassafras medius. Sine omni dubio duo olim nuclei secundum partem concauam iuncti fuerunt thecaque communi obtecti, cuius natura autem nos hactenus latet.

Spuria quoque Faba Pichurim exstat, quam aromatarii aliquando loco verae ex America obti-

nent. Dimidio circiter nucleus huius genuino maior eſt, extrinſecus rugoſus et pallidior, intrinſecus autem altero paullo profundioris coloris, durior, amarior, ſed minus aromaticus. A pharmacopola quodam Stockholmienſi olim aliquot eius exempla acceperam.

Infuſum aquoſum valde odorum ſapidumque eſt. Sub decoctionem ſeminum in puluerem redactorum cum aqua exhalat odor fragrans, inſpiſſatione autem decocti extractum emergit tertiam ponderis nucleorum partem ſuperans. In refrigerato decocto ſupernatat oleoſa ſubſtantia. Reſiduum, alcohole vini perfuſum, illud vix colorat, ſed ſapore imbuit forti et pinguedine flocculenta ſuperficiei deorſum adhaerente. Alcohol vini tingitur per hunc nucleum colore rubicundo oleoque pariter dicto inſtruitur, extractum vero inde paratum acris et feruidi ſaporis eſt, odoris ſaporisque, qualis in nuce Moſchata et ligno Saſſafras (BÄCK *l. c. p.* 77.).

Innui iam, Luſitanis contra colicos dolores et diarrhoeam fructum hunc acceptum eſſe. Plures caſus per momenta narratos debemus cl^mo ZETZEL (*Vet. Acad. Handl. p.* 60. *ſqq.*), qui in dyſenteria caſtrenſi

caſtrenſi febre ſtipata optimo ſucceſſu eo vſus eſt vel praemiſſis euacuantibus, tumque ſubito aluus adſtringitur, vel ſine iſtis, tumque lentius effectum exſerit. Quando lingua ſicca exſtat, absque fructu plerumque ingeritur. Ill. Equ. BÄCK (*l. c.*) eo pluries ſubuenit matronae, phthiſi et colica moleſta cum diarrhoea conflictatae, aliis remediis irritis; item aliam foeminam ex pectore phthiſicam eo liberauit diarrhoea ſua. Profuiſſe illi quoque ſemel torminibus per aliquot dies infeſtantibus viſus eſt. Candidus tamen fatetur, aliquando in Suecia imparem fuiſſe colicis et diarrhoeis auerruncandis, vt itaque cauſae diuerſae ratio ſollicite habenda ſit. Similis ingenuitas in ROSENSTEINIO perſpicitur, licet eo valeret, in matrona ſub grauiditate intra octo dies diarrhoeam coërcere (*Barns ſjukd. p.* 86.), et in phthiſico per duas hebdomades diarrhoeam tolerabilem ante mortem reddere (*l. c. p.* 96.). Alius Suecus, cl. DARELLI (*Socken-Apothek p.*234.), praemitti ſemper in diarrhoea Rhabarbarum iubet, qui et bolos exinde, Electuario Diaſcordii et Gummi Arabico, efformat. Nouum documentum dignitatis, qua in Suecia habetur, hoc eſt, quod ELECTVARIO E SCORDIO *Ph. Suec. ed.*3. *p.*68., multis ceteroquin modis abbreuiato, Faba Pechurim addita fuerit.

HEUERMANNUS (*Bemerk. d. ausüb. Arzneywiff. vol.* 1. *p.* 215.), praemiſſis euacuantibus, multis aliis illum praefert in dyſenteria, quamuis in quibusdam deiectiones aluinae inde crebriores euaſiſſe per aliquot dies viſae fuerint; nec ambiguum efficacitatis hoc teſtimonium eſt, quod intra triginta homines viginti valetudini reſtituti fuerint.

In puluere capi poteſt ad drachmam dimidiam vel ſcrupulos duos bis, ter, quater de die. Eaque forma plurimum virium ſpondet. Pro vehiculo aqua, vinum, vel ſpiritus vini idoneus eſt. Poſt puluerem extracto plurima vis ineſt, non ſpernendo pro iis, qui pulueres nauſeant (HEUERMANN *l. c. p.* 216.). Infuſum et eſſentia debiliora.

CORTEX *Pichurim* dictus, auctore cl. JO. MAYER (in *Abhandl. e. Privatgeſ. in Böhmen, vol.* 5. *p.* 66.), qui hactenus omnium vnus eiusdem mentionem fecit, eidem arbori debetur. Coloris cinnamomei eſt, intrinſecus profundioris extus albidi, optimus cenſendus, qui neque craſſitiem lineae excedit, neque tenuior eſt. Odor valde aromaticus eſt. Caryophyllos adeo et nucem Moſchatam hac in re ſuperans, remotius Ambram fere ſpirans. Sapor valde ſtimulans leniter adſtringens et amari-

cans

cans. Aromatis praeſtantioris nomine dignus eſt. Ex Panama Americes Lisbonam transfertur, creditur tamen et Indiam orientalem patriam habere.

Dum in puluerem redigitur, ſeſe ſegregat pollen valde ſubtilis adhaerens ſuperficiei vaſorum. Et hic ipſe aromate et vi antecellit reliquam partem lignoſam et inertem. Aqua frigida odorem aromaticum maceratione eius acquirit. Vnciae duae exhibent extracti Garayani drachmas $2\frac{1}{2}$, extracti autem vulgaris aquoſi $5\frac{1}{2}$ drachmas, quod ipſum amarum adſtringens et aromaticum eſt. Infuſum aquoſum Vitriolo martis mixtum colorem obſcure brunum adipiſcitur. Infuſum vinoſum minus adſtringens, ſed magis balſamicum et amarum eſt. Aqua deſtillata valde odora. Oleum aethereum calidum, coloris profundi, aquae fundum petens. Praeſentiam ferrearum particularum in cortice magnes detegit (*l. c. p.* 67. *ſq.*).

Carnem melius contra putredinem tuetur, quam flores Chamomillae, ſuppar vero hac virtute cortici Peruuiano. Infuſum corticis aceto factum praecipue vi antiſeptica eminet. Corrigit quoque putredinem iam enatam (*l. c. p.* 69. *ſq.*).

Lisbonae

Lisbonae in dyſenteria, febribus quibusdam, item cum Taffia in malo iſchiadico et podagra, praeconia tulit (MAYER *l.c. p.* 67.). Sed ex propria MAYERI (inde a *p.* 73.) experientia ventriculi debilitati ſubuenit; vomitus pertinaces ſiſtit, imo caſu ambiguo ſingulari choleram deuicit. Dyſenteriam illam tollit vel primo ſtadio, quo adſtringentia alias nocent, ſed efficacior ille fuit verſus morbi finem. In viro, correpto tertiana duplici contra corticem Peruuianum obſtinata, febrem compeſcuit, viresque breui reſtituit. Caſu ſingulari, in connubio limaturae martis, fluoris albi exſtitit medela. Et in hiſce anguſtiis confert, vel puluere vti ad drachmam dimidiam ſupraque ter vel pluries de die, vel et infuſo vinoſo.

? WINTERA.

? WINTERA.

LINN. *Syst. veg. ed.* 14. MURR. *p.* 507. vbi rationem mutati nominis dedi). Drimys FORST. *Nov. gen. plant. n.* 42. LINN. *Suppl. pl. p.* 43.

484.

Pharm. Cortex WINTERANVS s. MAGELLANICVS.

Wintera aromatica; pedunculis aggregatis terminalibus, pistillis quatuor *Syst. l. c.* Winterana aromatica SOLAND. in *Medic. Observat. and Inquir. vol.* 5. *p.* 46. *tab.* 1. Drimys Winteri; pedunculis aggregatis terminalibus GEO. FORSTER in *Nov. act. Upsal. vol.* 3. *p.* 181. Laurifolia magellanica cortice acri C.B. Periclymenum rectum foliis laurinis cortice aromatico SLOANE in *Phil. Transf. vol.* 17. *p.* 923. *tab.* 1. *fig.* 1. 2. Arbor semperuirens ad fretum Terrae Magellanicae, vbi folia minora, et in Terra del Fuego, habitans.

Arbor in Terra del Fuego inter proceriſſimas, saepe altitudinem pedum quinquaginta attingens (SOLANDER). Variat altitudo mirifice pro soli discrimine. Ad fretum Magellanicum enim prope mare

mare et ſolo rupeſtri arbores inſtar fruticum, incuruae et miſere difformes, creſcunt (Conf. FORSTER's *Voyage round the world, vol. 2. p.* 488.) eorumque cortex tenaciter ligno adhaeret; in planitie autem obuiae et ſatis tectae ſitu erecto et proceritate diſtinguuntur, nec exigua elegantia, craſſitie viri mediae magnitudinis (WALLIS in *litt. ad cl.* FOTHERGILL. Vid. *Med. Obſ. et Inqu. l. c. p.* 51.), quini interdum dupla vel tripla (DE WERT in CLUS. *Exot. p.* 79.).

Lignum, quod ſapore caret, aedificiis exſtruendis commodum eſt (VAN NOORT *Voyagie om den geheelen Werelt Cloot p.* 22. *Rotterd.* 1602. 4. *transv.*), et aſſeres aliquando binos pedes cum ſemiſſe inde caeſi fuere (DE WERT *l. c.*). Iacula quoque gens iſta inde parat (*l. c.*). Item inter alia ligna pro foco comburitur (*l. c.*). Folia et cortex aroma (*l. c.* et *Voyages and Diſcoveries to the South and North p.* 68.) conſtituunt, quod peregrinatores crebro eduliis addunt, praecipue ad condiendos muſculos, quibus ſub penuria aliorum ibidem veſci oportet; baccae quoque aromaticae Piperi non diſſimiles (HAWKINS's *Voyage into the South ſea* in PURCHAS *his pilgrimes, vol.* 4. *p.* 1390.).

CORTICIS

CORTICIS primam notitiam Europaeis JOANNES VINTER (*Wilhelmus* a CLUSIO vocatur, *Ioannes* autem n *Voyages of Mr.* JOHN WINTER *into the South ſea vritten by* EDW. CLIFFE in HAKLUYT'S *collect. P. 3. .748. ſqq.*) dedit, qui itineris in mare auſtrale cauſa nno 1577. cum praefecto, Baroneto DRAKE, vt lux nauis fretum Magellanicum transmeauit, ſed ob aduerſam tempeſtatem anno poſt coactus ociam nauem relinquere et redire in fretum, vnde nno 1579. in Angliam reuertit corticis aliquot pecimina ſecum vehens. Horum vnum in manus CLUSII (*Exotic. p. 75.*) poſtquam peruenisſet, in honorem celebris iſtius nauigatoris Winteranum orticem dixit depinxitque. Ex hoc fonte poſtea hauſerunt plures botanici vetuſtiores, DALECHAMP, CASP. BAUHINUS aliique, quae de ſtirpe corticeque rodiderunt. Diuturnum iterum ſilentium de hoc ortice inualuit, donec claſſis Belgica ſub thalaſſircha VAN NOORT, a. 1600. ex freto Magellanico euerteretur et auctor itinerarii eiusdem honorifiam iſtius mentionem faceret (Vid. DE BRY *Ind. ccid. vol. 9. p. 18.*).

Licet autem plures peregrinatores, qui per retum Magellanicum transmigrarunt, arboris ob corticis

corticis egregium vſum, rationem haberent: chirurgus HANDASYD tamen rediens a. 1691. ex freto dicto primam botanicae deſcriptionis adornandae copiam dedit tam ſpeciminibus ſiccis, Baroneto SLOANE oblatis, quam variis de arbore momentis cum eodem communicatis (V. SLOANE *l. c.*). Sed nulla ſufficiens inde floris fructusque notitia capi poterat, hinc ad nouiſſimos annos vsque locus in ſyſtematibus arbori aſſignari nullus. Obſeruationibus Baroneti BANKS et SOLANDRI ſui hoc reſeruatum fuit, quorum hic iisdem comparatis cum ſpeciminibus ſiccis Capitaneo WALLIS ex mari auſtrali a. 1768. reduce allatis, vnde et eximia JO. MILLERI delineatio enata, hiſce defectibus ſubuenit. Fidem deſcriptionis SOLANDRI, tum et eius, quam ſerius meritiſſimus GEORGIUS FORSTER praeſtitit, et iconis dictae, mihi fecit ramus venuſtus, quem in Terra del Fuego a ſe lectum amica manu dedit mihi celeberrimus FORSTERUS, quod tamen ſpecimen floribus fructuque deſtituitur.

Horum igitur examine et corticis detracti curatiori ſcrutinio omnino conſtitit, male corticem Winteranum et corticem Canellam albam dictum tam in libris plerisque e. c. Materia medica POMETI, LINNEI,

LINNEI, VOGELII, CRANZII, SPIELMANNI, quam in officinis pharmaceuticis per tot annorum ſpatium, eosdem habitos fuiſſe, et perperam vtrumque eidem arbori adſcriptum, quum tamen inter eosdem inſigne diſcrimen intercedat; quin expertus ſum aliquando, qualiscunque horum deſideraretur, Coſtum Arabicum a pharmacopola datum fuiſſe. Cautiores tamen quidam in diſtinguendo vtroque cortice vel ſuperioribus noſtrae aetatis annis fuere, quorum e numero ſunt CARTHEUSERUS (*Diſſ. de cort. Winterano* 1760.), LEWIS (*Mat. med.*), *Pharmacopoea Edinburg. ed. Brem.* 1758. (*p.* 4.) vbi Canella alba dicitur *falſo Cortex Winteranus.* Bona mente ſine dubio quidam peccarunt, diſcrimen quidem quoad patriam et externas notas agnoſcentes, ſed viribus conuenire vtrumque ſibi perſuadentes, vt SLOANE (*Nat. Hiſtory of Iam. vol.* 2. *p.* 88. *Phil. Tranſ. vol.* 16. *p.* 467.) et DALE (*Pharmacologia pag.* 328.).

Ex ſerioribus itineribus in fretum Magellanicum tanta genuini corticis copia in Europam peruenit, vt et inde officinis Germanicis probe proſpectum fuerit. Fragmenta vero repraeſentat conuoluta, compacta, dura, diuerſae longitudinis

et craſſitiei, a linea dimidia ad quartam partem, quin tres quadrantes pollicis aſcendentis, ſuperficiei ſubrugoſae, coloris extimo ſtrati cinnamomei, reliqua parte flaueſcentis, ſaporis aromatici, vrentis linguam faucesque, diu linguae inhaerentis, licet lente ſenſum ſuum imprimat, odoris, dum teritur, grati ad caryophyllaceum accedentis. Tubulos exiliores craſſioribus immiſſos, vt de Cinnamomo monui, inter apparatum transmiſſum obſeruaui.

Infuſum eius aquoſum frigidum ſolutione Vitrioli martis ex coeruleo nigreſcit, calidum autem ex purpureo nigreſcit. Vtrumque ſub hac miſcela ſedimentum deponit, quod tamen ex gallis ſub ſimili experimento ſaturatius nigrum eſt, leuius et copioſius (MORRIS in *Med. Obſ.* *and Inquir. vol.* 5. *p.* 56.). Ex corticis vnciis duabus et aquae libra vna et dimidia partitim infuſa extractum ſiccum drachmarum duarum et granorum viginti quatuor emerſit (*loc. cit. p.* 57. Potuit ſine dubio plus erui). Spiritu vini tenui ſub iisdem proportionibus adhibito, extracti drachmae duae cum duodecim granis erutae. Spiritus vini rectificatiſſimus autem duas drachmas modo eruit.

Aqua

Aqua deſtillata gratum odorem quaſi ex Cinnamomo induit, ſed, ad experimentum cl. MORRIS, nullum ſimul oleum aethereum aſcendit, et aqua omnino pellucida permanet; poſt decoctionem reſidui libra vna corticis vncias ſex extracti mollis ſaporis grati aromatici ſuggeſſit (*l. c. p.* 58.). Contrarium iſtis, quae de abſentia olei aetherei dixi, eſt experimentum cl. CARTHEUSERI (*Diſſ. cit. p.* 19.), quo ex libra corticis aqua deſtillata lactea et oleum fragrantiſſimi ſaporis amari terebinthinati aqua ſpecifice leuius tranſiit. Ab aqua ſeparatum hocce, et per aliquot menſes repoſitum, duas diuerſas ſubſtantias obtulit, alteram ſebaceo vnguinoſam albam, quae grauior erat et fundum vitri petiit, alteram leuiorem, dilute flauam, quae iunctim ſcrupuli vnius pondus habuerunt. Infuſum et decoctum aqua factum cum aromate gratam amaritiem iungit. Praeter hoſce ſenſus autem cortex notas prodit adſtringendi potentiae. Nec minus ex dictis experimentis elucet, aquam optimum eius menſtruum eſſe.

In naue WINTERI loco aliorum aromatum cortice hoc cibos condiuerunt. Dein ille ſcorbuti, qui in itinere eius inualuit, efficax medicina

repertus eſt (V. CLUS. *l. c.*). Contra hunc morbum prae reliquis valde inclaruit. Confirmandi hanc virtutem copia in ſimili itinere cl^mo HANDISYD exſtitit (*Phil. Tranſ. vol.* 17. *p.* 923.), qui non ſolum folia arboris huius cum aliis herbis in fomentationibus commiſcuit, ſed corticis drachmam dimidiam cum carminatiuo quodam femine mixtam (ſuperfluum hocce additamentum mihi videtur) in decocto ſcorbuticis egregio ſucceſſu propinauit; plerumque aegri inde inſudarunt: valdeque recreati ſunt. Idem huius ope iis medelam tulit, qui ex eſu carnis Phocae leoninae tam male affecti fuerunt, vt cute ſenſim et per amplas lacinias exuerentur. Aquae bibendae ſcopo antiſcorbutico quoque cortex immittitur.

Fateor quae de corticis huius vi antiſcorbutica dicta ſunt non ſatis definite nec vſui practico ſatis accommodate eſſe enunciata. Nec vllam praerogatiuam prae aliis aromaticis huic concedere poſſum ſub eo morbi gradu eaque conditione, qua aromata conferre poſſunt. Aromata acerrima, vt Piper, Zingiber, BOERHAAVIUS (*Aphor.* §. 1165.) aliquando admiſit, ſine dubio tum quando pallor, frigus, inertia, intumeſcentia corporis, adfuerunt;

anti-

antiſeptici inſtar quoque adiumento fuiſſe probabile. Multis inſuper, arbitror, ſudorem mouendo profuit, quum eius eruptio maxime leuet ſcorbuticos, praecipue eos, quibus hydropica intumeſcentia contingit, qua de cauſa et balnea aromaticis herbis impraegnata ſolatio ſunt (Conf. LIND *on Scurvy p.* 200.).

Iuſto parcius in Europaeorum praxi medica vſu venit, ſine dubio ideo, quod adeo difficile fuerit, genuinum corticem obtinere et confuſio ſpecierum quibusdam mota multos deterruerit. Ex ſupra diſcuſſis tamen conſtat, multo plura expectari ex hocce poſſe, quam a ſimplici aromate, et inter ſtomachica carminatiua neruos ſtimulantia, analeptica, ſudorifera, reſoluentia, quae pituitam ſubigunt, eminentiorem locum mereri. Egregium ſtomachicum, neruinum, et in obſtructionibus glandularum meſenterii ſingulare remedium pronunciat WERLHOFIUS (LITT. in ENGEL. *Specimin. med. p.* 201.). Non magno nominum celebrium numero confirmare virtutes corticis huius ſuppetit, iis exceptis, quae probabili vnice ratiocinio vel miſcela larga aliorum nituntur. Huius indolis ſunt amplae iſtae formulae WILLISII contra ſcorbutum (*Pathol. cerebr. cap.* 7. *p.* 180. *ſq.*) et paralyſin (*de anima brut.*

p. 241. *ſqq.*) obuiae, cuius tamen auctoritas vbiuis in commendationem citatur.

Si admiſcetur remediis quibusdam nauſeoſis, id commodi praeſtat, quod ſaporem odoremque eorum corrigat. Experimenta in Senna et Rheo ſpeciatim capta ſunt (MORRIS *l. c. p.* 58.). Corrigit et aquam corruptam eamque potabilem reddit.

? CANELLA.

LINN. *Syſt. veg. ed.* 14. *p.* 443. (vbi et ratio nominis generici a me data) *Suppl. plant. p.* 247.

485.

Pharm. CANELLA ALBA vulgo, CORTEX WINTERANVS SPVRIVS *Cartheuſ.*

Canella alba MURR. Winterania Canella LINN. *Spec. plant. p.* 636. Caſſia lignea Jamaicenſis Laureolae foliis ſubcinereis cortice piperis modo acri PLUCK. *Almag. p.* 89. *tab.* 81. *fig.* 1. Arbor baccifera laurifolia aromatica fructu viridi calyculato racemoſo SLOANE in *Phil. Tranſ. vol.* 16. *p.* 465. et *Nat. Hiſt. of Jam. vol.* 2. *p.* 87. *tab.* 191. *fig.* 2. vbi ramulus foliiferus et fructiferus depingitur; CATESBY's *Nat. Hiſt. of Carolin. vol.* 2. *p.* 50.

p. 50. *tab.* 50. vbi ramus foliis, floribus et baccis inſtructus. Canella foliis oblongis obtuſis nitidis, racemis terminalibus BROWNE *nat. hiſt. of Jam. p.* 275. *tab.* 27. *fig.* 3. quae floris partes modo repraeſentat. Arbor vulgaris in Jamaica, in aliis quoque inſulis Indiae occidentalis creſcere creditur. Hoſpitatur et in quibusdam hypocauſtis Angliae.

Arbor altitudinem 16, 20, vel 30 pedum attingit, craſſitiem ſurae vel diametrum pollicum 5 vel 6 (SLOANE. BROWNE.). Propagatio eius fit praecipue per aues, quae ingerunt baccas maturatione mitigatas. Omnibus partibus aromatica eſt. De confuſione corticis huius cum Winterano nuperrime egi. Differunt patria, arboris ſpecie notisque variis externis. In memoriam erroris Canellam albam vocauit *corticem Winteranum ſpurium* CARTHEUSERUS. Decorticatio eius cultro fit, qua abſoluta cortex ſiccatur in vmbra. Forma tubulorum conuolutorum plerumque comparet diametri circiter $\frac{3}{4}$ pollicis et craſſitiei lineae dimidiae, quae teſtantur ex ramis fuiſſe collectum; immiſta tamen et deprehenduntur fragmenta planiora et craſſiora, quae originem ex trunco traxiſſe probabile eſt.

Color quòad omnes partes pallidior eſt, quam in cortice Winterano, etiam ſtratum extimum brunum, rugis variis notatum, pallidius eſt, et ſuperficies interna epidermide candida cernitur veſtita. Compages mihi videtur paullo laxior, quam in cortice Winterano. Sapor idem acris aromaticus et caryophyllaeus, ſed ad ſenſum meum non tam amarus: cl. LEWIS (*M. m. p.* 173.) tamen magis amaram Canellam albam deſcribit.

Aqua ex Canella alba deſtillata lacteſcit, et oleum ſecum vehit aqua ſpecifice grauius (SLOANE), flauum vel potius fuluum, odoris grati cinnamomei vel caryophyllaei, ponderis ſcrupuli vnius ex libra dimidia corticis (CARTHEUS. *Diſſ. de cort. Winterano p.* 22.). Extractum aquoſum ex reſiduo poſt deſtillationem paratum valde amarum eſt, item ſpirituoſum inſignem iacturam fragrantiae patitur. Spiritus vini debilior et ſapidas et odoras partes infuſione abſorbet, vnde hoc menſtruum commodiſſimum eſt. Qui in analyſi corticis chemica plura momenta enucleata cupit, alios fontes conſulat (Diſſertationem cel. CARTHEUSER §. 14. et LEWIS *Mat. med. l. c.*).

In

In insulis Americanis plebi vulgare ciborum condimentum est. Tam ibi, quam in Europa, antiscorbuticum habitum, et in America in Martis vel alio connubio in varium finem exhibetur. Oleum destillatum subinde commiscetur cum oleo Caryophyllorum et vna venditur (SLOANE. BROWNE). Si cortex cum spiritu vini destillatur, hic empyreumate suo exuitur (SLOANE).

Non arbitror, vires eius multo inferiores esse istis Winterani corticis, sed praestare omnia ea, quae ab efficaci aromate, quod simul amarum est, exspectari possunt.

ORDO XLI.

SCABRIDAE.

PARIETARIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 763. *Gen. pl. p.* 544.

486.

Pharm. PARIETARIAE *Herba.*

Parietaria officinalis; foliis lanceolato-ouatis, pedunculis dichotomis, calycibus diphyllis. LINN. *Syſt. veg. l. c.* Parietaria officinarum et Dioſcoridis C. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 521. CURTIS *Fl. Lond.* REGNAULT *Botan.* La Parietaire. Planta perennis, in muris antiquis et ruderibus temperatioris Europae creſcens.

HERBA ſaporis herbacei, odoris nullius. Hinc non multum virium promittit, nec experientia multum detegit. Emolliens olim habita eoque nomine colitur inter herbas quinque emollientes, item adhuc in plerisque materiae medicae recenſibus. Sed ſi quid emolliendo praeſtet, id iuſtius aquae calidae vehiculo tribuas. Reſoluendi potius efficacia

efficacia exigua inſtruitur, qua tamen a multis aliis ſuperatur. Inde auxilium deriuo, quod in lotii retardatione aliquando praeſtitiſſe legitur. Ita ſuccus expreſſus ſaccharoque edulcatus pondere vnciarum trium mirifice lotium mouit (MATTHIOLUS in DIOSC. *p.* 782.). Decoctum eiusdem quoque, abſtergendo vias vrinarias, arenularum et muci viſcidi excretionem adiuuare exiſtimatur; hinc alternis diebus olim cum Vua vrſi data (BARBEIRAC *Medic. conſtit.* 1751. *p.* 163.). Veram vim lithontripticam illi ineſſe, quis iure hodie amplius credet, cuius nomen tamen multoties immerito diuretica tulere. Cataplaſmatis forma regioni pubis perinaeique aliquando applicata ad mictum leuandum, quo caſu vix niſi in tepore aquae propriaque huius relaxandi potentia opem quaerere licet. Nec in enemate ad praeſtantiam vere emollientium ex mucilaginoſorum tribu accedit.

DORSTE-

DORSTENIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 137. *Gen. pl. p.* 62.

487.

Pharm. CONTRAYERVAE *Radix.*

Dorſtenia Drakena; ſcapis radicatis, foliis pinnatifido-palmatis integerrimis, receptaculis ouali-bus LINN. *Syſt. veg. l. c.* Dorſtenia Dentariae radice, ſphondylii folio, placenta ouali HOUSTOUN in *Phil. Tranſ. vol.* 37. *p.* 196. *fig.* 1. Tuzpatlis HERNANDEZ *Rar. med. nov. Hiſp. theſ. p.* 147. *cum fig.* absque flore. Planta perennis in noua Hiſpania prope vera Cruz, ſolo elato.

Dorſtenia Houſtoni; ſcapis radicatis, foliis cordatis angulatis acutis, receptaculis quadrangulis LINN. *Syſt. l. c.* Dorſtenia Dentariae radice folio minus laciniato, placenta quadrangulari et vndulata HOUSTOUN *l. c. p.* 197. *fig.* 2. Pl. perennis, in locis rupeſtribus circa Campechy creſcens.

Vtramque aſſignat cl. HOUSTOUN, qui hactenus vnicus eſt, qui plantas hasce curatius ex viuis ſpeciminibus deſcripſit, matrem radicis Contrayervae in medicina vulgo vſitatae, vtpote quum characteri-

racteribus et virtutibus radices vtriusque conueniant. LINNEUS (*Hort. Cliff. Mat. med.* et *Spec. pl. p.* 176.). Dorsteniam Contrayeruam suam indicavit, nescio, qua auctoritate. Facile tamen incautis imponere potest Hispanica vox Contrayerua, quae idem significat ac Herbam contra (venena), quo honorifico titulo plures stirpes condecoratae ab Hispanis fuere. Etenim HERNANDEZ (*l. c. p.* 301.) speciem Passiflorae, Passifloram normalem LINN., illa insigniuit. Et JUSSIEU (*Mem. de l'ac. R. des sc.* 1744. *p.* 377. *tab.* 17.), illam retulit ad radicem Psoralaeae pentaphyllae LINN. in Hispania loco vetustioris Contrayeruae praeceptam, cum qua pariter et notis externis et viribus congruere asseverat. De aliis plantis huius nominis aegrius iudicatur, vnde difficultas enascitur aetatem eius, qua in praesentia vtimur, radicis determinandi. Nomen et laus contra venena qualiscunque generis primum a NICOL. MONARDO (V. CLUS. *Exot. p.* 311.) memorata. Radicem Drakenae CLUSII (*Exot. p.* 83.), in Peru oriundam, nostram officinalem esse, nondum firmis satis argumentis persuadeor, licet centeni alii, MORISONUS, RAIUS, NEUMANNUS, LEWIS, SPIELMANNUS rel. non dubitent; nulla enim ibidem descriptio praesto est, nulla effigies, figura

radicis

radicis aliena, nisi credideris, in via fibrillas fuisse plurimam partem detritas et deperditas, sapore praeterea instructa declaratur nonnihil adstringente linguamque exsiccante, licet agnoscat manducatione protracta mitem acrimoniam relinquere, odoris autem expers. An Contrasjerva (ita scribit) cl. DES MARCHAIS *Voyage en Guinée et à Cayenne, tom. 3. p. 254.*) huc trahi possit, non certo dixerim, quam in Guiana spontaneam sustinet; quod si ita esset, mirarer, quod AUBLETUS eandem omiserit. Non licet ex virtutis stirpium conuenientia, vel radicum aliquali similitudine cognationem botanicam hariolari, contra quam regulam in hoc speciatim argumento peccauit WEDELIUS (*Diss. de Contrayerua resp.* DOELLINO *cap.* 1.).

RADIX extrinsecus rubicundo bruna, interne alba, ex trunculo nodoso et tuberculato pollicem vnum vel alterum longo et pollicem dimidium circiter lato emittit ad latera et deorsum copiam fibrarum longarum ramosarum tenuium, tenacium, nodosarum. Sapor odorque fibris longe debilior est, quam trunculo, qui masticatus sensum acrimoniae cum leui amaritie linguam osque diu calefacientis et stimulantis excitat. Odor aromaticus.

maticus. Nullum vestigium adstringendi potentiae detegit Vitriolum martis. Decoctione cum aqua haec tam mucilaginosa redditur, vt per filtrum transigi nequeat (LEWIS *Mat. med. p.* 230.). Aquae caloris ope impertit colorem profundum ex bruno rubicundum, et longe plus haec abripit, quam spiritus vini, qui tincturam gratius rubicundam praebet, ita vt extractum aquosum primum pondere spirituosum pr. duplo fere excedat (V. NEUM. *Chym. vol. 2. P. 2. p.* 167. LEWIS *l. c.*). Debilior est sapor aquosi quam spirituosi, nam hoc manifestius prodit saporem radicis et diu in ore acrimoniae quasi vibrantis et caloris impressionem relinquit.

Ridiculum est praeconium ex patria Contrayeruarum, qualescunque plantae intelligantur primo profectum, contra quaeuis venena valere (V. MONARDUS *l. c.* qui modo mercurium sublimatum excipit; HERNANDEZ *l. c.*; item DES MARCHAIS *l. c.*), animantium, stirpium, contagiorum rel. Ast non multo aptius prudentiusque illud est Europaeorum, quo alexipharmacum nostra Contrayerua nuncupatur, nomine vagae multiplicisque notionis. Si restringitur potentia eius ad eam in febribus malignitatem, quae vel putredine humo-

humorum, vel virium proſtratione, vel tardante vel retrogreſſa exanthematum eruptione continetur, nihil eſt, quod opponi poſſit, quum fidem experientia confirmet. Multis medicis quoad haſce virtutes cum Serpentaria Virginiana pari paſſu ambulat, cuius tamen amarities inſignis iam docet, non omnino conuenire. Potentiorem vim in vniuerſum Serpentariae tribuo. Antiſepticam Contrayeruam eſſe vel inde probari poteſt, quod carnem praeſeruet contra putredinem tam fortiter, vt eius grana ſex hac in re ſuperent grana ſexaginta Salis communis (PRINGLE *Diſ. of the army. App. p.* 21.). Aſt in febribus putridis euidentius hoc elucet, in quibus nominatim Angli nos de effectu certiores reddidere (Vid. WILLIS. *de febribus p.* 138. HUXHAM *Oper. tom.* 1. *p.* 353. PRINGLE *l. c. p.* 310.). Pro gargariſmate radix haec quoque conducit in anginam putrida in connubio Caricarum cum aqua cocta addito aceto vini (*Med. Pract. of the Lond. Hoſp. p.* 9.). Vis cardiaca enitet in febre lenta neruoſa, in qua etiam iuuat inſtar blandi diaphoretici (HUXH. *Op. vol.* 2. *p.* 84. 86.). Iuncta vi in expellendis exanthematibus prodeſt. Simplicitati ſi litandum, in puluere datur ad ſcrupulum vnum vel drachmam dimidiam, vel in infuſo ad drachmam ſeſquialteram ſupraue. Decoquendo aliquid virium perit.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PVLVIS CONTRAYERVAE COMPOSITVS *Ph. W. p.* 149. Inconcinna formula ex abſorbentibus variis, Succino, Croco, Coccinella, Serpentaria et Contrayerua.

PVLVIS CONTRAYERVAE COMPOSITVS *Ph. Lond. p.* 88. Ex Chelis cancrorum et hac radice. Amplior contra conſuetudinem formula *Ph. Ed. p.* 72. dum nimirum Serpentaria Virgin. cum Croco eandem intrant. Sed in nouiſſima editione a. 1783. excluſa omnino.

PVLVIS BEZOARDICVS ANGLICVS *Ph. W. p.* 145. Farrago.

FICVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 774. *Gen. pl. p.* 555.

488.

Pharm. CARICAE.

Ficus Carica; foliis palmatis LINN. *Spec. plant. p.* 1513. *Amoen. acad. vol.* 1. *p.* 215. 225. Ficus, Figuier DU HAMEL *Traité des arbres Fruitiers, tom.* 1. *p.* 207. *tab.* 1. 2. Ficus communis C. B. Συκη Graecis. Icon: REGNAULT *Botanique* Le Figuier; JO. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* Partes ſexuales accurate expreſſerunt figuris PONTEDERA *Anthol. tab.* 11. *ſect.* 2. DU HAMEL *Traité des arbres et arbuſtes p.* 235. et flores maſculinos nominatim BERNARD in *Obſerv. ſur la Phyſique l'hiſt. nat.* etc. *tom.* 29. *tab.* 1. Arbor in Aſia, inſulis Archipelagi, Sicilia, Italia, Gallia inferiori, Hiſpania, locis montanis et editis ſpontanea. Aptius inter monoicas quam polygamas referri videtur. In frigidioribus Europae regionibus per hiemem frigidaria requirit, aeſtate autem ſub dio fructus edules gerit. Solum fert varium tam pinguius, quam ſiccius, adeo vt in hoc dulciores fructus et placidiores eroget, quin imo inter rupes creſcat.

ſcat. Culta ſtationem meridiei aduerſam, et probe vel decliuitate ſoli vel muro contra ſeptentrionem et occidentalem plagam munitam, requirit. Propagatio fieri poteſt demerſione ramorum, vel inſitione, item ſatione ſeminum ex fructibus bonae notae extraneis, qui non niſi ſolis ope ſiccati fuerunt. Ipſi fructus bene maturi in hortis cultarum Ficuum, ſaltim in Gallia, ſemina germinationi commoda praebent (DU HAMEL).

Multas Varietates complectitur, quarum cognitio ex TOURNEFORTIO (*Inſtit. rei herbar. tom.* I. *p.* 662.) et HAMELIO (*Traité des arbres et arbuſtes, tom.* I. *p.* 236. item *Traité des arbres fruitiers, loc.cit.*) petiti poteſt. Nonnullae fructu globoſo, aliae fructu longo pyriformi inſtruuntur, quibusdam caro albida, aliis caro rubens ineſt, ita et epidermis colore mox violaceo mox viridi vel luteo tingitur.

Quod pro FRVCTV habetur, nihil eſt, niſi receptaculum carnoſum, media parte cauum et oſculis numeroſiſſimis diuerſi ſexus veſtitum, ſupra squamulis aliquot tam arcte clauſum, vt vix foraminulo, quod vmbilicum vocant, hiet. Ad tanto beriorem fructuum prouentum obtinendum, artem tam iam antiqui exercuerunt, quae caprificationis

nomine inde ab eorum tempore claruit, et cuius meminerunt THEOPHRASTUS, SVIDAS, PLINIUS aliique veterum. Quomodo illa ineunte hoc feculo in insulis Archipelagi miranda patientia per duos menses administraretur, edocuit nos TOURNEFORTIUS (*Voyage du Levant, vol.* 1. *p.* 130. *Mem. de l'ac d. sc. de Paris* 1705. *p.* 340.). Simili artificio vti Melitenses ex narratione cl. GODEHEU DE RIVILLE (*Mem. prèsentés à l'ac. d. sc. tom.* 2. *p.* 369.) constat. Et in Sicilia pariter receptum esse, litterae cl. SESTINI exponunt. Exstant nimirum arbores quaedam, quarum fructus sibi relicti effoeti grossorum forma decidunt; *Ficus domesticas* auctores (TOURNEF. *Voyage*) nuncupant. Super hisce autem si suspenduntur vel alligantur fructus *Ficus sylvestris*, quam recentiores vocant, vel Caprifici antiquo nomine, transmigrant ex iisdem insecta quaedam exigua alata in fructus alterius arboris maturandos. Quod si factum fuerit, grossi huius paullo post intumescunt et ad maturitatem perueniunt. Insectum, quod hocce beneficium patrat, Psenem vel Culicem ficarium nominauit antiquitas. LINNEO (*Syst. nat. tom.* 1. *p.* 919.) Cynips Psenes dicitur, ample descripta ab HASSELQUISTIO (*Resa til heliga Landet p.* 424. sub nomine Cynipis Ficus. Cfr. et BERNARD in *Journ. de Phys*

1786

1786. *tom.* 29. *p.* 28.), et depicta a PONTEDERA (*Anthol. p.* 228. *tab.* 11. *n.* 2. *fig.* 12. 13. 14.) ex ficcis exemplis et vitro auctis. In diſciſſo fructu, qui huius ope maturuit, ex immiſſis ouulis, quibus aculeo foeminarum ventrali aditus paratur, ſemina ſingula vermiculum continent, vel perforata conſpiciuntur, vel vermiculi quoad partem protuberant (GODEHEU *l. c. p.* 371.), et ſecundum directionem piſtilli apertura ſemper obtinet, per quam Cynips egreditur ex quouis ſemine. In ſylueſtribus Ficubus Gallo-Prouinciae Cynipes pariter reperiuntur, nec vltra menſis ſpatium ibidem requiritur, vt laruae ad vltimam metamorphoſin perueniant (BERNARD *l. c.*). Sed nulla ibidem caprificatio adhibetur, quae et in Italia, vbi olim inualuit, iam omnino negligitur. Quid inſecta haec ad foecundationem conferant, definire non expedita res eſt. Sunt qui Ficus domeſticas dictas foeminas putant; Ficus ſylueſtres autem vel Caprificos, maſculos (Vid. LINN. *Diſſ. de Ficu* in *Amoen. l. c.*). Quod ſi ita eſſet: credi poſſet ex analogia Palmarum quarundam et Piſtaciae verae, de quibus nouimus, floribus maſculinis appenſis vel polline adſperſo, foeminas foecundari, item ratione habita miniſterii inſectorum praecipue ex apum genere, quorum

pilofo et vnguinofo corpori pollen adhaeret, in foeminis plantarum dioicarum foecundandis, ex hifce, inquam, indiciis credi poffet, Cynipes pfenes polline mafculino obtectas illud h. e. foecundationis materiem in foeminas per vmbilicum arctum foemineorum florum transferre. Aft cl. GODEHEU (*l. c. p.* 317.) in Ficubus domefticis floſculos vtriusque fexus inuenit, fed fructus etiamli in fummo maturitatis gradu ficcos farinofos, liquore melleo deftitutos. Hic idem quoque obferuauit, Cynipes, poftquam ex Ficubus fylueftribus euolauerint, etiamfi initio farina obtectas, exfpectare fex vel feptem minuta prima temporis, donec liberauerint alas fuas a polline, tumque modo ex nigredine nitentes noua habitacula occupare (*l. c. p.* 376.). An igitur Cynipes hae non foecundationi inferuiunt, fed puncturis fuis modo fermentationis fpeciem producunt, fine qua fructus *feriores*, dum arbor prioribus prouentibus iam eneruata fuerit, maturationem affequi nequeant, prout obferuamus accelerari maturationem pomorum, prunorum, aliorumque fructuum vermium puncturis? Videtur. Huic opinioni, ad quam iam refpexit eximius TOURNEFORT cl. GODEHEU DE RIVILLE noua fulcra fubiecit. An adeo caprificationis beneficium ad

eam

eam modo ſimplicitatem redit, quod inſecta vmbilici ſquamas erodendo liberiorem aëri ad interiora acceſſum parent? cui ſententiae Siculorum cl. SESTINI (*l. c. p.* 21.) experimentum robur aliquod ſubminiſtrat, qui ſcilicet acu perforans vmbilicum vel caute illum dilatans in Ficu domeſtica eodem ſcopo potitus eſt, quin imo TOURNEFORTIUS ficos in ipſa Gallo-prouincia citius matureſcere refert, ſi vmbilicus calamo oleo peruncto pungitur.

Quicquid horum ſit, copia fructus caprificatione mirifice augetur, ita, vt quum in Gallia vna arbor vix libras viginti quatuor ferat, in Archipelago libras ducentas et octoginta lucrentur (TOURN. *Voyage l. c. p.* 130.).

Fructus maturus non diu absque putredine ſubſequa ſeruari poteſt. Hinc ſiccandus eſt, id quod vel calore ſolari fit, vel ope furni. Poſterior modus negligi nequit, ſi caprificatione maturatio facta, nam vermiculi eorumque oua necari debent, ne ipſe fructus deſtruatur. Inde autem fit, vt longe minus gratiae Graeciae fructus prae ſe ferant, quam Europaearum regionum. Ratio quaerenda tam in maturatione coacta et inſectorum latentium, quae ſimul manducantur, con-

nubio, quam caloris artificialis vehementia. Ciſtulis immiſſae fici transferuntur in formam orbicularem compreſſae, coloris flaueſcentis pulpa dulciſſima ſubuiſcida, intra quam copia latet ſeminum flauorum exiguorum lenticularium maſticatione facile frangenda. Maiores quales quae ex Smirna nomen gerunt, mora per ſuperficiem exſudant ſaccharinam materiem, quod ſi vberius fit, in detrimentum fructus contingit; *Caricae pingues* autem in officinis vocantur fici hacce materie obductae. Maſſilienſes fici reliquis minores ſunt, ſed ſapidiores, in paruis corbibus transferri ſolitae. Praeſtant cute molli et pulpa ſemineque flauo inſtructae, digitis facile cedentes, ſaporis mellei; repudiandae autem ſunt durae, inſectis eroſae, colorisque profundi.

Quanta vis caloris in mutanda natura fructuum ſub maturatione ſit, in ficis abunde experimur, vt quae, prout reliquae arboris partes, dum immaturae ſunt, humore lacteo acri nauſeoſo ſcatent, tamen maturae ſuccum blandum ſanumque ſuggerunt. Fructus recentes perfecte maturi valde molles et ſuccoſi ſunt. Facile igitur concoquuntur, nec nocent copioſius ingeſti, niſi modus nimium

nimium excedatur; tum facile dabo, eos et ventriculum labefactare, tormina creare et aluum ſoluere. Exſiccati palato magis placent, nec repudiantur in ſecunda menſa, vel delicatiorum hominum. Probe nutriunt in obeſitatem vsque tam homines quam bruta. Athletarum eſca quondam fuiſſe fertur. Panis hordeaceus et Caricae conſtituunt praecipuum alimentum apud paganos et monachos inſularum Aegearum (TOURNEF. *Voyage l. c. p.* 130.). Ita in regionibus Europae meridionalibus, vbi Vitibus Ficus interſeruntur cuſtodes vinearum conducti vix aliis cibis veſcuntur, quam ficis, vuis et parco pane, et nihilominus impingueſcunt. In Vaſconia porcis ſaginandis proiiciuntur, vt taceam alia exempla animalium, quae inde opimantur (LINN. *Differt. p.* 237.).

Emolliens, lubricans, inuoluens vis per mucilaginoſas partes, et blande reſoluens demulcensque per dulcedinem, quae ineſt, medicaminis nomine quoque fructus dignos facit. Hinc in tuſſi, raucedine, item in nephritide, ſtranguria, colica ſaturnina, pereximii, et vſum Dactylorum, Paſſularum, Iuiubarum ſuperfluum omnino reddunt. Iuuat eo ſcopo eſus vberior Caricarum, ſed facilius trans-

fertur eorum vis ad remotiora interni corporis loca infusi vel decocti forma. Vnde raro infusum theaeforme in affectionibus pectoris absque eorum connubio praecipitur.

In angina inflammatoria gargarisma idoneum inde cum aqua vel lacte paratur, quando siccitas et rubedo faucium emolliendi potius quam discutiendi necessitatem subesse indicat. Dissectae et assatae super carbonibus fici egregie abscessus maturant. Sic harum portione admota isti in gingiuis enati ad rupturam disponuntur; vel nisi applicationem doloris vehementia ferat, conducit lac Caricis coctum ore retinere. Ano inditae suppositorii vices agunt.

Infrequens est vsus succi lactei, qui sauciata arboris aliqua parte exstillat. Acrimonia illi tanta inest, vt illitus crebrius verrucis eas sensim deleat. Commendatur et eodem fine succus foliorum expressus, qui per annum conseruari se patitur, mane et vesperi penicillo illinendus praecipue ad basin (*Hann. Magaz.* 1766. *p.* 943.). Olim in lepra lichenibus aliisque cutis efflorescentiis chronicis placuit.

VRTICA.

VRTICA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 709. *Gen. pl. p.* 486.

489.

Pharm. VRTICAE *Herba.*

Vrtica dioica; foliis oppoſitis cordatis racemis geminis LINN. *Spec. pl. p.* 1396. Vrtica vrens maxima C.B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 746. REGNAULT *Botan.* La grande Ortie. Pl. perennis, ad vias, ſepes et locis ruderatis obuia.

Siſtitur iam planta vulgatiſſimarum vna, quae, vtut ideo ſpernatur, neque commodo ſuo oeconomico nec medico tamen caret. Ineunte vere ſtirps tenella inſtar Braſſicae cocta absque moleſtia editur. Olere hocce auidius ingeſto aluus laxatur, lotiumque largius manat. Vrtica recens quoque pecoribus grata et ſalubris eſt, niſi autumno colligatur, dum vel inſectis araneis vermibus ſcateat vel aetate aſperior euaſerit. Poteſt loco foeni ſtramini interſeri, vel aqua calida perfundi et ſtatione per noctem conceſſa mane vna cum latice bruno pecori porrigi. Vaccis inde augetur lac idque multo cremore inſtructum, pingueſcuntque inde laete

laete (*Duisburg. gelehrte und gemeinnützige Beyträge, Jahrg. 3. St. 21.* in *Hann. Mag.* 1785. *p.* 366. Cfr. *K. Vetenſk. Acad. Handl.* 1747. *p.* 79.). Grata flavedine quoque inde butyrum imbuitur. Oues ſicca herba per hiemem egregie ſaginantur (LINN. *Gothl. Reſa p.* 302.). Gallinae ex foliis ſiccis et aqua coctis feruntur vbertim per hiemem oua parere, idemque contingere legitur feminibus maturis pabulo admiſtis (Ex *Journal economique* in *Hann. Mag. l. c. p.* 364.). — Inſtar Cannabis Linique tractata funibus et telis parandis idonea eſt. Spem excitare iam potuit eius cum Cannabi cognatio et vſus Vrticae cannabinae in Ruſſia creber (Apud Baſchkirros: FALK *Beyträge zur topogr. Kenntniß des Ruſſ. Reichs vol.* 2. *p.* 254. Cfr. *Vetenſk. Acad. Handl.* 1747. *p.* 59.). Filum valde tenue album et tenax praebet (*Hann. Magaz.* 1775. *p.* 31.). Praeterea inſignem altitudinem aſſequitur, in Kamſchadalia ad orgyam ſeſquialteram quin duas (*Stralſund. Magaz. St.* 5. *p.* 423.), in regione Baſchkirorum ad tres vlnas ſupraque (*Petersb. Journ.* 1778. *p.* 371.); apud nos quidem minorem duorum trium ſupraque pedum. Cultura eget vel nulla vel non ſumtuoſa, quin perennitate commendabilis ſtirps. Kamſchadalenſes praeparationis aptae ignari

ignari nonnisi ad retia piscatorum breuis durationis illam adhibent (*l. c.*). Sed Baschkirri, Barabinzae, Ostiaki aliaeque Russicae gentes sagaciores ad vestes eam extendere noscunt (RITSCHKOW in *Petersb. Journ.* 1778. *p.* 370. *sqq.* PALLAS in BECKMANNI *Beytr. z. ökonom. Technologie etc. P.* 1. *p.* 148. et FALK *l. c. p.* 253.). Quin Chinenses vendunt fraude fericeas telas, quarum prima stamina (Upränning, Aufzug) ex filis Vrticae constant. Pro norma culturae et praeparationis esse possunt consilia cl. HOLMBERGER in *Vet. Acad. Handl.* 1774. *p.* 253. item suppeditata in *Hann. Magaz.* 1785. ex *Journal economique* et *Duisburg. gel. u. gemeinnüz. Beyträge, Iahrg. 3. St.* 21. FALK *l. c. p.* 253.). In Europaeis regionibus hactenus res in paucis modo experimentis substitit, quorum quaedam a membris societatis oeconomicae Angersii (*Journ. econom. l. c.*) item in ducatu Wurtenbergico (*Hann. Mag.* 1771. *p.* 1299.) capta innotuerunt. Sed commendari serior eius adhibitio paganis praecipue pro amictu, funibus, retibus maxime meretur. Chartae ex Vrtica paratae quoque exempla dedit cl. SCHÄFFER. Vrtica hac plantata circa apiaria arcentur ranae (temporaria L.), quae apibus impedimento sunt examina agentibus; eamque ranis infestam esse inde

inde et cognoſcitur, quod ranâ vaſe, cui Vrticae recentes immiſſae, retenta intumeſcat, et intra paucos dies pereat (HAGSTRÖM *Svar om Biſkötſel*, *p.* 150.).

De hac ſpecie aliisque compluribus notum eſt, quod, dum ſuccoſae ſunt, folia alterutra ſuperficie attacta pruritum vel vſtionis ſenſum in cute excitent, eamque ex confluxu humorum in latas planasque eminentias attollant et rubefaciant, etiamſi foramen nullum conſpiciatur, nec latex quidam effluat. Pilis rigidis pellucidis folia muniri oculus nudus iam manifeſtat, microſcopio autem adiutus detegit in ſingulis pilis, quorum omnes nonniſi venas foliorum occupant, veſicam oblongam latice limpido repletam, ex qua aculeus ſubulatus cuſpide acutiſſimo prodit; acumine verſus veſicam hanc digito leuiter preſſo aſcendit liquor non quidem ad apicem vsque, ſed aliquam modo a baſi aculei diſtantiam, remittente preſſione iterum deſcendit, vnde cauam eſſe inferius ſetam cognoſcitur (HOOKE's *Diſcoveries by the microſcope*, *p.* 22. *tab.* 12. BONANNI *micrograph. curioſ. fig.* 75. *et p.* 75.). Vtrum vrant hae ſtirpes vnice vulnuſculis per aculeos illatis, vti BONANNI putat, vel horum adeo apicibus

apicibus diffractis cutique infixis, an hi ipſi liquorem quendam cauſticum inſtillando ſtimulent, vti HOOKE (*l. c.*), GUETTARD (*Mem. de l'ac. de ſc. de Paris* 1751. *p.* 350.) multique alii ſentiunt, dictu difficile eſt. Primum ſuadet rigiditas inſignis eorum et ſimilis fere effectus feſtucae vel ſpinae alius infixae, deficiens acrimoniae omnis in lingua ſenſus, et imperforata aculei cuſpis; alterum inertia aculeorum ſiccae Vrticae, etiamſi non rigiditate ſua carentium (GUETTARD). Fateor, me magis eo inclinare, vt ingratum cutis ſenſum a diſciſſis per durum aculeum vaſculis deriuem, quam ab acri quodam inſtillato, cuius viam non deprehendo. Senſus vſtionis oleo Oliuarum vel oleo Roſarum diſpellitur.

Stimulus, quem in cute Vrticae excitant, anſam dedit curationis generi, quod vrticationem vocant, quo nimirum repetitis vicibus partes quaedam corporis recentibus Vrticis caeduntur. In paralyſi membrum torpens iis in rubedinem vsque percutere iam CELSI (*de med. Lib. 3. c. 27. ed.* KRAUS. *p.* 179.) tempore vulgare fuit. Nec deſuevit omnino noſtro; nam SCOPOLI (*Fl. Carn. ed.* 1. *p.* 428.) huius vnius medelae beneficio ſenſum motum-

motumque rediiſſe in brachio puellae vidit. Si-
mili modo lethargo correptis (ARETAEUS *curat. acut.*
lib. 1. *cap.* 2. *ed.* BOERH. *p.* 80.) proſpectum fuit, et
diſcuſſus pluribus exemplis ſopor febrilis brachiii
femoribus et cruribus caeſis (HOMORBONUS PISO *in*
ſpicileg. curat, p. 6. 9.). Languentis veneris incita-
mentum recentes Vrticae olim fuere, quorſum reſpi-
cit PETRONIUS (*Satiricon*, *ed.* DE SALAS *p.* 84.) et
MENGHUS BLANCHELLUS FAVENTINUS, qui eas ſte-
rilitatis remedium appellare non dubitat (Conf.
GE. GOTTL. RICHTERI *Diſſ. de medicina plagoſa*
1746. *p.* 26.).

Guſtata planta inſipida fere eſt. Haemorrha-
gias internas diuerſi generis compeſcit, ſaltim ex
plurium ſuffragio. Harum e genere ſunt haemo-
ptyſis (AMATUS LUSITANUS *Cent.* 6. *curat.* 4. LA-
ZERME *curat. morb. tom.* 1. *p.* 204. *ſq.* qui ſucco
praecipue vtitur, ſed commiſto cum aliis. CHOMEL
Uſuell. tom. 2. *p.* 305. SCOPOLI *l. c. p.* 428.),
haemorrhagia vteri (PEYROUX *Obſervations de Me-
decine, p.* 74.), mictus cruentus (ſuccus eiusdem
cum decocto Equiſeti: *Hiſt. morb. Wratisl. ed.* HALL.
p. 248.). Huicque fini ſuccum expreſſum ad dua
vel quatuor vncias epotum ſatisfeciſſe, compertum
(CHOMEL). Apud quosdam in haemorrhagia fe-
dand

danda praeſtantiſſimum fuit, vti lacte ex vacca, Vrtica vrente L. paſta: id quod in mictu cruento, haemoptoe, haemorrhagia vteri, explorauit cl. POISSONIER vnciis quadraginta lactis loco omnis alius alimenti per diem ingeſtis (ROSNER *Diſſ. de nonnullis circa vires lactis* in HALL. *coll. pract. tom. 7. p. 226.*), excludens tamen merito quasdam horum profluuiorum cauſas. Contuſa herba, vel ſuccus eius naribus inditus, haemorrhagiam earum ſedare fertur (SCHRÖD. *Theſ. pharmacol. p. 714.* Cfr. SARTORIUS *de admiranda narium haemorrhagia, Altdorff.* 1683. *p.* 19.). Aſt plurimorum fiducia circa pulmonum imbecillitatem haeſit, plebsque phthiſi ineunti occurrere Vrtica ſatagit, non deſtituta omni medicorum applauſu eo caſu, quo haemoptyſis praeceſſit (LANGE *de remed. Brunſv. domeſt. p.* 236. qui de Vrtica vrente L. loquitur. QUARIN *Animadv. pract. p.* 59.). Si per anni tempus vacat, ſucco locus concedendus eſt, alias et pulueri cum ſaccharo vel melle. Quin adoleſcentis phtiſeos Vrticae ope curatae exempla memorantur (LANGE *l. c. p.* 240.). Mirifice et celebratur decoctum foliorum ſaturatius per aliquot hebdomades vſurpandum in arthritide vaga (ID. *l. c.*).

RADIX et SEMEN obſoleuerunt, quorum hoc tamen nuperius aqua vel lacte coctum anthelminticum certum pronunciatur (*Berlin. Samml. zur Beförder. d. Arzneyw. vol. 6. p. 380.*).

Vrtica vrens; foliis oppoſitis oualibus LINN. *Spec. pl. p.* 1396. Vrtica vrens minor. C. B. cuius icon exſtat in *Fl. Dan. tab. 739.* et REGNAULTI *Botan.* L'Ortie grieche. Pl. annua, ſtationis, qualis praecedens.

Virtutes eaedem illi adſcribuntur, vt exemplis quibusdam iam dictis conſtat.

490.

Pharm. VRTICAE ROMANAE *Semen.*

Vrtica pilulifera; foliis oppoſitis ouatis ſerratis, amentis fructiferis globoſis LINN. *Spec. pl. p.* 1395. Vrtica vrens pilulas ferens C. B. Icon: JO. MILL. *Illuſtr. ſyſt. ſex.* Pl. annua, in auſtraliori Europa creſcens; valde vrens.

SEMEN compreſſum ouatum, nitens, brunum, referens ſemen Lini, ſed minus et profundioris coloris. Superfluum et obſoletum. Nec certi aliquid de virtute eius conſtat. Laudatum olim in affectionibus pectoris variis, aſthmate, tuſſi, quin inflammatoriis (SCHRÖDER *Theſ. pharm. p.* 714.). Nec quae de vi eius in nephritide et haemorrhagiis recenſentur plus attentionis creant. Ad oleoſam et mucilaginoſam naturam omnis refertur.

MORVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 710. *Gen. pl. p.* 487.

491.

Pharm. MORI *Baccae; Cortex Radicis.*

Morus nigra; foliis cordatis ſcabris LINN. *Spec. pl. p.* 1398. Morus fructu nigro C. B. Icon: REGNAULT *Botan.* Le Meurier noir. Murier DU HAMEL *Traité des arbres fruitiers, tom.* 1. *p.* 335. cum *tab.* Arbor altior, formae ob ramos diuaricatos non iucundae. Ex Perſia creditur originem traxiſſe, iam in Italiae maritimis ſpontanea (LINN. *Spec. l. c.*). Suetum hiemale frigus Europae temperatioris probe ſuſtinet. Cautionis cauſa tamen ſtatio illi tribuitur, quae eandem contra ventorum iniuriam tuetur.

Colitur ibi copioſe fructus cauſa, adeo vt eandem Stockholmiae hibernaculorum horti regii, quoniam clima ſtationem ſub dio non concedit, bonam partem occupaſſe per hiemem viderim. Non multum fructui gratia cedit Morus rubra L. (KALM in *K. Vetenſk. Acad. Handl.* 1776. *p.* 153.), quae tamen rarius in hortis Europaeis obuiam venit.

venit. — Amplius autem longe emolumentum redundat ex Moris pabulo, quod folia erucis, quibus ſericum debemus, ſubminiſtrant. Morus alba ob mollitiem foliorum eo fine hactenus primaria habita, hinc in eius cultu ſerici cauſa vnice Europaei acquiſiuerunt. Sed folia Mori rubrae non eſſe inferiora virtute, experimenta in America ſeptentrionali capta edocent (KALM *l. c. p.* 158.). Quin nouiſſime comperimus, Chinenſium Sericum, quod tenacitate filorum et nitore praeſtat reliquis, non ex erucis Mora alba paſtis, proficiſci, ſed alia ſpecie, quae initio videbatur ad Morum Tataricam L. proxime accedere (Vid. JO. REINH. FORSTERI verſio German. itineris cl. SWINBURNE per Siciliam *p.* 446.), iam vero cognoſcitur eſſe eadem ſpecies (Idem ill. FORSTER in litt. ad me d. 10. Januar. 1787. datis.). Sed haec prout nonniſi primoribus labris heic attingi poſſunt, ita et vno verbo tantum lignitatem libri Mori papyriferae L. in condenda charta apud Japones, quam Buchari ex aliis quoque Moris parant (FALK *Beytr. zur Kenntniß d. Ruſſ. Reichs, vol. 3. p.* 509.), et eiusdem partis in materia veſtium in inſula maris auſtralis adornanda commemoro, perſuaſus, eiusmodi rerum recenſu non extra oleas me euagari, dum congenerum et

affinium plantarum natura cognita lumen et affundat ei, de qua praecise sermo iniicitur. Nec lignii harum arborum vtilitas plane silentio praeteriri debet.

Propagatio Mori nigrae fit per semina, sed citius et tutius peragitur per depactos vel terrae infixos ramos (Conf. DU HAMEL *Traité des arbres et arbuſtes, tom. 2. p. 25. ſqq.*). Si ex seminibus emersit, saepe arbores masculinae procrescunt, quae tempestiue auferantur. In formam flabelli diducta arbor copiosos fructus suppeditat (DU HAMEL *Arbr. fruitiers, vol. 1. p. 337.*), modo rami non putentur.

BACCA, siue MORVM, quod dicitur, est calyx carnosus, compositus ex copia baccularum quadrilobatarum, receptaculo communi affixarum, semen triangulari-ouatum includentium, quarum decem ad triginta sex numerantur. Hisce connexis enascitur corpus ouato-oblongum, quod, si optimae notae est, aliquando longitudinem linearum quatuordecim et latitudinem decem vel vndecim habet. Color saturate ruber ansam dedit nomini Mori *nigrae*. Exeunte aestate modo matureſcit nec omnes fructus simul, sed vnus post alterum vnde tanto diutius palatum iisdem demulceri potest. Molesta paullum collectio eorum est, quum matur

maturi facile decidant, et contacti dehiſcere ſoleant. Crudi eduntur ob gratiam ſucci acido dulcis, nigro violacei, qui ineſt; pelliculae, receptaculum et ſemina exſpui ſolent. Sitim eximie fallunt, refrigerando reficiunt, et blande bilis corruptelae et putredini reſiſtunt, demum mitis reſoluendi efficacia iis ineſt. Copioſius comeſti aluum ſollicitant. Sed haec fructibus acido dulcibus communia ſunt. Succi color digitis tenaciter inhaeret, qui tamen adfricto ſucco Citri vel alio acido mox perit, linteum autem eo maculatum vaporibus ſulphuris accenſi eidem aqua humectato admiſſis commodiſſime purgatur. Pro tingendis liquidis variis et panibus dulciariis quoque adhibetur. Effectus medici fructuum ratio ſi habeatur, plerumque praeparatis vnice inſiſtitur mox indicandis.

CORTEX radicis acris et valde amarus eſt. Vermibus inteſtinorum infeſtus eſt in puluere ad grana triginta, vel in infuſione ad drachmam vnam pro doſi (BOMARE *Diction. d' hiſt. nat. tom.* 4. *p.* 290.). Taeniam adeo profligare fertur tam radix ſola quam eiusdem cortex, dum ſcilicet alterutrius drachmae tres et dimidia aquae libra vna per dimidiam horam ebulliant, hocque decoctum duobus

hauſtibus ieiuno ventriculo capiatur; vnde non ſolum necatur vermis, ſed et per aluum eliminatur (ANDRY *de la generation des vers dans le corps de l'homme, p.* 172.).

PRAEPARATA.

ROB MORORVM officinarum e. c. *Ph. W. p.*163. Ex ſucco fructus et ſaccharo coctis in ſpiſſitudinem iuſtam. Vis reſoluens et detergens fructus ſacchari additamento augetur; ceterum reſpiciatur ad virtutes baccarum ſupra commemoratas. Mixturis in morbis acutis praecipi ſolitis additur. Penicilli ope aphthis illinitur, et in angina confert eodem in gargariſmate vti. Rarius iis in locis vſu venit, vbi fructus colligendi opportunitas deeſt.

SYRVPVS MORORVM offic. e. c. *Ph. W. p.*214. Proportione et ſpiſſitudine vnice differt a praecedente. Vires ſimiles.

VLMVS.

V L M V S.

LINN. *Syſt. veg. p.* 219. *Gen. pl. p.* 123.

492.

Pharm. VLMI *Cortex medius* (*ramorum* vel *radicum*).

Vlmus campeſtris; foliis duplicato-ſerratis, baſi inaequalibus LINN. *Spec. pl. p.* 327. Vlmus campeſtris et Theophraſti c. B. Icon: *Fl. Dan. tab.* 632. SCHÖLLENBACH *Abbild. vol.* 2. *tab.* 19. 20. Arbor procera, creſcens tam in auſtraliori quam frigidiori Europa, Gades et Geſtriciam terminos ponente ill. LINNEO.

Multae ſub hac ſpecie varietates comprehenduntur, quarum nonnullae ad iudicium quorundam ſingulares ſpecies reputandae. Enumeratio harum peti poteſt ex ill. DU HAMEL (*Traité des arbres et arbuſtes, tom.* 2. *p.* 367.) et MILLER (*Gardeners Dictionary* art. Vlmus). Intelligitur hic iſta in Germania quoque multis locis ſpontanea, etſi in vicinia vrbis Gottingenſis rarior, *Vlmus vulgatiſſima folio lato ſcabro* GERARD. Vbi deeſt, vel parcius occurrit, per ſemina et per ſurculos

copioſe ex radice prodeuntes, item deflexos et immerſos terrae ramos propagari poteſt. Apertam ſtationem et ſolum nimis neque ſiccum neque humidum requirit et mediocris conſiſtentiae.

Ob frondem late expanſam, quae tamen vere tantum adultiori erumpit, ambulacra grate vmbroſa conſtituit. Lignum autem duritie et tenacitate ſua opificiis variis, vt axibus, rotis molendinorum, cochleis prelorum, etc. commodum. Placet et fabris lignariis venis in radice praecipue obuiis. Moleſtum tamen lignum eo eſt, quod ſeſe facile torqueat et fiſſuras agat, vermibus quoque opportunum ſit. Folia ſicca veruecibus, capris et bobus, pabulum ſanum per hiemem praebent.

Mucilaginis in arbore hac multa indicia ſunt, et in diuerſis quidem eius partibus. Erogat eam cortex iuniorum ramorum aqua contritus, et haec ipſa contra ambuſtiones valde laudatur (DU HAMEL *l. c. p.* 370.). In foliis quoque ab Aphide Vlmi L. (*Syſt. nat. p.* 733.) punctis, poſtquam immiſerit ouula ſua, quae denuo conſuetas metamarphoſes ſubeunt, colligitur intra veſiculas, (quarum figura cognoſcitur ex ill. DU HAMEL.

HAMEL *loc. cit. p.* 370. *n.* 9. et descriptione cl^mi GEOFFROY in *Mem. de l'acad. d. scienc.* 1724. *p.* 320. *sq.* item LINNEI in *Skânska resa p.* 203.), ad pugni magnitudinem subinde ampliatas. Hic ipse liquor licet in arboris detrimentum sese accumulet: a multis tamen ad consolidationem recentium vulnerum depraedicatur (BOMARE *Dictionnaire d'hist. nat. tom.* 4. *p.* 518.). Vt ab aphidibus liberetur, opus est liquidum per linteum transmittere. Folia viscida aestate et autumno adultiori aquae per tempus indita, eandem impraegnant suo succo, ita, vt potata instar Mannae aluum soluat (PALLAS *Reise vol.* 3. *p.* 653.). Casu virtus haec innotuit, quum ampullae aqua plenae ramulis frondosis obturarentur (*Beschäft. Berl. naturforsch. Freunde vol.* 3. *pag.* 438.).

Sed medica laus efficacia CORTICIS inprimis nititur, et quidem *interioris*, qui ligno proximus est. Hic tenax, tenuis, glaber, subamaricans, copiam mucilaginis masticando emittit, odore autem omni destituitur. Infusum eius Vitriolo martis ex fusco nigrescit, decoctum vero profundiori adhuc colore tingitur. Cortex ramorum magis amarus est cortice trunci, tenelli rami tantopere mucilagine

gine abundant, vt haec in fila trahi poſſit (BERG. *Mat. med. p.* 184.). Externus cortex, fragilis, longe minus mucilaginis continet, et odore ſaporeque omni deſtituitur. Cortex internus ſerioribus hiſce annis praecipue inualuit in chronicis quibusdam exanthematibus. Sunt haec ſubinde annoſa et ſecundum anni tempus varium mox erumpunt, mox diſparent, mox artus modo, mox totam corporis ſuperficiem occupant; variae formae ex maculis pruritu ſuo valde moleſtis in ſquamas, cruſtas, excoriationes ichoroſas tranſeuntibus, tamque ſubinde tetris, vt leprae nomine illa inſignire congruum videatur. Plura efficaciae corticis in hiſce morbis documenta concinnauit cl. LYSONS (in *Med. Tranſactions*, *vol.* 2. *p.* 203. *ſqq.*) contra quae, licet vero ſimile quod ille plurimum curationis abſoluerit, in quibusdam caſibus tamen id monendum, quod pars meriti in alia quaedam medicamenta ſubiuncta cadat. Vſus eſt cl. vir cortice interiori, ligno proximo, recenti, verno tempore ex ramis iunioribus non anguſtiſſimis, autumno autem ex ramoſis radicibus, vt quae tum plurimum ſucci includunt, detracto. Huius vncias quatuor decoquendas curauit cum aquae libris quatuor ciuil. (two quarts) ad dimidiam partem; deco-

decoctique vncias octo cum Nitro bis per diem propinauit interpolatis purgantibus. Verno tempore, dum floret arbor, paratum praebet colorem amoenum purpurascentem; seriori autem tempore brunum. Saporis blande adstringentis est, sed, condensatum in extractum, valde austeri. Si cortex succo valde scatet, vel decoctio nimis protrahitur, decoctum ob mucilaginem vberius euolutam ingratius bibitur (LYSONS). Cl. LETTSOM (*Medical Memoirs p.* 152.) praestantiam eius in ista specie leprae, quam lepram ichthyosin cl. SAUVAGES dixit, explorauit, contra aquam marinam, antimonialia et mercurialia in connubio Sarsaparillae et Mezerei et varia topica, vt saturnina, mercurialia, vesicatoria ex cantharidibus, rebellem. Memorabilis etiam est casus senis, per totum corpus hocce morbo correpti, fissuris simul et vlceribus profundis manuum et pedum laborantis, cum quotidiano squamarum tam copioso defluuio, vt earum plures manipuli in lecto colligi possent, et visus auditusque dispendio; sed combinato decocti interno vsu cum lotione conualuit. Verum cl. BANAU (*Journ. de Paris* 1783. *n.* 255.), qui historiam hanc concinnauit requirit peculiarem Varietatem arboris, quam voce Orme pyramidal designat

ſignat adiuncto nomine cl^mi DU HAMEL (*Traité de arbres et arbuſtes*), qui autem iſto epitheto non vtitur. Si fides verſioni (*Samml. auserleſ. Abhandlungen z. Gebrauch prakt. Aerzte vol.* 9. *p.* 199.), intelligenda Vlmus maior foliis exiguis ramis compreſſis DU HAMEL (*l. c. p.* 368.). Cl. BANAU iuſto liberalior videtur ſuis remedii huius in aliis morbis multiplicis naturae praeconiis, vt herpete vniverſali, doloribus vagis vel fixis, vlceribus antiquis, fluore albo, affectionibus cancroſis, ſcrophuloſis, neruoſis, rheumatiſmis obſtinatiſſimis, ſcabie, tinea capitis, ſcorbuto etc., in quibus quidem omnibus aſſeuerat ſe optimo ſucceſſu illud tentaſſe. E re eſſe poterit eius conſilium corticem modo ex arboribus decem vel duodecim annos aetate non ſuperantibus colligendi. — Qui in dictis exanthematicis morbis effectu potiuntur, in hiſce initio eruptio contingit vberior, quae igitur aegrum terrere non debet (LYSONS *l. c.*). Sub curatione praeterea ſtudendum, vt aluus laxa ſit, quod quidem ſolo decocto ingeſto non impetratur, et cibo praeprimis vegetabili indulgendum, et abſtinendum eo victu, qui difficilius perſpirat. In obſtinatis caſibus protrahendus eiusdem vſus per aliquot menſes eſt; et quum morbi hi cutanei ſaepe redeant, iterandus

cum

um reliquorum obſeruandorum norma iis tempo-
ibus, quibus recidiuae metus obtinet, ſcilicet
empeſtate frigidiori (LETTSOM *l. c. p.* 162.). In
oſocomio Stockholmienſi non omni quidem vir-
ute in hiſce malis exutus cortex apparuit, ſed
ion tanta praeſtitit vtne infuſo Ledi maior fiducia
ribueretur (*Vecko-ſkrift för Läkare vol.* 5. *p.* 21.).

Prout in noſocomiis Londinenſibus in cutis
variis vitiis recepta haec medicina eſt (*Modern Practice of the Lond. Hoſpit. p.* 113.): ita quoque
copo vulnerario interne et inſtar gargariſmatis ore
umorum excaleſcentia et acrimonia exulcerato
ocum habet (*l. c. p.* 5.).

Cortex Vlmi (medianus ſpeciatim non me-
noratur) inſuper in aſcite plurimis experimentis
ucceſſiſſe narratur in decocto et loco potus con-
ueti per quatuor ad ſex hebdomades captus, partim
luum, partim lotium mouendo (STRUVE in *Act. nat. curioſ. vol.* 1. *p.* 429. *et vol.* 3. *p.* 70.). Sus-
pendimus iudicium de hacce poteſtate, donec
lia fide digna exempla accedant.

CANNA-

CANNABIS.

LINN. *Syst. veg. p.* 742. *Gen. pl. p.* 522.

493.

Pharm. CANNABIS *Semina.*

Cannabis sativa LINN. *Spec. pl. p.* 1457. ♂. Kalengi Canſjava *Hort. Malab. vol.* 10. *p.* 119. *tab.* 60. ♀. Tſjeru-Canſjava *l. c. p.* 121. *tab.* 61. Cannabis Indica mas et foemina RUMPH. *Amb. vol.* 5. *p.* 208. *tab.* 77. Cannabis mas et foemina MILL. *Fig. of plants tab.* 77. Le Chanvre REGNAULT *Botan. ic.* Planta annua, quae olim Indicae modo originis habita eſt, ſerius in Ruſſia ad fluuium Terek et in Vralia Baſchkirica et Vfaica, etiam in ditione Soongorey et Bucharia notata (FALKS *Beytr. z. topogr. Kenntniß d. Ruſſ. Reichs vol.* 2. *p.* 264.). Ad fluuium Wolgam praecipue locis, quibus olim vrbes inaedificatae fuerant, planta ſpontanea creberrime caulibus ramoſis comparet. (FALK). Optimo ſucceſſu in Europa, etiam in frigidioribus regionibus, vt Ruſſia, Polonia, Lithuania, Liuonia, Curonia, colitur. An Cannabis in China creſcens, cuius ſemen nuperius commendatum (*Mem. de la*

la Societé d'agriculture de Paris 1786. *Trimeſtre d'automne.*), differt a noſtra ſpecifico adeo diſcrimine? Deeſt eiusdem botanica deſcriptio.

Imbecillior et gracilior eſt planta maſcula et praecocius inareſcit, vel, vt dici ſolet, matureſcit; craſſior foeminea, quae ob ſemina praecipue medici cenſus eſt. Quatuor ſupraque vlnarum altitudinem attingere, non rarum eſt. In Pedemontio ad octodecim ſupraque pedes ſuccreſcit et baſis caulis craſſitie pollicem ſuperat; qua ſub craſſitie quoniam leuis, valde albus et nitidus, eſt, inſtar ſcipionis a foeminis praeſtantioris notae per rura deambulantibus vſurpatur (*Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris* 1749. *pag.* 469.). Cultura in ſolo molli ſtercorato ſubudo et ſatio feminum per interualla maiora multum ad magnitudinem ſtirpis et firmitatem fibrarum conferunt, quae corticali caulium parti inſunt, et quae Cannabin iisdem ſcopis, ac Linum, commodam reddunt. Quomodo fiat abunde et dilucide inter turbam numeroſiſſimorum auctorum expoſuerunt DU HAMEL (*Traité de la fabrique des manoeuvres pour les vaiſſeaux ou l'art de la Corderie perfectionnée;* MARCANDIER (*Traité du Chanvre*, cuius verſioni Germanicae *Abhandlung vom Hanf, Freyſtädt* 1763. 8.

additae ſunt ſcriptiones variae Germanicae, quae huc pertinent); auctor commentationis *Beſkriſning om Hampa, deſſ ſåning, ſkötſel och beredning.* Hi auctores et conſuli poſſunt circa modum praeparationis. Plantae maſculae tribus vel quatuor hebdomadibus prius euelluntur foemineis, vtraeque paullo praecocius, quam caules viriditatem ſuam omnino amiſerint, vel antequam perfectam maturitatem adepti fuerint. Collectis plantis et in faſces vinctis curandum, vt gluten iſtud reſinoſo gummoſum, quod fibras corticis iungit, deſtruatur. In hunc finem quidam, prout gentes nonnullae Ruſſicae, ſcilicet Barabinzae et Baſchkirri rel. (FALKS *Beyträge vol. 2. p.* 264.), libero aëri exponunt Cannabin euulſam, quo alterna pluuiae, ſiccitatis, frigoris etc. vi, ſubiuncta demum caulium percuſſione vel conquaſſatione in mortariis ligneis vel alio molimine, ſubigatur, quod vero lente fit; alii ſubmergunt eam aqua fluente, quae commeatu perpetuo nouae aquae egregie partes vnientes abſumit; vulgatiſſimus autem mos eſt in ſtagnante aqua Cannabin macerare, vnde fermentatio ſaepe tam vehemens, vt ipſis filis iniuria inferatur. Aqua alcali cauſtico impraegnata maximam potentiam habet in vinculo reſinoſo gummoſo deſtruendo, ſimulque

ſimulque foetori obuiam itur, qui ſub maceratione ex aqua ſuis ſcrobibus ſtagnante, non currente, ſurgit valetudini tantopere infenſus (Conf. PROZETI in *Journ. de Phyſique, tom.* 29. *p.* 241.). Effluuiorum exempla noxia bene multa exſtant (Vid. LANCIS. *de noxiis palud. effluv. lib.* 1. *P.* 1. *cap.* 8. *Oper. p.* 27. NEUHOLD in *Act. nat. cur. vol.* 3. *p.* 150. *ſq.*), quorum iſtud in agro Vrbeuetano obuium maxime conſpicuum eſt (LANCIS. *loc. cit. lib.* 2. *epid.* 2. *cap.* 3. *Oper. p.* 188.). Cannabis, ex aqua exemta abſtergi lotione ab adhaerente limo ſolet, dein ſiccari, tum vel fuſtibus vel cylindris ponderoſis vel machinamentis a fragili et decidua parte plantae, cuius pars inſtar pulueris aufugit, aëre aperto liberari (Germanis brechen dicitur). Cruda hacce forma in faſces colligata vendi exteris ſolet in primis copioſe ex ſeptentrionalibus ſupra dictis regionibus. Quo autem tanto aptior vſui ſit, margini aſſeris lignei, qui plerumque ſulco excisus eſt, ſuperimponitur et ictibus bacillo plano applicatis ſeparantur (Germ. ſchwingen) adhaerentes adhuc fragiles partes et paleae, ſi in exilia fila contorqueri debent. Multa alia molimina accedere ſolent, macerationis iteratae ſub vario additamento e. c. ſalino, carminationis, quae omnia

id pro ſcopo habent, vt fibrae omni glutine intermedio priuatae in tanto teneriores fibras ſecundum totam longitudinem diuellantur. Quae ſub carminatione ſecedit ſtupa ſeorſim ſeruatur. Vtraque pars, tam fibrae cannabinae quam ſtupa, filis ducendis et funibus torquendis apta eſt. Sponte patet vtriusque probitatem et ſubtilitatem multiplici modo variare. Hinc eadem planta ſuppeditat materiem funibus craſſiſſimis pro anchoris nauium, quae, ſi plus artis accedit, ad texta tenuiſſima (Cammertuch) et telas denticulatas (Spitzen) commoda eſt. Frequentiſſimus tamen vſus Cannabis pro velis nauium, ſarcinarum inuolucris, retibus, funibus, eſt, et ſtupa rudior obturandis nauium rimis inſeruit, quibus ſcopis ob tenacitatem fibrarum Lino antecellit. Habent telae cannabinae id cum lineis commune, quod facile lauari poſſint et a vermibus non erodantur. Taceo vſum Cannabis pro charta, palearum pro argillae aedificiis deſtinatae miſcela. Non exiſtimauerim tamen, in tutelam valetudinis praerogatiuam habere telam cannabinam prae lintea e. c. induſiorum forma. Quidam loco panni alius fila Cannabis rudiora extrinſecus applicant commodo liquido humectata inſtar epithematis. Commendata et iſta fuerunt:

fuerunt cum cineribus cocta calide et madide regioni ventris et pubis impoſita inter fortiora emmenagoga (RODERICUS A CASTRO *de morb. mulier. lib.* 1. *p.* 23. *ſq.*).

Narcotici virus ſuſpectam hanc ſtirpem reddit ſaturata eiusdem viredo et virōſus odor, quo facile iam ſub olfactu caput obnubilatur. Ex diuturniori quoque mora vel ſomno capto in agro, quo Cannabis ſata reperitur, viſus debilitatur, imo vertigo et ebrietas conſequitur (LINDESTOLPE *de venenis*, ed. STENTZEL. *p.* 541.). Magis vero adhuc hoc confirmatur effectu apud orientales gentes conſpicuo. Hae enim Cannabin, quam Perſae Bangue, Arabes Haſchiſch, vocant, varia forma ad animum exhilarandum, grata deliria cienda, iucunda ſomnia creanda, audaciam ſibi conciliandam venereosque ſtimulos acuendos, adhibent, quin ex abuſu easdem poenas, quales ab Opio nimis larga manu ingeſto, luunt. Nempe ſopor inde enaſcitur et ex protracto nimis vſu ſtupiditas, aſpectus deformis et ferox, tremor artuum, deiectio virium corporis et animi pariter ac ab Opio (Conf. CHARDIN *Voyage en Perſe, tom.* 4. *p.* 208.; item *Eſſais philoſophiques ſur les moeurs des animaux — ou*

*extrait des voyages de M** en Asie* 1783. *p.* 267. *sq.*), cum quo et Cannabis in eo conuenit, quod qui illi assueuerint, redeundi ad eandem languoris tollendi causa cogantur. Fumus foliorum, instar Nicotianae suctus, inebriat (*Hort. malab. vol.* 10. *p.* 119.). Quod experiuntur adhuc hodie ex solo isto hausto Arabes pauperiores (NIEBUHR'S *Beschreibung von Arabien*, *p.* 57.), item Caffri (SPARRMANN'S *Resa til goda Hopps-udden*, *p.* 468.). Alii in India fumum horum foliorum in Nicotianae connubio fugunt (RUSSEL'S *nat. hist. of Aleppo p.* 85. RUMPH. *Herb. Amb. tom.* 5. *p.* 210.). Vnde vero pro temperamenti varietate vel furibundi euadunt, siue pugnaces (RUMPH.), vel plorant, vel rident (RUMPH). Varias quoque praeparationes et miscelam inde adornant ore capiendam in eosdem scopos. Ad simpliciores pertinet potus virideſcens ex repetita pulueris foliorum infusione paratus, quo ad libram dimidiam circiter poto gaudii sensum sibi comparant (KÄMPFER. *Amoen. exot. p.* 646.). Item succus foliorum recentium expressus, cuius aliquot cochlearia quotidie ingerunt (*Essais philosoph. cit. p.* 268.). Alii semina, corticem, et folia iunctim contusa, vel et folia vnice aqua perfundunt parca, dein, postquam haecce in puluerem redacta fuerint

et

et liquor ſpiſſus euaſerit, hunc ebibunt (CHARDIN *Voyage en Perſe tom.* 4. *p.* 207.). Viatoribus praecipue in deliciis eſt ad vires reſtaurandas, vnde in Perſia in tabernis praeſto eſt (CHARDIN). Bolos ex puluere foliorum cum aqua miſto, Aſſis nomine plebs apud Aegytios deglutit ad numerum quinque ſupraque, quorum quilibet magnitudinem fructus Caſtaneae habet, vnde ebrietas, amentia, ecſtaſis, viſiones multiplices (ALPIN. *Med. Aegyptior. pag.* 262. Conf. HASSELQUISTS *Reſa p.* 512.). Buchari, qui pariter Cannabi ſeſe inebriant, vtuntur eo fine ſub nomine Bang faſciculis florum foemineorum vel ſiccatis cuſpidatim vel in vario potulentorum genere ſuſpenſis, quo inde impraegnentur; bolos quoque hilaritatis parant ex hiſce faſciculis, dum eos inſudare ſinunt intra folia Braſſicae in cineribus calidis et haec tum cremori lactis intincta et denuo pari ratione aſſata in bolos rotantur (FALK *l. c. p.* 265.). Additamenta quoque varia fiunt pro diuerſo ſcopo, e. c. Cannabis foliis vel feminibus addunt orientales populi Arecam et Opium, vel Camphoram Baros, Caryophyllos aliaque aromata, vel Ambram et Moſchum, quae omnia ſaccharo excipiuntur (V. GARCIAS AB HORTO in CLUS. *Exot. p.* 258. et DACOSTA *l. c. p.* 290.).

Variis nominibus eiusmodi compoſita inſigniuntur, quorum Maſlac apud Turcas conſuetum eſt. (CLUSIUS; RUMPHIUS.).

SEMEN ouatum ſubcompreſſum, conſtans ex teſta cinerea biualui futuris prominulis, dura fragili, altero extremo obtuſa, altero foueola rotunda notata; et ex nucleo albo dulci oleoſo, veſtito cuticula fuſca. Semina bene matura, poſtquam flagellis excuſſa vel alliſione faſciculorum colligatorum ad ligneum longurium ſeparata fuerint, agitando vel cribrando a paleis liberantur. Olei vnciae tres ex ſeminum libra vna expreſſione eliciuntur (SPIELM. *Chem. p.* 84.), quin alibi tertia circiter ponderis pars eruta legitur (EIVSD. *Pharmacol. gener. p.* 60.). In regione Caſanenſi, vbi quintam partem ſeminum oleum conſtituit, elicitur ſequenti encheireſi: ſemina poſtquam per malleos ligneos in mola equo circumducta conquaſſata fuerint, induntur magnis vaſis, quibus probe excalefactis maſſa intra pannum connabinum prelo ſubmittitur (FALKS *Beytr. z. topogr. Kenntniſs des Ruſſ. Reichs, vol.* 2. *p.* 154.). Coloris eſt viridis, ſaporis cannabini, nonniſi mercurio in thermometro Fahr. ad gradum 0 decidente coit (SPIELM. *Anleit. z. Kenntniſs d. Arzneymittel* 1785. *p.* 554.).

Ardet

Ardet flamma lucida parum fuliginosa. Oleum vix vnquam medico scopo adhibetur, sed cum aliis oleis vnguinosis conuenire viribus mente facile concipitur, vt tamen coniicias tantillum ipsius virtutis sedantis in planta obuiae inesse. Semina ipsa participare vim narcoticam Cannabis, non commode ex vsu eorundem in compositis, quibus Indi delectantur, et quorum supra exempla dedi, colligi potest. Nec puto climatis temperatioris vim in deprimenda seminum narcosi esse tantam, qualem extra Indiam experimur, quum tamen in Papauere remaneat. Ipse RUMPHIUS (*l. c. p.* 210.) animaduertit, ea innoxie parca copia ingeri posse. Persae tamen existimant veneris desideria inde cieri et simul sterilitatem produci (OLEARII *orient. Reise p.* 529.). Ad aphrodisiacum scopum respexit GALENUS (*de aliment. facult. lib.* 1. *cap.* 34.), narrans, quosdam semine frixo cum aliis fragrantibus post coenam voluptatis causa vesci, quem vsum vero vituperat, quum semen stomachum ac caput labefactet. Euiluit quidem cupediarum hocce genus in mensis ditiorum, sed in Russia, Polonia, Lithuania, Curonia, Liuonia, adhuc hodie pagani semina tosta et contusa super pane nigro cum sale culinari copiose comedunt, quae esca tantum

palato placet, vt nec eam in venatione vel itinere nobiles palati delicatioris iſtarum regionum detrectent (*Leipz. Intell. Blatt* 1768. *p.* 160.). Nec KÄMPFERUS (*Amoen. p.* 645.) ex pultibus ſaepe in Cracouia ab eo comeſtis indicia vlla inebriationis in ſe ſenſit. Vtne vero credas, toſtione accedente diffiatum virus fuiſſe: conſiderandum, frequentiſſimum eſſe alimentum auicularum canorarum varii generis et ſalubre et pinguefaciens, praegreſſa ſeminum conquaſſatione. Quin compertum, hocce pabulo feraciores ouorum gallinas fieri, et hieme adeo, qua frigus opus retardat, eadem parere copioſius (MATTHIOLUS in DIOSC. *p.* 663.). Nec dum aegris praecipiuntur, manifeſtant ſe vera narcoticae potentiae veſtigia. Nempe contuſa cum aqua forma emulſionis, vel in decocto aqua ſiue lacte facto, vel in infuſione aquae calidae, haud raro vſurpantur, ſicque demulcendo, lubricando, emolliendo, blande reſoluendo et lotium pellendo, valent. In gonorrhoea recente infuſum ſeminum horum inſtar Theae potum plurimum virtutis habet ad inflammationem et ardorem vrethrae, qui iſtius indicium praebet, ſuperandum, quum oleoſa et mucilaginoſa ſeminum, exiſtimaverim et leniter anodyna, natura ſtimulum optime

retundet

retundet et irritum reddat et aquae tepidae connubium eundem cum lotio eluat (Vid. TODE *Kenntn. u. Heil. e. gem. Trippers p.* 271. 309.). Valet hoc non ſolum de gonorrhoea venerea, ſed et arthritica, vt ipſe caſu ſingulari expertus ſum (*Opuſc. meor. vol.* 2. *p.* 443. 446.). Aliis emulſionis forma in gonorrhoea magis placet. — Contra icterum ruſticis in Belgio euporiſton eſt contuſum cum liquido aliquo ſemen, arbitror in emulſione (DODON. *vempt. p.* 535.). Plures autem decocto eius cum lacte ab ictero liberauit DE LE BOE SYLVIUS (*Oper. p.* 302.), et a plebeiis liberatos vidit, ſcilicet ſemine ad crepaturam vsque cocto et lacte poſt colationem ter de die ad vncias quinque vel ſex potato (*l. c. p.* 306.). Spaſmos potius quam obſtructiones in cauſa icteri fuiſſe, ex celeritate effectus concludere licet. Praeſtantiſſimum quoque in ictero epidemico exſtitit, qui quondam Gottingae graſſabatur (HERLIZ in *ictero ſpeciatim epidemico p.* 27.).

PRAEPARATVM.

OLEVM CANNABIS EXPRESSVM. Rarius in officinis pharmaceuticis proſtat. Quaedam ſupra de eo iam commemorata ſunt. Sed addenda quaedam de

de vſu eius oeconomico. Cibis illud addunt Poloni et Lithuani ſortis vilioris. Pabulum ignis in lampadibus commodum. Praecipue autem ſaponi notiſſimo viridi inſeruit. Placentae poſt expreſſionem olei reſiduae pecorum variis generibus ſalubre pabulum praebent. Hoc ipſum oleum fuligine Pinii ſubactum in nauigiis commodo eſt haud mediocri, tam ad funes hacce miſcela obliniendos, quam ad ſtupam cannabinam eadem impraegnandam, quo rimae nauium probe obturentur. Sed aliquando incaleſcere, quin in flammam erumpere ſubinde hocce vnguen, quando linteo cannabino vel alio obuoluitur, recentius experimentis conſtitit, poſtquam ſuſpicio enata incendiorum aliquando in promptuariis bellicis et nauibus ex hac cauſa exortorum. Quod tamen nonniſi certis quibusdam proportionibus contingit e. c. fuliginis libris tribus cum vernicis ex oleo cannabino libris quinque vel vtriusque aequali parte mixtis, et tempeſtate ſerena. Non tamen hic euentus vnice incidit in oleo Cannabis, ſed et aliis expreſſis crudis vel in vernicem coctis, quin in empyreumaticis (Vid. GEORGI in *Act. acad. ſcient. Petrop. a.* 1779. *Hiſt. p.* 3. *ſqq.* et IDEM in *n. nord. Beytr. vol.* 3. *p.* 37. item BUCHHOLZ in CRELL. *chem. Annal.* 1784. *vol.* 1. *p.* 411. *ſqq.* et *p.* 483. *ſqq.*).

HVMV-

HVMVLVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 742. *Gen. pl. p.* 522.

494.

Pharm. LVPVLI *Coni; Turiones.*

Humulus Lupulus; LINN. *Spec. pl. p.* 1457. Lupulus mas C. B.; quae planta foemina eſt. Lupulus foemina C. B.; quae mas. Icon: JO. MILL. *Illuſtr. ſyſt. ſex.* REGNAULT *Botan.* Le Houblon. Planta perennis, volubilis, ad ſepes vulgaris. Quo autem coni tanto praeſtantiores fiant, cultus plerumque accedat ſollers neceſſe eſt, quem tam in frigidioribus quam calidioribus regionibus ſibi commendatum habent. Attamen in quibusdam inſulis fluuii Jeniſei Lupulus ſpontaneus tam bene viget, vt venditio in vicinas terras incolis Kraſnojarcenſibus inſigne lucrum afferat (PALLAS *Reiſe durchs Ruſſ. Reich, vol.* 3. *p.* 8. Cfr. LEPECHIN *Reiſe, vol.* 2. *p.* 161.).

CONI ex foeminina planta petuntur, nec ſunt niſi ſtrobili ouato oblongi, compoſiti ex bracteis amplis imbricatis, quarum ſingulae duo ſemina ſubrotunda ad baſin continent. Tam bracteae,

bracteae, quam femina conſperſa farina aurei coloris. Odorem grauem aromaticum ſpargunt, ſaporem vero exhibent valde amarum, non ingratum tamen, cum ſenſu caloris. Aſt ipſa femina haſce dotes poſſident, quin efficaciora cenſentur. Aqua frigida tantillum modo virium extrahit, ſed calida haud aegre easdem euoluit. Spiritus vini autem tam fortior quam debilis etiam absque calore easdem recipit. Infuſum aquoſum ſubluteum Vitriolo martis nigreſcit. Extracta ex hiſce parata ſpondent, ob amaritiem et aroma, haud exiguas vires medicas. Lupulo adeo LINNEUS (*Mat. med.*), praeter tonicam virtutem narcoticam, phantaſticam, anodynam, tribuere non dubitauit. Sed acquieſcimus plerumque vſu oeconomico pro condienda cereuiſia.

In hunc finem lupuleta adornantur, quorum aptam rationem numeroſa ſcripta ſignificant. Conſuli poſſunt inter praeſtantiora, quae ex inſtituto de hac re egerunt, BRADLEY'S *richeſſ of a Hopgarden explain'd, Lond.* 1729. TRESENREUTERS *wirthſchaftliche u. rechtl. Abhandl. v. Hopfen* cum verſione praecedentis libri 1759. BAUDER *Abhandl. v. d. beſten Art Hopfen zu erbauen, Aldorff* 1777. Requirunt

quirunt lupuleta ſolum bene ſubactum ſubhumidum et ſtercoratum, interualla plantarum ſatis ampla, alligationem tenellorum ſarmentorum, foliorum et ſarmentorum ſuperfluorum, quae aërem intercipiunt, dum adoleuit ſtirps, putationem, perticarum lignearum debitam longitudinem vt commode plantae circumuoluere ſeſe poſſint. In hiſce plantationibus nonniſi ſtirpibus foemineis locus conceditur. Solutis ſarmentis decerpendi coni ſunt, quum in flauo brunum color inclinat, vel dimotis bracteis multum farinae flauae digitis adhaeret. Nam tum odor praecipue grauis et aromaticus eſt. Diuturnior mora iacturam efficit ſeminum noxiam. Diſpergendi tum per pauimenta ſicca et ventoſa, vt exareſcant, quo ſcopo quidam minus commode vtuntur furnis, frumento ſiccando alias deſtinatis, dein ſeruandi in corbibus vel ciſtis vel ſaccis. Maxime infeſtus eſt Lupulo ros melleus, quem ill. A LINNÉ (*Skånſka Reſa p.* 51.) deriuat a laruis Phalaenae Humuli ad radices ſtirpis nidulantibus, quae, dum ab harum roſione langueſcit, aphidum, liquidum tenax dulce effundentium, generationi in foliis faueat. Contra quam ingenioſam ſententiam dubia quaedam, in ipſa Suecia mota ſunt (Verſio in SCHREBERI *n. Cameralſchriften,*

vol. 2.

vol. 2. p. 391.). Suae tamen opinioni inſiſtens LINNEUS ſuaſit, vt radices Lupuli lapidibus contegerentur. Quicquid ſit, eiusmodi tegminis commoda experientia confirmata ſunt (STRIDSBERG in *K. Vet. Acad. Handl.* 1754. *p. 32. ſqq.*). Nomina varia Lupulo data ſunt ſecundum regiones, in quibus cultus feliciorem ſucceſſum habuit, e. c. Brunſuicenſis, Bohemici, Polonici, Anglici rel. Suecis placet ſuus. Alia nomina reſpiciunt figuram vel colorem conorum, tempus maturationis etc.

Additamentum Lupuli cereuiſiam contra acorem per longum tempus tuetur, mucilaginem eiusdem attenuat, vt tanto melius per vaſa penetret, aperit vaſa ſuo aromate, ſimulque vt alia amara ventriculum reliquaque viſcera roborat. Nec iniuſta ſpes eſt, fore, vt calculo vrinario praeuertat. Non cadunt in hunc varia iſta incommoda, quae vſum Myricae, Abſynthii, Gentianae aliorumque amarorum comitantur, quae olim vices Lupuli egerunt. Prima experimenta cum hoc in Italia facta ſunt (ex ISIODORO HALLERUS in *Hiſt. ſtirp. Helv. n.* 1618.). Omiſſis fatis, quae in aliis regionibus ſubiit, id modo noto, tempore GVSTAVI. I. Regis Sueciae, tam caro pretio ibidem veniſſe,

veniſſe, vt libra Lupuli cado (Tonne) Hordei toſti aequipararetur, et vt fere $\frac{1}{9}$ totius ponderis ferri, quod tum temporis eruebatur, ad Lupulum coëmendum extra patriam mitteretur, vnde et Rex efficaciſſimis variis mandatis gentem excitauit, vt Lupulo colendo operam daret (Vid. illuſtriſſ. Sueciae ſenatoris Comitis BJELKE, *Tal om Sveriges allmänna huſhållding under K. Guſtaf I. p.* 18.). Non attinet hic modum peculiarem amarum hocce Hordeo toſto admiſcendi deſcribere. Quo plus eius adiicitur, eo amarior fit cereuiſia, ſimul eo calidior fit. Quidam extractum Lupuli, coctione cum aqua paratum, pro condienda cereuiſia commodum declarant, et parſimoniae magis absque virium iactura conſentaneum (*Leipz. Intelligenzblatt* reç. in *Petersb. Journ.* 1776. *p.* 71.).

Nolo Lupulum multis encomiis ornare, quae cum aliis amaris aromate mixtis communia habet. Subſiſtam vnice in virtutibus vere exploratis. Decocto emollitus eſt calculus vrinarius duriſſimus, vnde concluditur, lithontriptici vim in corpore humano exercere poſſe (LOBB *de diſſolv. calc. p.* 106.). Quin Londini pauciores calculoſi exſtitere, quam praecedente ſeculo, poſtquam liberius

Lupulus cereuisiae addi coeperit (RAII *Hist. pl. vol.* 1. *p.* 157.). Decocto saturatiori, ad dimidiam vel integram libram mane poto sub decrementum lunae profligantur saepe vermes (DARELII *Socken Apot. p.* 58.). Coni autem sacculo inclusi et cocti aceto, cereuisia vel vino, demum calide collo applicati, anginam discutiunt. Frigida huius applicatio conducit in luxationibus recentibus et contusionibus (IBID.).

TVRIONES, primo vere pullulantes, amaricantes sunt cum leui aromate. Creduntur sanguinem depurare, lotium mouere, aluum blande soluere. Eduntur instar acetarii cocti et oleo sale acetoque conditi, item in vario embammate instar oleris cum carne. Eiusmodi connubio autem pinguium vereor, ne vi medica sua fere omnino defraudentur, et ideo potissimum placeant, quod tempore, quo vegetabilium recentium penuria incidit, praesto sint.

Addi liceat, in Jämtia et Medelpadia Sueciae sarmenta arida a paganis vsurpari Lini loco, pro tela rudiori (SCHISSLER et RUDENSCHÖLD in *Vet. Acad. Handl.* 1750. *p.* 214. *sqq.*), nec dubium, praeparatione

paratione magis ſollerti tenuiora fila poſſe ſuggerere (HOLMBERGER *l. c.* 1774. *p.* 253.). Taceo, ſarmenta eadem exhibere tenacia vincula pro alligandis arboribus ramisque, modo antea aqua emollita fuerint; et folia cum ſtramine comminuta non ſpernendum pabulum pro iumentis eſſe. Cineres ex combuſta planta vitriariis grati.

ORDO XLII.

VEPRECVLAE.

DAPHNE.

LINN. *Syſt. veg. p.* 307. *Gen. pl. p.* 192.

495.

Pharm. MEZEREI *Cortex; Radix.* COCCOGNIDII *Semina.*

Daphne Mezereum; floribus ſeſſilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis LINN. *Spec. pl. p.* 509. Laureola folio deciduo flore purpureo, officinis Laureola foemina C. B. Icon: *Fl. Dan. p.* 268. REGNAULT *Botan.* La Laureole femelle: *n.* 2. Frutex quatuor ſupraque pedum in ſyluis, praecipue Germaniae frequens, primo vere floribus purpureis hyacinthini odoris oblectans; hinc et in hortis hoſpitari ſolet. Rarior in Anglia, vbi tamen prope Andover in Hampſhire recentius inuentus eſt.

Senſim plures huius generis ſpecies medicaminum numerum auxerunt, et quae vni ſpeciei virtus

virtus tributa, paſſim et in alius laudem tranſiit. Nec error praxi medicae nociturus, qui tot aliis caſibus confuſione ſpecierum incidit, hic facile metui poteſt, quum omnes et ſingulae ſpecies acrimonia vehementi inſtruantur, qua ipſa vſui medico idoneae euadunt. Ex quatuor Daphnes ſpeciebus ſcil. Mezereo, Thymelaea, Laureola, Gnidio, duae enucleatius trutinandae ſunt, vt quas frequentius reliquis artis exercitium verſauit.

De Daphne Mezereo igitur primum dicendum eſt. Non poteſt eſſe Mezereum Arabum, quum lacteo ſucco deſtituatur. An ſit Χαμελαια DIOSCORIDIS (*Lib.* 4. *c.* 172.), ob labem deſcriptionis non poteſt omnino dirimi, propius tamen accedit. CORTEX praefixae ſpeciei nomine corticis Mezerei in primis inclaruit, quem quidem Eques a LINNÉ (*Mat. med.* 1749 *p.* 60.) Daphni Laureolae adſcripſit, vt tamen agnoſcat, Laureola deficiente ex prius dicta planta corticem deglubi poſſe; ill. BERGIUS (*M. m. p.* 303.) Daphni Thymelaeae eum adiudicauit. Innumera autem experimenta tam in Germania, quam Anglia et Suecia, facta demonſtrant efficaciam inſignem corticis Daphnes a me in fronte propoſitae. Et qui in Germanorum officinis

proſtat, niſi foris miſſus fuerit, huic frutici originem ſuam debet. Deglubitur plerumque ex trunco vel maioribus ramis. Anglis cortex radicis magis placet. Siccus tenuis eſt, rufeſcens, tectus ſaepe epidermide pallide bruna. Acrimonia eius inſignis tam guſtatu quam externa eiusdem applicatione, qua cutem erodit, abunde ſeſe declarat. Ad primum guſtatum quidem linguam non pungit, ſed paullo poſt ſenſus ardoris oritur vix tolerandus, quo et lingua et totum os afficitur. Id quod non in ſicco vnice cortice ſed et recenti contingere, ipſe exploraui, ardorem autem poſtero die in me excepit, vt a corroſiuis ſolet, moleſta linguae inſenſilitas.

Corticis vnciae duae digeſtae aqua calida erogant extracti gummoſi fere drachmas duas cum dimidia; extractum ſpirituoſum ſecundum praebet reſinae puriſſimae grana quadraginta octo. Extracta haecce, prout et illud aceto factum, tarde linguam afficiunt, ſed poſt horae quadrantem ſat acrem et diuturnum ſtimulum impertiunt, inſtar Draçunculi maſticati, vehementiorem extractum reſinoſum, leniorem illud aceto paratum. Aqua deſtillata albicans ſaporis moderate acris absque olei peculiaris veſtigio (ENGEL *Specimen med. p.* 5.).

A teme-

A temeraria igitur corticis adminiſtratione interna ſedulo abſtinendum; cauta tamen locum omnino habet, vt praecipue crebris cl. ALEXANDRI RUSSELL experimentis edocemur (*Med. Obſ. et Inqu. vol. 3. p.* 189.). Etenim nodos venereos, contra ipſum Mercurium ad ptyaliſmum vsque exhibitum obſtinatos, decoctum corticis radicis Mezerei eximie diſcutit; ſed aeque feliciter hanc vim exſerit ptyaliſmo omiſſo. Illi autem nodi nominatim intelliguntur, qui ex perioſteo incraſſato naſcuntur; nam non ſufficit in exoſtoſi. Si caries ſubeſt absque exfoliatione, nulla curatio exſpectari poteſt: attamen ſubinde vel tum tumor diſparuit. Simul tolluntur dolores nocturni, qui hiſce nodis ſocios ſeſe adiungunt. Vix vero alios dolores venereos noctu grauantes ſolus cortex ſufflaminat; id quod tamen iunctus paucis doſibus ſolutionis Mercurii ſublimati praeſtat. Perinde eſt, vtrum vulgaris iſta ſtirps floribus rubris et fructu rubro, an alia floribus albis et fructu luteo adhibeatur, quam vtramque MILLERUS (*Gard. Dict. art. Daphn. n.* 2.) tamen ſpecie differre coniicit, quum neutra in aliam ſeſe transmutauerit. Experimentis primum ſuſceptis in miſcela cum aliis remediis tandem ſequens formula virtute ſua maxime ſeſe probauit: ℞. Cort. rad.

Mezer. recent. ʒj. Aquae font. cong. jβ. Coqu. ad cong. j Sub finem add. Rad. Glycyrrh. concif. ʒj. D. S. Quater de die libra dimidia ingeratur. Haecce forma cuiusuis ſtomacho vel diatheſi accommodata eſt, nec niſi in corpore valde ſenſili, quo aluum ſoluit, excretionem vllam excitat. Diaetae rigor non alius ſub hoc curationis genere requiritur, quam is, quo ſub ſimplicitate victus omnis exceſſus vitatur. In incraſſatione perioſtei ex aliis cauſis quoque aliquando effectus egregius conſpicitur (RUSSELL *l. c. p.* 195.). Subſcribit RUSSELLII experientiae de vi huius corticis cl. HOME (*Clinical Experiments and Hiſtories, p.* 467.). — Aſt non minus memorabile, quod decoctum corticis Mezerei vlcera venerea, quibus tollendis Mercurius impar fuit, ſanet (CULLEN *firſt Lines of the practice of Phyſic, vol.* 4. *p.* 408.).

Probanda etiam corticis ad cutem in variis morbis applicatio. Scite in Suecia recenter deraſus vulneri a ſerpente venenato inflicto imponitur (LINN. *Fl. Suec. p.* 128.), quum, quod ill. AB ACREL ſerius extra dubium poſuit (*Vet. Acad. Handl.* 1778. *p.* 104.), in hocce vulnere pariter ac illo a cane rabioſo, dum virus nondum toti maſſae ſanguineae

ſe

ſe admiſcuerit, apertam ſeruare plagam et profluvium purulentum ſuſcitare et alere commodis ſtimulis primarium ſit. Sed creuit valdopere corticis exiſtimatio, poſtquam id curationis genus, quod *Exutorium* recentiores vocant, applauſu exceptum fuerit; de quo vero, vt ſeries dicendorum non divellatur, proximo de Daphne Gnidio L. articulo commodius dicetur.

Radix. Quae de eius vi corroſiua narrantur, pertinent praecipue ad corticem radicis, nam interna lignoſa pars exiguum modo ſaporem habet (RUSSELL *l. c. p.* 191. HOME'S *clinical experiments p.* 466.). In Ruſſia radix ad dentes dolentes applicatur probe cauendo, ne acris ſaliua deglutiatur et guttur inflammet (PALLAS *Flor. Roſſ. tom.* 1. *P.* 1. *p.* 54. EIVSD. *Reiſen, tom.* 2. *p.* 226.).

Verum et deobſtruens illa poteſtas, quam corticem radicis demonſtrare in nodis venereis ſupra ſignificaui, obſeruatur ex decocto integrae radicis in obſtructionibus ſcirrhoſis, ſiue venereis, ſiue aliis, ingeſto. Ad haſce reſoluendas confert, radicis Mezerei drachmas duas coquere cum aquae fontanae libris tribus ad libras duas, haecque portio per diem conſumitur. Iungitur ſubinde cataplaſma

ex decocto hocce et farina. Experimenta huius generis inſtituta ſunt a cl. HOME (*Clinical Experiments*, *p.* 466.) in tumore tonſillae et tumore teſticuli, vtrisque venereis et contra Mercurium refractariis; et extra hancce labem in tumore ſcirrhoſo muſculi pectoralis dextri; in alio eoque mobili ſubter glandula thyreoidea; iterum in alio ſimili in ceruice; item in parotidibus tumidis. Plurimum valet in ſcirrhis recentibus. Semel caſu ſcrophuloſo fruſtra tentata. Nauſeam et aliquando ſudorem et alui deiectiones efficit, ſed in proportione ſupra propoſita absque aliis moleſtiis ſumi poteſt.

Ex cortice radicum charta quaedam rudior et griſea parari poteſt, dum ille nimirum cum aqua in pultem redigitur, quae expanſa et preſſioni ſubiecta ſiccatur. Glutine proprio ſuo tenacitatem et firmitatem acquirit (FALKS *Beytr. z. topogr. Kenntniß d. Ruſſ. Reichs*, *vol.* 2. *p.* 196.).

COCCOGNIDII *Baccae* ſ. *Semina*, item rectius *Grana cnidia* ſ. *Cocci cnidii* vocantur Daphnes huius baccae ouatae, magnitudinis piſi includentes ſemen globoſum cortice fragili nucleo albo oleoſo acerrimo. Pulpa non acris (LEWIS *M. m. p.* 581. Cfr.

JO.

JO. MAUR. HOFFM. *Obſ. in Ephem. nat. cur. cent.* 5. 6. *v.* 298.). Nucleus autem tanto infeſtior eſt, quum ob oleum acrimonia eo tenacius applicationis loco adhaereat. Et hocce ſemen facile fallit guſtantem prima lenitate, quam vero mox inſequitur aeſtus oris et faucium cum minis ſuffocationis niſi cautius guſtes. Mirum tamen, tam auide volueres in easdem deuorandas, dum matureſcunt, ferri, vt vix retium tegmine arceri poſſint (MILLER's *Gardiners Dict.*). Aliis animantibus tamen exitio ſunt. Baccis ſex lupus necatur (LINN. *Fl. Suec. l. c.*). Scrupulo vno in ſubtiliſſimum pulüerem contrito canis periit, licet aliquantum eius vomitu reieciſſet (LANGE *de Brunſuic. domeſt. p.* 173.), et in cadauere ventriculus ſtigmatibus rubris notatus, eroſus, et ſanguine nigro ſpiſſo conſpurcatus, apparuit. Nec pauca documenta exſtant hominum temerario vſu harum baccarum vel necatorum vel miſere affectorum. Ex quatuor adeo baccis per iocum oblatis in viro hypercatharſis effraena cum vomitu, intolerabilis oris fauciumque ardor, ſitis, ſuccedente febre acuta, et cutis vniuerſalis deſquamatio, exorta (J. MAUR. HOFFM. in *Eph. nat. cur. l. c.*): aſt in emulſione, decoctis demulcentibus et opiatis ſalus. Similes effectus excepta deſquamatione cutis

cutis inciderunt in puero, qui baccas exſiccatas maſticatione comminutas tanquam edules deglutiverat: ſed lac recens calide et crebro bibitum et interpoſitum opiatum vitam ſeruarunt (*Act. Helv. vol. 3. p. 331.*). Triſtius fatum fuit virginis, cuius mater duodecim grana in quartana dederat, nam vomitu cruento ſubſequuto viuere deſiit (LINN. *Fl. Suec. p.* 128.). Ad rariores fortunae caſus igitur pertinet, quod homo quidam robuſtus, ex imperiti cuiusdam conſilio, ſexaginta baccas contra taeniam deuorans, poſt colicos dolores vehementes diarrhoeam aliaque mala per duos dies durantia, epoto copioſius lacte periculum eluctaretur (*Veckoſkrift för Läkare, vol. 3. p.* 291.). An forſitan integrae deglutitae fuerunt? Nam plus noxae ex baccis comminutis quam integris redundare in comperto eſt. Scorta aliquando abortum ſibi conciliare femine primis menſibus tentarunt (LANGE *Brunſv. domeſt. p.* 172.). Robuſta tamen corporis compages ſubinde fert, quae imbecillam vna cum vita conterunt; id quod iterum harum baccarum exemplo confirmatur. Robuſtiores ruſtici Brunſuicenſes octo granis in puluerem ſubactis aliquando plus quam viginti alui deiectiones experiuntur (LANGE *l. c.*). Incolae Sibiriae ſeptentrionalis adeo

triginta

triginta femina contusa purgandi scopo ingerere non dubitant (PALLAS *Reis. vol.* 1. *p.* 226.). Ne vero hoc climatis frigidioris in obfirmanda compage corporis nostri vi tribuas, ecce in ipso Delphinatu (VILARS *Plantes de Dauphiné, vol.* 1. *pref.*) baccae instar purgantis vsurpantur. Quin in tussi conuulsiua infantum ad vomitum concitandum Russi audent illam exhibere (PALLAS *l. c.*). Tartari inde quidem augeri tussim initio sentiunt, sed paullo post euanescere (FALKS *topogr. Kenntniß des Russ. Reichs, vol.* 2. *p.* 169.). Nec hisce cedunt audacia Fennones, qui contra tussim grana nouem, contra febrem intermittentem grana viginti septem, non reformidant (HERKEPAEUS *Hauhisokn, p.* 63. ex citat. HALLERI in *Hist. stirp. Helv. n.* 1024.).

Fides vnguenti ex cortice et baccis parati in vlceribus cancrosis et cacoëthicis, quae in Wermelandia celebratur (LINN. *Fl. Suec. l. c.* Conf. et EIVSD. *Westgöta Resa, p.* 243.), nondum a medicis scitis sub incudem redacta est. Foeminae viliores Sibiriae autem tantum formae colorique litant, vt in balneo genas baccis terant, vnde hae intumescunt et inflammatoria fere rubedine tinguntur (GORT. *Fl. Ingr. p.* 60. PALLAS *Reisen l. c.* EIVSD. *Fl.*

Fl. Roſſ. tom. 1. *P.* 1. *p.* 54.). Eodem fine foeminae Tartaricae baccas aqua macerant, qua demum faciem lauant (FALK *l. c.*).

Quum cortex Mezerei dictus etiam a *Daphne Laureola* L. petatur, et haec paullo exactius deſignanda. Eſt D. racemis axillaribus quinquefloris, foliis lanceolatis glabris LINN. *Syſt. veg. p.* 307. Laureola ſemperuirens flore viridi, quibusdam Laureola mas C. B. Icon: JACQ. *Fl. auſtr. vol.* 2. *tab.* 183. *p.* 49. REGNAULT *Botan.* La Laureole male n. 1. Maſculum iſtud, quod olim in hacce viſum fuit, eſt perennitas foliorum, quum haec in D. Mezereo autumno cadunt. Frutex duorum vel trium pedum in Anglia, Italia, Heluetia, Auſtria, ſpontaneus. Nosmet in hibernaculis illum ſeruare oportet, vbi primo vere floret.

Corticis huius vis vel iam definita, vel paullo poſt fuſius definietur. *Baccae* vt reliquae partes valde acres. De acrimonia baccarum experimentum SWIETENII teſtatur, qui olei digitis expreſſi guſtatione inflammationem faucium et fere praefocationem ſibi contraxerat (*Comment. vol.* 1. *p.* 638.).

496.

496.

Pharm. THYMELAEAE *Ph. Pariſ. Cortex.*

Daphne Gnidium; panicula terminali foliis lineari-lanceolatis acuminatis LINN. *Spec. pl. p.* 511. *Syſt. p.* 308. Thymelaea CLUS. *rarior. pl. hiſt. p.* 87. *c. fig.* Thymelaea foliis Lini C. B. Thymelaea monſpeliaca J. B. Icon praeſtantiſſima: REGNAULT *Botan.* Le Garou ou Timelee. Frutex bipedalis in Galliae inferioris, olim Narbonenſis dictae, toto tractu et circa Monſpelium etiam copioſe creſcens; item in Hiſpania (CLUSIUS) et Italia (e. c. comitatu Nicaeenſi: ALLION. *Fl. Pedem. tom.* 1. *p.* 133.) locis aſperis. Plantae prope mare creſcentes efficaciores cenſentur (LE ROY).

Stirpis virtus corroſiua iam dudum cognita fuit. Nec omiſſa eiusdem commemoratio in variis de materia medica concinnatis libris; ſed eam potius in foliis radice et baccis quaeſiuerunt, quam cortice. Opportunitas loci procul dubio effecit, vt in Gallia frequentius in vſum medicum tracta, quam alibi, fuerit, prout cll. LEMERY, GEOFFROY et CHOMEL mentionem eius ampliorem fecerunt.

Baccis

Baccis huius quoque impune veſcuntur aues (CLUSIUS *l. c.*). Vetuſto auſo radix ſetacei vices egit. Sic adhibita cl^mum^ A SANCTORIO a ſuffuſione oculorum praeſeruauit (EX WELSCH. in HALL. *Bibl. pract. tom. 3. p.* 87.). Vulgaris maxime locus, quo in hunc finem traiicitur, auris lobulus eſt, quo perforato radicis particula transmittitur; vnde et frutici nomen bois d'oreille inditum. Contra hemicraniam et ophthalmiam, epiphoram et ad fluxiones ab oculis arcendas valere hoc curationis genus afferitur. Improbat tamen vſum editor continuationis libri cl^mi^ GEOFFROY (*Mat. med. Supplem. tom. 3. p.* 184.), ad cuius iudicium inflammatio oculorum potius augeatur. In officinis Gallicis radix ſicca in hunc finem ſeruatur. Non vero ſemper opus eſt, vt radix tranſigatur. Sufficit fruſtulum eius lobulo iam perforato applicare. Quoniam ipſa auris autem, ſi apertura recens, inflammationi nimis obnoxia eſt, praeſtat id modo ſeptima aut octaua die poſt fieri, et ſic per ſex menſes et diutius, ſi opus, profluuium alere (BARBEIRAC *form. med. p.* 452.). Tanquam rem notiſſimam proponit radicis huius in veſicis in cute excitandis efficaciam cl. PETIT (*Mem. de l'ac. des ſc. de Paris* 1732. *p.* 233.).

Sed

Sed longe latius fama huius ſtirpis ſparſa eſt, poſtquam cl. LE ROY (*Eſſai ſur l'uſage et les effets de l'ecorce de Garou, Paris* 1767. 12. cuius verſio Germ. ſub titulo *Verſuch üb. d. Gebrauch u. d. Wirkungen d. Seidelbaſtrinde überſ. von* JUNKER *Strasb.* 1773. prodiit) multis encomiis corticem cumularet, et horum haud paucis fulcrum quoque experimentis in medium prolatis ſubderet. Et hicce CORTEX verus *Ecorce de Garou* Gallorum eſt, quum D. Mezereum Gallis Le Mezereon vel Laureole femelle audit, D. Laureola autem Le Laureole male.

Adurit linguam et cutem erodit, et hoc quidem fit vi ſalis cuiusdam acidi, quod ſegregatum a reſina acre quidem eſt, non vero adurens, cum reſina autem mixtum intenſa acrimonia inſtruitur (HARTMANN et HASCHKE *Diſſ. ſuper Daphnes Gnidii uſu epiſpaſtico*, cuius epitome mihi vnice ſuppetens, legitur in GRUNERI *Krit. Nachrichten v. klein. med. Schriften* 1780. *P.* 1. *p.* 146.). Acetum gummoſam partem praecipue extrahit, et reſinoſam quoque corripit ſicque ſal facile a ſuis comedibus liberatur (ID.).

CORTEX ſeiungitur a trunco vel ramis fruticis facile, diffringendo haſce ipſas partes. Applicatio eiusdem externa non nouum inuentum eſt. Eiusdem tanquam efficacis remedii contra affectiones ſupra memoratas iam meminit cl. BARBEIRAC (*l. c.*), dum circumuoluatur auri poſticae, vnde vlcus et exulceratio in toto auris ambitu cum magno humorum profluuio. Ipſe cl. LE ROY confitetur, ſe eiusdem adminiſtrationem primum didiciſſe ab incolis ditionis Aunis, quae omnino commodior longe eſt et, quantum colligi poteſt, efficacior, quam parte ante placita. Nouum nomen *Exutorii* (Exutoire) eſt, quo auctor hocce medelae genus inſigniuit. Scilicet corticis vel recentis, vel, ſi exaruerit, aceto vini vel aqua per octo vel decem horas macerati, fruſtum longitudinis pollicis, latitudinis ſex vel octo linearum plerumque imponitur brachio ſubter loco, cui muſculus deltoideus inſeritur, et ſpleniolo tectum faſcia firmatur. Oritur tum pruritus, dein vſtionis ſenſus, in quibusdam, quod quidem rarius, veſiculae aſcendunt, tandem epidermis conſumitur, quod plerumque ſecundo vel quarto die contingit, ſuccedente profluuio copioſo ſeroſo, quod, niſi praecocius inciderit, die decimo quinto praeſto eſt,

eſt, id quod exutio (exution) termino artis nouo vocatur. Initio opus eſt, mane et veſperi commutare fruſtulum, poſtea eroſa epidermide ſufficit id ſemel de die vel diebus alternis fieri. Ad alendum profluuium dein ablato cortice imponitur folii recentis Hederae terreſtris (V. ſupra *Appar. med. vol.* 1. *p.* 308.) nonnihil malleolo vel claue conquaſſati pars, quam non ampliorem eſſe conuenit, quam plagae deſideratae ambitum, nam eroſionem cutis huic ſemper aequalem obſeruaui. Niſi ſuppetant folia Hederae, quae vel ideo praefero, quod nec hieme enecantur, ſubſtitui poteſt folium Plantaginis maioris vel, niſi foetor metuendus, folium Braſſicae. Renouatio fit hieme quotidie ſemel, aeſtate bis, quod tanto magis neceſſarium, quum aliquando latex exundans haud parum foeteat, et aliquando tam copioſus ſit, vt manica tota madeat, vnde ſubinde obuoluere brachium pergameno vel tela cerata opus eſt, vel chartam bibulam pluries complicatam, vt liquoris plurimum reſorbeatur, imponere. Eroſio autem modo fit ſuperficialis, nulla excauatio cutis, nec niſi caſibus rarioribus veri puris excretio. Deterſa plaga, rubra modo apparet. Quo maius fruſtum imponitur, eo maior ſubſequitur excoriatio, id

quod pro fine diuerſo dirigitur, adeo vt aliquando fruſtum triplo amplius dicto impoſitum fuerit. Nihil commodi inde redundare video, quod fruſtum in tres ſtrias interuallis relictis diſcindatur (quod quidem ſuaſit cl. LE ROY in *verſ. cit. p.* 20.). Galli aliquando transferunt corticem ex vna ſede in alteram vicinam tranſmigratione ſenſim per totam partem facta (quod, ſi varietati terminorum indulgeas, exutorium ambulatorium vocare poteris). Stimulum ſine dubio maiorem hac encheireſi excitare ſtudent, nam alias vnica plaga ſollerter procurata inſigne profluuium ſubſequitur. Raro ſurae imponitur cortex, ibique plus doloris et in adminiſtratione plus negotii faceſſit.

Iam, quum ad morbos ſignificandos transeundum ſit, in quibus exutorium profit, praemonere oportet, licet in Gallia experimenta cortice D. Gnidii capta fuerint, alia tantum non omnia, quae recenſebo, corticem D. Mezerei reſpicere, nec minus me, quam alios pluribus caſibus ſuppares virtutes expertum eſſe. Quin, dum in eadem perſona alteri brachio cortex Mezerei, alteri cortex Gnidii imponeretur, iſtum multo citius et abundantius laticem mouiſſe compertum, ſcilicet iſtum intra

intra 24 horas, hunc nonnisi post duplum temporis spatium (RUMPEL in *Act. Mogunt. a.* 1778. *et* 79. *p.* 8.). Mixtim igitur proponere liceat vtriusque corticis in medendo potestatis exempla, ita tamen, vt meminerit lector, quum Gallos testes citem, vel manifeste eos corticem Gnidii adhibuisse, vel probabile maxime esse, non alium vsurpasse, item cl. HARTMANN corticem Gnidii applicuisse.

Id in vniuersum singulorum scopus fuit, liquidum alicubi stagnans, acres inprimis particulas alicui parti tenacius inhaerentes et vellicantes blanda vi reuellere et lente vna cum aquoso latice exundante per erosam cutem eliminare. Non omnis tamen suspicio abest, quin protractiori corticis applicatione pars acrimoniae, quae illi inest, resorbeatur et humores mobiles reddat. Hinc intumescentia faciei et eruptiones miliares, rubrae, prurientes brachii vel totius corporis valde molestae ex cortice Mezerei videntur deriuandae (BERG. *Mat. med. p.* 305.).

Crebro efficaciam suam demonstrauit in oculorum variis affectionibus, nominatim ophthalmia

obſtinata et epiphora. Incolarum ditionis Aunis hac in re capta experimenta confirmatur aliis artis peritorum (LE ROY *l. c. p. 63. ſqq.* RUMPEL *l. c. p.* 9.). Imponitur cortex tum brachio, quod oculo aegroto opponitur; ſi vterque laborat, ſufficit tamen vnum exutorium; aliquando topica exempli cauſa ſaturninum dilutum commode iunguntur (LE ROY). Sic corticis applicatione tempeſtiua praeuertitur ſubinde fiſtulae lacrymali (ID.). In ophthalmiis habitualibus applicatio ad crura profuit eximie (VAN DEN BOSCH *Bemerkungen üb. d. Muſkelvermögen d. Haargefäßchen, p.* 81.).

Auribus manantibus ſubuenit et ſurditatem tollit, ſi relaxatio partium ſubeſt, nec ſiccitas peccat (LE ROY *p.* 148. *ſqq.*), ENGEL *p.* 6. *ſq.*).

Proximo loco commemorandi ſunt morbi quidam chronici pectoris. Horum e numero ſunt tuſſis diuturna pituitoſa, oppreſſio pectoris et difficultas reſpirandi, quae minantur phthiſin futuram, quin exſcreatio puri ſimilis vel vere purulentae materiae comite febre multis caſibus (LE ROY *p.* 123. *ſqq.*). Profuit et in phthiſicis huius generis vti veſicatoriis et ſuppurationem inde enatam cortice

Daphnes

Daphnes alere (FABRE in *Mem. de l'ac. R. de Chir. tom. 5. p. 573.*).

Nec in vitiis cutaneis ſua laude defraudandus eſt. Eo obuiam itur ſequelis ex ſcabie vel tinea capitis retropulſa (LE ROY *p.* 114.). Eo herpetica labes ſaepe tollitur. Spectat huc exemplum herpetis et fungi articularis in genu, quod vtrumque vitium cortex brachiis impoſitus ſufflaminauit (JOS. DE PLENCIZ *Act. et obſ. med. p.* 135.). Leguntur caſus felicis curationis, in quibus herpes cum arthritica labe coniunctus apparuit (POMME *nouveau recueil de pieces relativement au traitement des vapeurs*, *p.* 391. *ſqq.*). Sic febris cum ſpaſmis ex ſerpigine (Salzfluſs) longa retrogreſſa, impoſito cortice ei loco, quem ſerpigo antea occupauerat, deuicta (RUMPEL *l. c. p.* 11.). Vi bis obſeruati ſucceſſus fauſti commendatur applicatio corticis Mezerei ad variolas in partes quasdam ignobiliores alliciendas (SCHERB *iiber d. Einpfropfung d. Pocken*, *p.* 135.). Merito et celebratur in doloribus rheumaticis et, affinibus hiſce, arthriticis. Nec haecce efficacia fugit cl^mum LE ROY (*p.* 204.), crebrius dein ab aliis explorata. In rheumatiſmo acuto ſolamen attulit cortex modo parti dolenti, modo diſſitae, applicatus (TODE et

SALHOLT *Adnotat. med. pract. p.* 6.). Cephalaeam arthriticam autem ſedauit brachio impoſitus (*l. c. p.* 9.). Speciatim indicanda eſt odontalgia rheumatica et dolor totius lateris ſiniſtri capitis, praecipue maxillae eo ſublatus (RUMPEL *l. c. p.* 10.). In malo iſchiadico viri cuiusdam diuturno ceſſauit dolor cortice femoris interiori parti primum admoto, dein translato per totum ambitum femoris, nec vnquam recruduit (HARTMANN *l. c. p.* 147.). Ex fomite rheumatico videtur profecta fuiſſe iſta epilepſia, cuius medelam exſtitiſſe fuſius deſcribitur (RUMPEL *l. c. p.* 10.). — In paralyticis affectionibus pariter non ſpernendum auxilium affert; cuius rei notabile exemplum iſtud eſt hominis ſiniſtro latere paralytici, ſed mirifice inde leuati (RUMPEL *p.* 11.). — Demum commemoranda vis eſt, qua in obſtructionibus glandularum referandis pollet. Scrophulae ex hoc cenſu ſunt (LE ROY *p.* 89.); et eodem auxilio parotis tumida, acrem humorem fundens, diſparuit (RUMPEL. *p.* 13.).

Vtinam hiſce morbis omni tempore et occaſione ſatisfaceret, ſed mirifica illa propenſione dixerim an vanitate? quae plerisque ineſt placitum ſibi medicamen varietate virium adſcriptarum ornandi,

nandi, accidit, vt multae aliae illi tribuerentur, in cachexia, apoplexia, mania, affectionibus nervosis, tumoribus oedematosis rel. (Vid. lib. cl. LE ROY). In immensum augetur morborum series, si transscribere in cortices propositos omnes illas virtutes volupe sit, quae vlceribus artificialibus et epispasticis in vniuersum competunt.

Non diffitendum, prout in phaenomenis externis multipliciter differt effectus exutorii ab isto fonticuli, vesicatorii ex Cantharidibus, sinapismi vel alius epispastici vsitati, vt de vstionibus et setaceis nihil dicam, ita et cortices hosce in morbis priuas quasdam vires exercere. Celerior omnino est effectus Cantharidum applicatarum, magis stimulant neruosum systema, plusque doloris tam, quum applicentur, quam epidermide ablata creant, profundius earundem virus in superficie corporis serpit, vnde suppuratio subsequi solet, resorptae acrimoniae harum in sanguinem quoque manifestiora indicia exstant. Hinc hae in acutis morbis magis conducunt corticibus dictis, quum contra hi, si lente in chronicis morbis reuellendum sit et fomes acris sensim pedetentimque emoliendus et inter haec parcendum dolori sit, praestent. Quis

enim exulcerationem ex veſicatorio multis iteratis moliminibus alendam per plures menſes, quin annum ſupraque, ſine magno incommodo ferret. Fonticulorum exigua efficacia eſt, nec valde reuellunt, niſi plures excitentur, quorum ſinguli dum aperti ſeruandi, multum moleſtiae creant. Sinapis, Armoraciae, Rutae aliorumque rubefacientium vis in ſtimulando potius et reuellendo, quam humores vitiatos eliminando conſiſtit, nec diuturnam continuationem admittunt. Ranunculorum (Vid. *Appar. med. tom. 3. p.* 78. 84. 87.) ambigua virtus eſt, nec periculo carens.

In hac tamen, quam tribuo corticibus Daphnes, praerogatiua non celanda quaedam incommoda ſunt, quae eorum vſum ſubinde comitantur. Sunt enim nonnulli, in quibus ne ex applicatione quidem, per menſem dimidium vel integrum continuata, cutis rubedinem contrahit (LE ROY *p.* 17; HARTMANN *l. c. p.* 147.). In aliis incaleſcit inde corpus notabiliter, dolor absque ſeri effluuio enaſcitur inſignis (ENGEL *l. c. p.* 16.), intumeſcit brachium, quin ipſa facies (LE ROY *p.* 17; HARTMANN *l. c. p.* 148; ENGEL *l. c.*), abſceſſus ſupra cubiti flexum contractus (ENGEL), quin ex iuſto diuturniori corticis mora gangraenae periculum incidit (HART-

(HARTMANN). In mulieribus ſaepe poſt protractiorem exutorii adminiſtrationem emergunt exanthemata miliaria rubra, prurientia, quae occupant brachium vel totum corpus ne capite quidem exemto, diſcreta vel in areolas confluentia, ſubinde valde moleſta, et, ſi chronica euaſerint, difficillimae curationis (BERGII *M. m. p.* 306.). Aliquando exeditur cutis profundius cum dolore acerbo, et tam tenaciter cortex adhaeret, vt vix calidi lactis ope ſeiungi poſſit, vel haud absque cruentatione. Saepe acre exſtillans vicinas partes erodit. Aſt caue, ne id cortici tribuas, quod vitioſae potius corporis diatheſi adſcribendum eſt. Hi quoque plerumque melius ferunt exutorium, qui pallentes laxioris ſunt corporis, et copia aquoſorum humorum inſtructi et plus emolumenti inde conſequuntur, quam quibus cutis dura, ſiccitas ſolidorum, macies, ſanguis compactus viſcidaque labes contingit. Quibusdam et foetor laticis exundantis taedium parit, qui tamen non perpetuus eſt, ſed vel a morbi genio, ob quem exutorium eligimus, vel rariori iuſto vel inconcinna deligatione repetendus. Exempla quoque exſtant, quod nihil vel perparum ſeri eroſus locus effuderit, ſed eius loco pus quaſi ex fonticulo ſtillauerit (ENGEL *l. c. p.* 17.).

Plura

Plura tamen horum incommodorum eius naturae ſunt, vt leuiuſculis praeſidiis tolli poſſint. Si in ambitu eroſiones: lotio cum aqua frigida conuenit. Balnea tepida ſubinde profuerunt in eruptionibus deſcriptis. Dolente nimium plaga vel intumeſcente brachio et inflammationem minante ad diſcutientia, aquam ſaturninam GOULARDI ſimiliaque, confugimus. Quicquid aduerſi autem accedat, ſemper auferri cortex debet. Dolor ſubinde initio poſt impoſitum corticem et tenacius affixum perceptus plerumque latice vberius exundante ceſſat. Quis ideo vituperabit veſicatoria ex Cantharidibus, quod ſubinde vlcera moleſta imo gangraenoſa excitauerint, aliis ſtranguriam et mictionem cruentam creauerint: cur ne de crimine horum corticum applicatio abſcluenda, etiamſi non omnibus opportuna fuerit. Ita neutrum horum ideo reiici meretur, quod aliquando ſpe nos excidere paſſum fuerit. Et nemo prudentior in morbis difficilioribus, quales recenſui, vnice acquieſcet in topico eiusmodi remedio, ſed alia ſcopo accommodata ſimul in vſum vertet, quorum ſola virtus tamen non ſufficiet.

Qui

Qui vero exutoriis per protractum tempus indulserunt, caueant, ne iusto praecocius et sine praeuia praeparatione plagam coalescere sinant (LE ROY *p.* 238.). Repetitae tum requiruntur, etsi blandae, purgationes aluinae parciusque cibandum est. Primis mensibus post lassitudo genuum sentitur, quam saepe criticae quaedam deiectiones aluinae excipiunt. Multis tamen exemplis extra dubium ponitur, hisce praemissis cautionibus absque noxa plagas Daphne excitatas posse exsiccari.

ADDENDA.

ADDENDA.

Plagulis, quae de Gummi guttae et de Benzoë in hoc volumine agunt, iam prelo egreſſis, ecce, pro ea, qua in me fertur, beneuolentia et ſuo in litteras ſtudio, ill. Baronetus BANKS, Praeſes ſociet. ſcient. Lond., mihi mittit ſchedas, quarum obtinendarum ſpem me concepiſſe ſuis locis in libro ipſo ſignificaui. Hae quum varia hiſtorica momenta dubitanter modo vel breuiter a me pronunciata confirment vel luculentius exponant, alia corrigant: nolo eorum commemorationem ad finem ſubſequentis voluminis, vt reliqua ſupplementa, differre, ſed potiora mox ſubiungere non vereor.

GVMMI GVTTAE.

(*p.* 406. *ſqq.*)

Originem eius curatius b. KÖNIG, Tranquebarae per multos annos medicus, et ſciens fidusque naturae ſcrutator, perſequutus eſt in pugillaribus Germanice ſcriptis et cum BANKSIO communicatis, quorum hic copiam mihi fecit. Diſtinguit

ſtinguit iſte inter arborem *verum* Gummi guttae ſuppeditantem et illam, quae *ſpurium* ſuggerit. Iſtius rem praecipue agit, eamque nomine *Guttaeferae verae* ſ. *Ghokkatu*, *Gohkathu*, *Gohlathu* Cingalenſium, vel *Bokkatu* incolarum prope Madre degentium, proponit. Eſt arbor ſtaturae mediocris, ad Polygamiam monoeciam transferenda. *Flores* eius *maſculi* vel inſident racemo proprio, vel inter flores hermaphroditos (foemininos KÖNIGIUS perperam pluries vocauit) axillis foliorum adnaſcuntur. Calyx tetraphyllus (rarius 6-phyllus) foliolis ouato orbiculatis marginatis, quorum duo exteriora minora, duo interiora maiora; Corolla tetrapetala, patentiſſima calyce duplo maior, petalis obouatis coriaceis margine ciliatis, luteo albis baſi roſea, oppoſitis duobus maioribus; Staminum Filamenta numeroſa ad 30 ex receptaculo carnoſo quadrangulari, clauata, ſubquadrangularia, Antherae ſertiles; Rudimentum Styli in nonnullis, Stigma echinatum, inaequale, ſterile. *Flores hermaphroditi* verticillatim vel axillis foliorum vel articulis ramorum iuniorum mixtim cum floribus maſculinis inſeruntur, interdum geminati oppoſiti. Calyx corollaque, quales in maſculis, niſi parum maiores; Stamina, vt in maribus, interdum polyadelpha

in

in phalanges quinque diſtributa, Antheris fertilibus; Piſtilli Germen globoſum, Stylus ſolitarius breuis, Stigma tri-vel quadrilobatum lobis patentibus obcordatis perſiſtentibus; Bacca globoſa, glabra, albicáns ad latus roſea, coronata ſtylo breui et lobis ſtigmatis, ceraſo maiori ſaepe duplo maior; Semina tria oblonga, obſolete triangularia, articulo terminali, alba, ante maturationem vulnerata lac copioſe fundentia, initio niueum dein viridi citrinum. Folia arboris ouata vel obouata, oppoſita, integerrima, laeuia, coriacea, rigida, obſcure viridia, petiolata. — Creſcit haec arbor in regno Siamenſi, nominatim prope locum Cambodiae vicinum, qui Tchänthebuhn dicitur, item in Zeylona.

Priori loco, teſte ſacerdote religionis Romano catholicae fide digno, qui chriſtianorum Cochinchinenſium ſacris ibidem praeeſt, colligitur ſuccus ſic, vt, quod ex fractis foliis vel ramulis guttatim (vnde ratio nominis Gummi guttae repetenda) promanat, lac luteum excipiatur arboris huius foliis vel teſtis nucum Cocos, et dein maioribus vaſis planis argillaceis aeſtiuo tempore ſiccetur, donec indureſcat, tum commodis foliis obuoluatur. Hunc ſuccum vna cum ligno Aloës chriſtiani ibi habitantes inſtar tributi regi Siamenſi ſoluunt. In

Zeylona

Zeylona autem incidunt hinc inde corticem trunci variis locis lapide acuto, vnde copia ſucci cremorem lactis ſpiſſitudine aemulantis exundat, aeſtu ſolari facile ſiccandi. Pictorio ſcopo Gummi guttae Siamenſe alteri Zeylonenſi praeſtat; nam hic colorem ſordide luteum erogat, cuius cauſa forſitan in vitio collectionis tantum latet. Sed medica virtute neutrum alteri cedit. Vtraque regione inſtar vehementioris aluum laxantis et emetici ab indigenis vſurpatur, haud ſine metu. Nec latet eos, abuti eodem aliquando ſceleſtas foeminas. Baccae edules ſunt.

Cambogiae guttae L. ſpurium Gummi guttae tribuit KÖNIGIUS, quoniam, licet arbor ſuccum fundat citreo luteum, hic tamen ſiccatione in brunum inclinat. In Malabaria, vbi ſpontanea, *Korka-Puli* dicitur. Sed et Zeylonam ſub diuerſis Varietatibus patriam habet. Fructus pomum ſubgloboſum eſt, interdum ouale, ſulcis octo nouem ad duodecim hiantibus profunde diuiſum, magnitudine pomi vulgaris, nitidum, colore luteo vel rubro viridique coloratum, pulpa ſubtenaci ſucci acidiſſimi farctum, formans infra diuiſuras loculamentum ouale ſemine vnico raro duobus in pulpa diluta

ſubroſea ſaporis dulcis nidulantibus, oblongo reniformibus compreſſis, longitudine fabae maioris. Siccatus ex Zeylona venditur in oram Coromandel, vbi in foris venalis proſtat, et ob acorem praecipue intinctibus pipere largiter conditis a pauperibus additur. Succus ex trunco prorumpit, inſtar lactis citreo lutei, ſpiſſitudine Terebinthinae craſſae, et lente exareſcit. Recens a Cingalenſibus vulnerarium egregium cenſetur.

BENZOE.

(*p.* 540. *ſqq.*)

Auctore cl^mo HOUTTUYN eam arbori cuidam ex Lauri genere adſcripſi, ſed iam commentatione cl^mi DRYANDER (*Botanical deſcription of the Benjamin tree of Sumatra* inſerta *volumini* 77. actorum *Philoſophical Tranſactions*) meliora edoctus eandem arborem Styracis eſſe ſpeciem nullus dubito. Occaſionem corrigendi nouiſſimum errorem ſimulque omnes reliquos tempore priores omnino ſuffocandi dederunt ſpecimina ſicca, quae ſibi ex Sumatra per cl. MARSDEN comparauit ill. Baronetus BANKS. Praefigenda igitur in futurum eſt nomen et deſcriptio:

Styrax

Styrax Benzoin; foliis oblongis acuminatis subtus tomentosis, racemis compositis longitudine foliorum DRYAND. *loc. cit. c. tab.* 12.

Synonymis a me significatis addidit cl. vir: *Benzuin* RADEMACHER in *Act. societ. Batav. vol. 3. p.* 44. quem tomum legere hactenus mihi non contigit.

DESIGNATIO SPECIERVM IN QVARTO VOLVMINE CONTENTARVM.

STIRPES.

ORDO XXXVII. DVMOSAE.

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen systematicum.*	
422. Rhamnus catharticus s. Spina ceruina.	*Rhamnus catharticus*	pag. 1
423. Frangula.	— — *Frangula.*	5
424. Iuiuba.	— — *Zizyphus.*	7
425. Aquifolium.	*Ilex aquifolium.*	10
426. Sambucus.	*Sambucus nigra.*	13
427. Ebulus.	— — *Ebulus.*	22
428. Sumach.	*Rhus coriaria.*	25
429. Elemi.	*Amyris Elemifera.*	28
430. Balsamum de Mecca. Xylobalsamum. Carpobalsamum.	— — *Opobalsamum.*	32
431. Copaiuae balsamum.	*Copaifera officinalis.*	47

ORDO

ORDO XXXVIII. TRIHILATAE.

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
432. Hippocaſtanum.	*Aeſculus Hippocaſtanum.*	62
433. Naſturtium indicum.	*Tropaeolum maius.*	77
434. Berberis.	*Berberis vulgaris.*	79
435. Tribulus aquaticus.	*Trapa natans.*	86

ORDO XXXIX. TRICOCCAE.

436. Euphorbium.	*Euphorbia officinarum.*	88
437. Cataputia minor.	— — *Lathyris.*	100
438. Eſula minor.	— — *Cypariſſias.*	102
439. — — maior.	— — *paluſtris.*	105
440. Gummi guttae.	*Cambogia Gutta.*	106
	Guttaefera vera KÖNIG.	654
441. Myrobalanus Emblica.	*Phyllanthus Emblica.*	127
442. Caſcarilla.	*Croton Caſcarilla.*	128
443. Bezetta coerulea. Succus Heliotropii.	— — *tinctorium.*	139
444. Tilli v. Tiglium. Pavanae lignum.	— — *Tiglium.*	149
445. Lacca.	— — *lacciferum.*	152

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
446. Ricinus maior.	*Iatropha Curcas.*	164
447. Reſina elaſtica.	— — *? elaſtica.*	167
448. Ricinus vulgaris. ſ. Cataputia maior.	*Ricinus communis.*	195
449. Mercurialis.	*Mercurialis annua.*	222
450. Thea Bohe.	*Thea Bohea.*	225
451. — — viridis.	— *viridis.*	226
452. Buxus.	*Buxus ſemperuirens.*	262

ORDO XL. OLERACEAE.

453. Bonus Henricus.	*Chenopodium Bonus Henricus.*	267
454. Botrys vulgaris.	— — *Botrys.*	270
455. Botrys Mexicana.	*Chenopodium ambroſioides.*	273
456. Chenopodium anthelminticum.	— — *anthelminticum.*	275
457. Vuluaria.	— — *Vuluaria.*	276
458. Beta rubra.	*Beta vulgaris.*	278
459. Soda.	*Salſola ſatiua etc.*	282
460. Spinacia.	*Spinacia oleracea.*	327
461. Atriplex ſatiua.	*Atriplex hortenſis.*	329

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
462. Herniaria.	*Herniaria glabra.*	331
463. Camphorata.	*Camphoroſma Monſpelienſis.*	333
464. Phytolacca.	*Phytolacca decandra.*	335
465. 466. Lapathum acutum.	*Rumex acutus.*	341
	— — *criſpus.*	341
467. Herba Britannica.	— — *aquaticus.*	343
468. Rhabarbarum monachorum.	— — *alpinus.*	346
469. Acetoſa.	— — *Acetoſa.*	348
470. Rhapontícum.	*Rheum Rhapontícum.*	353
471. Rhabarbarum Sibiricum.	— — *vndulatum.*	356
472. Rhabarbarum ſ. Rheum verum.	— — *palmatum?*	362
473. Biſtorta.	*Polygonum Biſtorta*	407
474. Hydropiper.	— — *Hydropiper.*	409
475. Centumnodia.	— — *auiculare.*	412

476. Anacardium occidentale. *Anacardium occidentale.* 413

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
477. α Cinnamomum.	*Laurus Cinnamomum.*	417
Caſſiae Flores?		
β Caſſia lignea.	*Varietas diuerſa.*	441
Malabathri Folia?		
478. Camphora.	— — *Camphora* etc.	447
479. Culilawan.	— — *Culilawan.*	524
480. Laurus.	— — *nobilis.*	528
481. Saſſafras.	— — *Saſſafras.*	534
482. Benzoë.	— — *Benzoin* HOUTT.	540
	Styrax Benzoin BANKS.	658
483. Pechurim.	*Laurus ?*	549
484. Cortex Winteranus.	*Wintera aromatica ?*	557
485. Canella alba.	*Canella alba.*	566

ORDO XLI. SCABRIDAE.

486. Parietaria.	*Parietaria officinalis.*	570
487. Contrayerua.	*Dorſtenia Drakena.*	572
	— — *Houſtoni.*	572
488. Carica.	*Ficus Carica.*	578
489. Vrtica.	*Vrtica dioica.*	587
490. Vrtica Romana.	— — *pilulifera.*	595

491.

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen systematicum.*	
491. Morus.	*Morus nigra.*	596
492. Vlmus.	*Vlmus campestris.*	601
493. Cannabis.	*Cannabis sativa.*	608
494. Lupulus.	*Humulus Lupulus.*	621

ORDO XLII. VEPRECVLAE.

495. Mezereum.	*Daphne Mezereum.*	628
496. Thymelaea.	— — *Gnidium.*	639

ERRATA ALIQVOT VOLVM. QVARTI.

Pag. 106. lin. 16. *loco* iam *lege* etiam p. 335. lin. 3. *loco* 465. *leg.* 464. p. 341 lin. 3. *loco* 466. *leg.* 465. et 466.